*Acquired with the assiſtance of the*
Sophia Augusta Brown
*Fund*
John Carter Brown Library

CBEN
S328
II

# PHYSICA SACRA

JOHANNIS JACOBI SCHEUCHZERI,
Medicinæ Doctoris, & Math. in Lyceo Tigurino Prof.
Academiæ Imperialis Naturæ Curioſor. LEOPOLDINO-CAROLINÆ Adjuncti, Socc. Regg. Anglicæ ac Pruſſicæ Membri.

# ICONIBUS ÆNEIS

illuſtrata

procurante & ſumtus ſuppeditante

JOHANNE ANDREA PFEFFEL,
Auguſtano, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
Chalcographo aulico.

## TOMUS II.

A TAB. CCXXVI. ad CCCCXVI.

---

*AUGUSTÆ VINDELICORUM & ULMÆ,*
*MDCCXXXII.*

RPJCB

RPJCB



LEVITICI Cap. IX. v. 24.
Ignis ſacer ΟΥΡΑΝΟΠΕΤΗΣ.

III. Büch Moſis Cap. IX. v. 24.
Heiliges Himmel-Feüer.

*H. Sperling sculps.*

# TAB. CCXXVI.

## Leuit. Cap. IX. verſ. 24.

Et egreſſus eſt Ignis à facie DOMINI, deuorauitque in Ara Holocauſtum & Adipes, quod videns uniuerſus populus lætis vocibus exclamans, ceciderunt in facies ſuas.

Et ecce egreſſus Ignis à DOMINO, deuorauit holocauſtum, & adipes, qui erant ſuper altare. Quod cum vidiſſent turbæ, laudauerunt DOMINUM, ruentes in facies ſuas.

IGne patrat DEUS Miracula, nunc *urente*, nunc *non urente*, utrobique extra & ſupra Naturæ vias, ſummus Naturæ Author ac DOMINUS. Pepercit Miraculo Ignis Danielis ſociis, quos vel momento deuorare debebat velociſſimus particularum motus. Hujus generis Miracula in Sacris habemus pauca, in mediis Seculis, ſi Hiſtoriis & Ordaliis fides, multa. Multa in Pandectis ſacris Ignis præſentis, urentis & conſumentis, ubi juxta Leges Naturæ non adeſſe poterat rapax hoc Elementum, cœlitus à Creatore Ignis immiſſum. Non ſanè ſuborietur dubium ei, qui Hiſtoriæ hoc Capite recenſitæ attendit circumſtantias. Imponit Aharon Altari Sacrificia pro Peccatis holocauſta, & euchariſtica, ex Bobus, Hircis & Arietibus, corporibus Sanguine & Lympha madidis: opus eſt pro eorum conſumptione Ignis Elemento: promittitur Viris DEI manifeſtatio Gloriæ DEI, & ecce! *egreditur Ignis à facie DOMINI, deuoratque in Ara Holocauſtum & Adipes*, imò Cultum Ceremonialem, Ordinem Sacerdotalem inſtitutum Miraculo hocce obfirmat, atque obſignat. Accidit item in Sacrificio Dauidis ad Peſtem amoliendam oblato 1. Par. XXI. 26. in Templi initiatione 2. Paral. VII. 1. 2. 3. Eliæ tempore pro afferendo veri DEI cultu contra Baalitas. 1. Reg. XVIII. 38. 39. Hujusmodi Ignis cœlitus immiſſus habebatur pro ſacro, ut ex mandato DEI perpetuò ſeruari debuerit inextinctus. Leu. VI. 12. 13. *Ignis in Ara incenſus maneat, nec unquam extinguatur, quin Sacerdos per ſingulos dies mane Ligna in Ara incendat, & aptet ſuper eam Holocauſtum* ——— *Ignis ſemper accenſus ſit in Ara, nec unquam extinguatur. (Ignis autem in Altari ſemper ardebit: quem nutriet Sacerdos, ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies & impoſito holocauſto* ——— *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari.)* Et ſeruatus hic Ignis usque ad Captiuitatem Babylonicam. Habebant & Gentiles hujusmodi Ignem perpetuum ſeu inextinctum, & ſtudiosè ſeruabant. *Græci* Delphis & Athenis πῦρ ἄσβεστον apud *Dionyſ. Halicarn.* L. II. in *Ammonis* quoque delubro, *Silio* teſte L. III.

In reſtincta focis ſeruant altaria flammæ.

*Romani* Ignem inextinctum Veſtalibus concreditum. *Ferunt* apud *Ammianum* L. XXIII. Brachmanes, *ſi juſtum eſt credi etiam Ignem cœlitus lapſum apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri.* Exempla hujus generis alia ſilentio prætereo. Lege ea in *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 35.



TAB.

# TAB. CCXXVII.

## Leuit. Cap. X. verſ. 2.

Et egreſſus Ignis à Facie DOMINI deuorauit eos, mortuique ſunt in conſpectu DOMINI.

Egreſſusque ignis à DOMINO, deuorauit eos, & mortui ſunt coram DOMINO.

Vidimus paulò ante *Ignem* Miraculo Sacrificia conſumentem DEO accepta; ecce nunc idem Elementum rapax deuorans ipſos Sacerdotes, Sacri Ignis contemptores, alienique introductores! Fuit ille Gratiæ Diuinæ Symbolum, hic Iræ, miraculoſus uterque. Hic certè, qui Nadabo & Abihu, Aharonis Filiis fuit fatalis, Moſe patruo teſte, *egreſſus fuerat à Facie* DOMINI, illapſus Legis Diuinæ transgreſſoribus ὡς ἀπὸ μηχανῆς, mox atque *attulerant coram DOMINO Ignem alienum, de quo nihil eis præceperat DOMINUS.* v. 1. ut Igni extemplo perirent, qui Igni peccarunt. Qualiscunque is fuerit, ſeu fulmineus, ut videtur, ſeu alius. Fulmineus ſi fuit, ſuffocans fuit, non conſumens. In cineres haud fuiſſe redactos patet ex v. 4. ubi *Miſael* & *Elzaphan* juſſi fuerant *efferre fratres ſuos è Sanctuario extra Caſtra, (tollere fratres de conſpectu Sanctuarii, & aſportare extra Caſtra)* & ex ipſo v. 2. quo *mortui* dicuntur *in conſpectu* DOMINI, non in cineres collapſi.

# TAB. CCXXVIII.

## Leuit. Cap. X. verſ. 9. 10. 11.

9. Vinum & Siceram non bibes, tu & filii tui, qui tecum ſunt, quum ingreſſi fueritis Tentorium Conſtitutionis, ne moriamini: ſtatutum hoc ſit ſempiternum per poſteritates veſtras.
10. Et ut diſcernatis inter ſanctum, & inter profanum, inter immundum & mundum.
11. Utque doceatis filios Iſrael omnia ſtatuta, quæ DOMINUS ad eos per Moſen loquutus eſt.

Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in Tabernaculum teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras.
Et ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum.
Doceatisque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt DOMINUS ad eos per manum Moyſi.

Non Vino ſoli, ſed omnium Vegetabilium ſuccis expreſſis, ex Plantis, Fructibus, Seminibus, ineſt inebrians vis, Siceræ nempe, Pyraceo, Pomaceo, Vino Palmeo, Cereuiſiæ &c. quam moderni Philoſophi adſcribunt Aeri valde compreſſo. Hic nempe, calore Sanguinis magis adhuc dilatatus ampliat ſpeciatim Cerebri vaſa, utpote aliis minus reſiſtentia, Arteriis aliis tenuiora. Ampliato horum diametro influxus Succi qualiscunque neruei fit tardior in extrema Membra, juxta Motus Leges: hinc Somnolentia, vel Somnus, imo hinc in ipſo Cerebro tumultuantes varii motus, inordinatæ Cogitationes, Deliria, & qui in hujusmodi eſt ſtatu, præceps labitur ad actiones incongruas, vel etiam ad officia ſua obeunda eſt ineptus. Poſcit namque actionum, quas Ratio dictat, exercitium corpus ſanum, circulum Sanguinis ordinatum, tenſionem fibrarum ei adæ-




Levitici Cap. X. v. 2.
Igne peccantes igne necantur.

III. Buch Moſis Cap. X. v. 2.
Him̃el-Feüer tödtet frembdes Feüer.

RPJCB



LEVITICI Cap. X. v. 9. 10. 11.
ΠΑΡΟΙΝΙΑ Sacerdotum.

III. Buch Moſis Cap. X. v. 9. 10. 11.
Trunckene Prieſter.

*G. D. Heüman sculps.*

RPJCB

adæquatam, Spirituum Animalium influxum regularem. Ex eodem Ratiocinio offendit *Verdries Æquil. Ment. & Corp.* p. 62. quomodò ex Ebrietate *non ſolùm partes, inprimis Muſculi, debilitentur, ſed etiam Cerebro, ejusque fibrillis grauatis, oppreſſis, arteriarumque ſolitis pulſationibus vibratis, animæ vigor, qui naturali Cerebri tenſione & temperie continetur, pereat, ortisque ita inconditis impreſſionibus, mens loco moueatur, tandemque accedente, ob defectum influentis liquidi, organorum ſenſoriorum relaxatione, ſomnus obrepat, ſed turbulentus atque inſomniis plenus, pauidusque miris rerum imaginibus; cum confuſis in Cerebro fibris, agitationibus, ab extraordinaria illa pulſatione, confuſæ in Mente cogitationes neceſſariò reſpondeant.*

Quid mirum igitur, ſi ſapientiſſimus & ſupremus Legislator, deterrimam Ingeniorum Peſtem, Ebrietatem arciturus, Sacerdotes ſuos ἀοίνους eſſe voluerit: Cultum præſcribebat ſanctiſſimum, puriſſimum, quem in minimis quoque circumſtantiis ſeu punctis obſeruari voluit. Ad hujusmodi certè Cultum, eumque Ritualem, quadrare haud poterant Homines Vino dediti, ſed quàm maximè ſobrii, ſibi ſemper conſtantes, quorum debebat ſeruari ὁλόκληρον τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως I. Theſſ. V. 23. Tantò autem neceſſaria magis erat hæc lex Iſraelitis, quia diu vixerant inter Ægyptios vini, &, uti videtur, Cereuiſiæ potui largiori aſſuetos. Teſtis *Dio* apud *Athenæum* ad Lib. I. finem. φιλοίνους καὶ φιλοπότας τοὺς Αἰγυπτίους γενέσθαι — οἴνου τὸν ἐκ κριθῶν γενόμενον πίνειν &c.

In Chriſtiano Orbe vetat Ebrietatem contemptus, non Lex ciuilis: permittit, imo tantùm non præcipit trium ille Literarum Tyrannus, Mos: ut paſſim videas ebrios Sacerdotes conſcendere Cathedram, Judices ſolium, Medicos adire lectos, alios fungi muneribus aliis. Id quod ſanè non licuit Gentilibus, hac in parte Sanioribus, quàm ſumus nos. Apud *Carthaginenſes* abſtemii debebant eſſe in Caſtris milites, domi Serui & Ancillæ, perſonæ publicæ, Magiſtratus, Judices, Senatores, quam diu erant in officio, neque Vini uſum excuſabat niſi Morbus. Maximi fecit publicam hanc Legem *Plato*, qui *de Legibus* II. vino interdixit nutricibus, & pueris usque ad Annum decimum & octauum. En *Carthaginenſium* Legem ipſam, ſicuti eam habet *Euſebius Præp. Euang.* L. XII. c. 25. μηδένα ἐπὶ στρατοπέδου γέυεσθαι τούτου τοῦ πόματος, ἀλλ' ὑδροποσίας σύγγίνεσθαι τοῦτον τὸν χρόνον ἅπαντα. Καὶ κατὰ πόλιν μήτε δοῦλον γέυεσθαι μηδέποτε, μήτε ἄρχοντας τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν, ὃν ἂν ἄρχωσι, μηδ' αὖ κυβερνήτας, μηδὲ δικαστὰς ἐνεργοὺς ὄντας οἴνου γέυεσθαι τὸ παράπαν, εἰ μὴ σωμασκίας ἢ νόσων ἕνεκα. Sacerdotes ſi qui ſunt inter Chriſtianos, ut ſunt benè multi, vinoſi, ablego ad *Ægyptios*, quorum Sacerdotes teſte *Porphyrio de Abſtin.* L. III. §. 6. vel erant prorſus abſtemii, vel ſaltem valde ſobrii, ne fortè immoderato vini uſu contraherent debilitates neruorum, Capitis, Animi, ſeſeque ad vetitas præcipitarent concupiſcentias. Οἴνου οἱ μὲν οὐδ' ὅλως, οἱ δ' ὀλίγιστα ἐγεύοντο, νεύρων αἰτιώμενοι βλάβας καὶ πλήρωσιν κεφαλῆς, ἐμπόδιον εἰς εὕρεσιν, ἀφροδισίων τε ἔφασκον αὐτὸν ὀρέξεις ἐπιφέρειν. Produco Gentilem, imò omni Religioni ſuſpectum, *Lucretium* Ebrietatis damna & incommoda ita deſcribentem *de Rer. Nat.* L. III.

> Denique cur Hominem cum vini vis penetrauit
> Acris & in venas diſceſſit diditus ardor,
> Conſequitur grauitas membrorum? præpediuntur
> Crura vacillanti? tardeſcit Lingua? madet Mens?
> Nant oculi? clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt?
> Et jam cætera de genere hoc quæcunque ſequuntur,
> Cur ea ſunt niſi quod vehemens vehementia vini
> Conturbare Animam conſueuit corpore in ipſo.

Sed non à Vino duntaxat, abſtrahere debebant, qui Sacris fungi debebant officiis, verùm & ab omni שֵׁכָר *Schecar*, potu quouis inebriante, qui Græcis, detortâ paulùm voce Σίκερα, Σικέρα, Latinis *Sicera* dicitur. Hujus Potus mentio fit paſſim in Veteri Nouoque Codice. Num. VI. 3. Jud. XIII. 4. Prou. XXXI. 6. Jeſ. XXIX. 9. Luc. I. 15. & omnibus his Locis vino, οἴνῳ, contradiſtinguitur. Hunc eſſe, quem dedimus, *Siceræ* ſenſum, conſtat non ſolùm ex circumſtantiis Textus, ſed etiam teſtimonio *Baſilii*, qui per Siceram intelligit πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐκποιῆσαι, omne id, quod potis eſt Ebrietatem inducere; *Tertulliani*, qui *Lib. de Jejun. Ebriamen* Siceram vocat; *Hieronymi ad Nepotianum de vita Clericor.* ubi *Sicera Hebræo ſermone omnis potio nominatur, quæ inebriare poteſt, ſiue illa, quæ Frumento conficitur, ſiue pomorum ſucco, aut cum faui decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut Palmularum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus Aqua pinguior coloratur.* Addi poſſent *Iſidor. Orig.* L. XX. c. 2. *Zonaras ad Canon. Apoſt.* III. *Heſychius Lex.* Conſtat ita, Siceræ nomine venire poſſe Cereuiſiam, Pomaceum, Pyraceum, Palmeum Vinum, Hydromel, & quæ ſunt hujus generis alia. Legatur omninò *Joh. Henr. Meibomii de cereuiſiis potibusque & ebriaminibus extra Vinum aliis Commentarius.* Helmſt. 1671. 4. *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 321. qui & Siceræ nomine generali Vinum comprehendit.

# TAB. CCXXIX.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 2.

Loquimini ad filios Iſrael in hanc ſententiam. Hoc eſt Animal, quod comedetis ex omni Jumento, quod eſt ſuper Terram.

Dicite filiis Iſrael: Cuſtodite omnia quæ ſcripſi vobis, ut ſim DEUS veſter. Hæc ſunt animalia, quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ.

DIgniſſimum indagine eſt *Animalium mundorum* ab *immundis* diſcrimen, prouti id Lege Diuinâ apud Judæos eſt latum; tantò autem magis, quòd inter ſe non concordent Sacrarum Literarum Interpretes. Si *Clerico* & aliis fides, pro fundamento ſtant Rationes merè politicæ. Nec aliud, ut alibi, ita & heic agit πολιτικώτατος Moſes, quam ut ſeſe ritibus & moribus, quos Iſraelitæ Ægypto extulerant, accommodaret. De *Ægyptiis* autem conſtat, eos pro antiquiſſimo more Animantia quædam habuiſſe pro mundis, pro immundis alia, imò ex cauſis Politicis nil habuiſſe rei cum populis illis, qui immunda vel habuerunt in cibos, vel aliâs tractarunt. Conſtat id ex Gen. XLIII. 31. *Non poſſunt Ægyptii comedere cibum cum Hebræis, ſiquidem abominandum hoc eſt Ægyptiis. (Illicitum eſt Ægyptiis comedere cum Hebræis & profanum putant hujusmodi conuiuium.)* Erant namque hi rituum antiquorum tenaciſſimi, πατρίοισι δὲ χρεώμενοι νόμοισι ἄλλον οὐδένα ἐπικτέωνται, teſte *Herodoto* L. II. c. 78. Nouitatis omnis oſores. Eò nempe tendit hujusmodi Legum juſtitia & rigor, ne cum ritibus peregrinis inferantur peregrini mores, alia vitæ ratio, exotica vitia, imo Regioni noua Religio, Regimen nouum. Quo ipſo pateſcit ὡς ἐν παρόδῳ, quam ſæpe & facile poſſit Lex quæpiam vel Politica, vel Medica, transire in caſtra Religionis, imo arctiſſimo vinculo alligare Gentes integras. Arctius enim nullum eſt illo Religionis. Proſtant Exempla in ipſo Chriſtianiſmo. Quod Ægyptiis erat modus viuendi, forte diæteticus, vel à Gentibus aliis diſtinctiuus, Nationi veluti Characteriſticus, id transiit in Religionis Articulum, eumque fundamentalem, ut qui vel de immundo quopiam Animali comederit, vel id duntaxat tetigerit, pro immundo fuerit declaratus, imo ſocietate humana excluſus. Ita ſeſe res habet cum adiaphoris, quæ in Dogmata, ſubtili quadam μεταμορφώσει, tranſeunt. Ita, infit *Clericus*, prudenti Legislatori Moyſi non alia fuit intentio, quam ut populo ſuo præſcriberet certas viuendi regulas, eumque ſic à Gentium aliarum commercio abſtraheret, inprimis & Idololatria. Huc videtur collimare, quod legitur Leu. XX. 24. 25. 26. *Ego DOMINUS DEUS veſter, qui ſegregaui vos à populis. Vos igitur diſcrimen facite inter jumentum mundum & immundum, inter Auem immundam & mundam, ne contaminetis animas veſtras in jumentis & auibus, atque in omni eo, quod reptans ſcaturit Terra, quod ſegregaui à vobis, ut immundum. Eritis itaque mihi ſancti, quia Ego DOMINUS ſanctus ſum, & ſegregaui vos de populis, ut eſſetis mei.* Ita Lex illa Ceremonialis tranſit in Politicam ſiue Ciuilem.

Hoc ſi ita foret, ſuperſedere facile poſſem hujus Capitis Commentario, quem ſcribere propoſui non tanquam Politicus, ſed ut Philoſophus: id eſt, ſi diſcrimen illud Animalium mundorum & immundorum non dependet niſi ab opinione & arbitrio vel Ægyptiorum, vel Iſraelitarum, in rei ipſius natura minimè fundata. Et ſuſpicione haud caret, quod prætendit *Clericus*, accommodâſſe ſe Legislatorem ſummum mori Ægyptiorum veteri, quem aſſumpſerint ipſi Iſraelitæ. Poſito, fuiſſe Animalia utrique huic Nationi ex æquo immunda, nondum tamen ſequitur, quod ille concludit; Poterant quippe cauſæ naturales & hos & iſtos mouere ex æquo, ut hoc illudue Animal declararent pro mundo vel immundo. Et poſito, eſſe Animalia nonnulla, quorum puritas vel impuritas intuitu cauſarum naturalium nondum adeò in euidenti eſt poſita, non tamen hæ ſtatim poſſunt negari, ſed accuſari debet potius noſtra vel Ignorantia, vel etiam negligentia in indagando. Sed de plerisque, ſpeciatim Ruminantibus, conſtabit, eſſe ex Hiſtoria Naturæ moderna cauſas Sole veluti clariores, forte & propterea primis Terræ habitatoribus cognitas. Sane diſcrimen mundorum ab immundis valuiſſe apud antediluuianos conſtat ex Gen. VII. 2. ubi jubetur *Noah ex omni jumento mundo accipere ſeptena, marem & fœmellam ejus, de jumento verò immundo bina, marem & fœmellam ejus.* Diſcrimen hoc ipſi Ægyptii ſcire poterant facile per traditionem à Chami poſteris, ut Iſraelitæ à

Semo.



LEVITICI Cap. XI. v. 2.
Animantia munda et immunda.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 2.
Reine und unreine Thiere.

*Catharina Sperlingen sculps.*

RPJCB

RPJCB




**Levitici** Cap. XI. v. 3.
Ventriculi quatuor Caprilli.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 3.
Vierfache Ziegen-Magen.

*I. G. Pintz sculps.*

Semo. Viguit idem diſcrimen & apud alios populos: *profanis* & *fœdis*, uti vocabantur, Animalibus neque ad cibum uſi ſunt Romani, neque ad Sacrificia. Clariora hæc, quæ generatim nunc propono, fient ex ſequentibus; meum namque erit, munditiei vel immunditiei veſtigia legere, &, ut ita loquar, prima ſtamina quærere in ipſa Natura.

Difficillima res eſt, fateor, ita exhaurire Capitis hujus ἀνάλυσιν, ut omnibus fiat ſatis, nil remaneat ſcrupuli: difficile, Scopulos, qui ſeſe offerunt, præternauigare feliciter, & abſque periculo. Quodſi ſolis inhæreamus cauſis diſcriminis naturalibus, erunt Leges, nunc ordine examinandæ, pars Inſtitutionum Medicarum Diætetica, imo verò obſtringent adhuc Leges illæ, quotquot de Sanitate vel reſtituenda, vel conſeruanda, ſunt ſolliciti, fugienda erunt cane pejus & angue omnia Animalia immunda, in uſum trahenda ſola munda. Sed nec ſolas admittimus cauſas morales vel myſticas, DEUM Veneror, ut optimum Patrem, pro ſuorum ſanitate ſollicitum, ſed & ut Legiſlatorem ac Dominum, cui cauſæ potuerunt eſſe variæ hujus illiusue Præcepti, & multæ haud adeò usque cognitæ. Et nimium mihi quidem videntur moralizare Pontifex ille *Eleaſar* ante CHRISTUM, & poſt natum Saluatorem Patres benè multi, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, *Auguſtinus*, *Cyrillus*, qui in ea fuerunt vel ſententia, vel opinione, prohibuiſſe DEUM immundorum Animantium eſum, ne veluti per contagium inficeremur feritate Leonis, voracitate Lupi, Accipitris, aliis aliorum Brutorum vitiis: nimium allegorizare *Franc. Junius*, *Cunæus*, alii, qui ſoli inhærent explicationi myſticæ, vel Typicæ. Per medium ibimus tutiſſimi. Ea autem, quæ extra meam ſunt ſphæram, aliis lubens relinquo.

# TAB. CCXXX.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 3.

Quicquid ex jumentis ungulam ſeparat, & ungulas fiſſura findit, ruminationem ſuam reuocans, hoc comedatis.

Omne quod habet diuiſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.

Accedimus propius ad ipſum Animantium Catalogum, deſcenſuri per Genera ad ſpecies. In Metaphyſico ſenſu uti omnia opera DEI ſunt perfectiſſima, ita omnia Animalia dici poſſunt munda, etiam venenatiſſima, utpote quæ ſtructuram habent organicam, ſuæ Naturæ conuenientem, cibos aſſumunt ſibi congruos, functiones obeunt, quales obire debent. Venenata dicuntur, & immunda, reſpectu Hominis, cui vel in cibo, vel attactu, vel morſu nocent.

Prærogatiuam Dat Moſes, & jure, Animantibus mundis, ad cibos æquè ac Sacrificia idoneis, & Phyſici accurati perſonam induens characteres exhibet tum externos, cuiuis in ſenſum incurrentes, tum internos. Viſui eſt nemini non *Separatio Ungulæ*, & *fiſſio* ejusdem, abſcondita magis *Ruminatio*, ſed magis adhuc Ruminationis Mechanismus & Inſtrumenta. Hæc uti ritè capiantur, ſciendum, *Quadrupedia* diſtingui rectè in *ungulata* & *unguiculata*, *Ungulata* habere digitos, ſeu extrema pedum Ungulis tecta; eſſe autem *Ungulam* corpus durum, ſubſtantiæ corneæ concauum, extremos digitos tegens, ſupra quod Animal partim incedit. *Unguiculata*, quæ Digitorum extrema nuda, Unguibus tantùm adnaſcentibus armata habent. Ex *Ungulatis* alia ſunt Μώνυχα ſeu Μονόχηλα, *ſolidipeda*, *ſolidungula*, ut Equus, Aſinus; alia δίχηλα, *Biſulca*, quibus Ungula à ſummo ad imum bifariam eſt fiſſa. Hæc ipſa autem ſunt vel *Ruminantia*, de quibus noſter Textus, nempe Genera, *Bouinum*, *Ouinum*, *Caprinum*, *Ceruinum*, vel *non ruminantia*, ut Porci. Dantur & τετράχηλα, *quadriſulca*, Rhinoceros, Hippopotamus. *Unguiculata* denique ſunt vel διχιδέα, vel πολυχιδέα. v. *Raj. Synopſ. Animal. Quadrup.* p. 56. Legimus in noſtro Textu שֹׁסַעַת שֶׁסַע פְּרָסֹת *findens fiſſuram ungularum*, *in Schüle zertheilet*, id eſt, veluti in duos calceolos: Sunt quippe Ungulæ his Animantibus, quod nobis Calcei. LXX. emphaticè reddunt ὀνυχιστῆρας ὀνυχίζον δύο χηλῶν, *findens fiſſuras duarum ungularum*, *Clericus* minus aptè *ungulam nulla parte aut membrana cohærentem.* Obſeruandum heic, ex *Rajo*, ipſa biſulca, Animalia ſtrictè loquendo eſſe τετράχηλα, quatuor ungulis inſtructa, duabus anterioribus, & totidem poſterioribus, ſed illas duntaxat eſſe fiſſas, quibus etiam Animalia incedendo innituntur, poſterioribus binis Ungulis longius diſſitis,

tis, neque Terram tangentibus. Sed in verè dictis τετραχήλοις Ungulæ omnes quatuor in eadem ſunt circumferentia, ut ſuper iis ſtent & incedant.

Eſt Ruminatio, μηρυκασμὸς, ea Actio, qua Animantia Quadrupeda, *Ruminantia* hinc dicta, pabulum deglutitum ad Os reuocant, hîc iteratò maſticant, (hinc Germanorum *wiederkäuen)* rurſumque deglutiunt, donec repetitis multoties deglutitionibus, maſticationibus, digeſtionibus cibi aſſumti plenariè ſint excocti: ſiue, definiente ita *Peyero Merycolag.* p. 201. *actio ſiue motus naturalis intermittens ac alternus Ventriculi & maxillarum, cæterarumque partium Organicarum adjuuantium, quo deuoratus rudior cibus â paſtu ſenſim reuocatur in Os, mox Dentibus probè conteritur, ac poſtea iterum deglutitur, Animalibus quibusdam ad ſuam ipſorum ſalutem commodamque paſtionem, & Hominis utilitatem à DEO inſitus, ut rerum varietate ſapientiam iſte ſummam exereret.* Organa Ruminationi inſeruientia ſunt alia principalia, alia miniſtra. Ex illis primas tenet *Ventriculus*, in Biſulcis quadruplex, ſtructuræ artificioſiſſimæ, Laniis noſtratibus in omni ſua cohærentia *die Sultz* dictus. Primus & maximus κατ' ἐξοχὴν vocatur κοιλία, imo *Ariſtoteli Hiſt.* L. II. c. 17. κοιλία μεγάλη, *Venter, magnus Venter, Seuerino Pera, Perula,* aliâs *Rumen*, Gallis *la Pence, la Double*, Italis *la Trippa*, Anglis *the Cud*, vel, ex *Rajo*, *the Paunch, or Inward*, nobis *der Wanſt*, tantæ magnitudinis, ut in Bobus 50. Librarum pabulum complectatur, figuræ quodammodo rotundæ, externè veluti ſulco, internè prominente colliculo in duas partes diſtinctus, inſtructus, ut reliqui quoque Ventriculi 4. Tunicis, prima extima, extus læui, membranacea; ſecunda muſculoſa, artificioſiſſimè fabricata, ut & ſtructuræ & officii reſpectu Cordi comparari queat, fibris ſpiralibus veluti inuicem intercuſſatis, quarum conſtrictorio motu & ſuccuſſu inprimis fit illa pabuli ad Os repulſio: tertia membranaceo-neruea innumeris vaſorum & neruorum tubulis reticulata, & in papillas definens, quæ reconduntur in tunica quarta cruſtoſa numeroſiſſimæ veluti in vaginulis & exeruntur, ut internam Ventris ſuperficiem Ariſtoteles pronuntiauerit τραχεῖαν καὶ διειλημμένην; quæ cruſtoſa tunica loricæ vices præſtat, ad protegendam tunicam nerueam ab aſperitate pabuli, & coli inſtar trajicit humorem tenuem, quo alimonia maceratur ac reſoluitur. Eſt primus, de quo hactenus, Ventriculus Ruminationis præcipuum Inſtrumentum, alimentum recipit, retinet, macerando emollit, atterit, iteratis ſuccuſſibus ad os repellit, partem etiam alimenti ſatis maſticati, ruminati, digeſti ad ſecundum Ventriculum transmittit.

*Secundus* Ruminantium *Ventriculus* eſt κεκρύφαλος, *Theodoro Gazæ Reticulum, Seuerino ollula media teſſerata*, noſtratibus *die Haube, Hülle*, Belgis de Huyue, Anglis *the Paunch*, potius ex *Rajo the Honey comb*, Gallis *le Bonnet*, ob egregiam cum reticulo muliebri, quo capillos obuoluunt, conuenientiam, Italis *la Scuffia*; priori longè minor, angularibus cellulis innumeris, ſiue areolis faui ad inſtar veluti clathratus, & ſepimentis diſtinctus, in quibus cellulis ſuccus pabulo extractus ulterius macerando ac fermentando ſubigitur. Præter eas extuberant valuæ carnoſæ, aut labia craſſa, rugoſa, inter quæ canalis tum ad Lac lactentium vehendum, tum ad potum Animantium adultorum ulterius ad tertium Ventriculum deriuandum, porrò ad abſorbendam alimenti liquidiſſimam partem, & cibos nondum liquefactos arcendum.

Tertius vocatur ἐχῖνος, *Echinus*, quia ut Echinus aculeis internè horret, & eximia ſe corrugandi vi pollet. *Theodoro Gazæ Omaſus*, quo nomine aliâs Romani omnes Ventriculos cum interaneis, nobis *Kuttlen und Kröſs* ſignificarunt. *Seuerino conclaue cellulatum* à loculorum frequentia membraneis parietibus diſſeptorum. Noſtratibus *der Manigfalt*, ob membranarum plicatarum pluralitatem: hinc & Latinis *Centipellio*, Gallis *la Myre feuillet, Millet, Livre*; Italis *Centopelle*: Belgis *het Boek*: Anglis *the Tripe, Rajo the Manifold.* Figuræ eſt fere lunatæ, ſuperficies interna, ut dictum, multis veluti parietibus intergerinis diſſepta, nimirum in Ouillo & Caprillo genere 36. in Bouillo 88. limæ ad inſtar fere aſperis, quos inter alimonia à Reticulo huc transmiſſa veluti prelo comprimitur, effluente ſucco in Abomaſum, nam hic tertius Ventriculus non tam ad Ruminationem facit, quàm ad Digeſtionis perfectionem.

Quartus denique Ventriculus nuncupatur ἤνυστρον, *Gazæ Abomaſus*, *Seuerino Ventriculus propriè dictus* ob affinitatem cum aliorum Animantium & ipſorum Hominum Ventriculo. Romanis forſan *Faliſcus*, conjectante *Jul. Cæſare Scaligero* ad *Ariſt. Hiſt. de Animal.* L. II. c. 19. cui & *Aſellus*. Noſtratibus *der Mägen*, Gallis *la Caillete*, ob coagulandi virtutem, qua pollet in confectione Caſei. Italis hinc *il Quaglio*: Belgis *the Rode*, Anglis *the Honey Tripe.*

Artificioſiſſimam hanc quadruplicis Ventriculi ſtructuram qui vel obiter introſpicit, is ſtatim videbit & judicabit, Sapientiſſimo Omnipotentis DEI conſilio & Decreto perfectiùs heic elaborari Chylum, qui veluti quinta quædam Eſſentia ex pabulo tot preſſuris, contorſionibus, ruminationibus, digeſtionibus, & fortè fermentationibus elicitur, & poſt in optimam tranſit carnem, multamque Pinguedinem. Et huic adeò perfectæ χυλοποιήσει inſeruiunt non duntaxat quatuor Ventriculi ante recenſiti, ſed & partes aliæ veluti miniſtræ ac ſociæ: *Muſculi Pectoris* atque *Abdominis* cum *Diaphragmate*, qui quò magis pleno ventre tenduntur, eò contra premunt fortius, ſicque bolorum aſcenſum è ventre promouent, Diaphragma in ſpecie non ſolùm ſuccutiendo, ſed & per vices

Gulam

RPJCB





LEVITICI Cap. XI. v. 3.
Fibræ primi ventris bovini.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 3.
Der erſte Ochſen-Magen.

I. A. Corvinus sculps.

RFJCB




Levitici Cap. XI. v. 3.
Ventres Bovilli ſeparati.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 3.
Vier abgeſonderte Ochſen-Mägen.

*I. A. Corvinus ſculps.*

RPJCB




LEVITICI Cap. XI. v. 3.
Omasus et gula.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 3.
Fetter Darm und Speiß-Röhre.

*M. Tyroff sculps.*

Gulam conſtringendo, ne multi ſimul boli ſurgant, quod in Vomitibus contingit. Singularis denique *Oeſophagi* ſtructura, cujus fibræ muſculoſæ ſpiraliter ſeſe inuicem intercuſſantes non ſolùm multo robore detrudunt & retundunt bolos, ſed etiam per vices cedunt, ut mirum in modum canalis hic ampliari poſſit. E re autem duxi, pro faciliori intellectu, totam hujus Artificii prorſus ſingularis & diuini machinam Iconibus ſiſtere ante oculos, petitis mutuo ex *Merycologia Peyeri.*

Siſtit ſe heic veluti in Tab. CCXXX. proſcenio ex Ruminantium Familia *Capra*, & Fig. I. ejus ventriculi omnes quatuor ita locati, ut quæ à dextris pinguntur, in ſiniſtro ſint Hypochondrio. A A A. eſt Κοιλία μεγάλη, magnus ſeu primus venter. B B. κεκρύφαλος, Reticulum, ſecundus. C. ἐχῖνος, omaſus, tertius. DD. ἤνυστρον. Abomaſus, quartus. E. Pylorus. F. Inteſtini Duodeni portio. GG. Gulæ. H. Vena Cœliaca. I. Arteria Cœliaca.

# TAB. CCXXXI.

FIg. II. Ventriculus primus ſeorſim, cui vaſa & exterior membrana ſunt ablata, ut fibræ exteriores carneæ in conſpectum veniant. A. Oeſophagi ima portio. BB. Magni Ventris Hemisphærium dextrum. CC. Siniſtrum. D. Faſtigium turbinatum dextrum, cujus fibris primariò motus Bolorum repulſorius tribuitur. E. Siniſtrum ad eosdem uſus fabricatum. F. Sulci, ubi fibræ in funes aut chordas colliguntur. G. Sulcus fibroſus lateralis. H. lateralis alius. I. Sinus ingens, qui tranſitum dat ex primo Ventriculo in ſecundum.

Bouis primus venter (Fig. III.) detracta membrana exteriori, & fibris muſculoſis exterioribus. A. Oeſophagi portio. B B. Hemisphærium dextrum, & fibræ ejus ſpirales interiores, quæ exteriores decuſſant. C C. ſiniſtrum. D. Faſtigium turbinatum dextrum. E. Siniſtrum. FF. Sulci, in quos colliguntur fibræ tum externæ tum internæ. G G. Sulcus & chorda lateralis ſiniſtra. H. dextra. I. Sinus, qui tranſitum dat ex primo in ſecundum.

# TAB. CCXXXII.

FIg. IV. Magni Ventris interna facies, cum imbricatis apicibus, quibus tanquam vaginulis lingulæ nerueæ ſe ingerunt.

Fig. V. Reticuli fibræ muſculoſæ interiores. A A. Reticulum cum fibris annularibus interioribus. B. Oſtium magnum, quod cum magno Ventre communicat. C. Orificium minus ad Echinum tendens. D. Veſtigium canalis, qui ab Oeſophago per Reticulum in Abomaſum tendit.

Fig. VI. Reticuli interna ſuperficies cancellata, & quaſi clathrata.

Fig. VII. Omaſus bubulus externis fibris plerumque denudatus. A. Orificium è Reticulo ad Omaſum. B B. Echini ipſius fibræ fere circulares. C. portio fibrarum exteriorum. D. Orificium ad Abomaſum.

Fig. VIII. Membranacea ſeu foliacea Omaſi ſubſtantia. A. Folium integrum. B. dimidium ſeu mediæ magnitudinis. C. exile ac anguſtum. D. Omaſi fibræ connexæ foliis membranaceis.

# TAB. CCXXXIII.

FIg. IX. X. Omaſi folia integra cum ſuis Fibris.

Fig. XI. Gulæ muſculoſæ ſtructura cum ſuis fibris ſpiraliter ſeſe decuſſantibus.

# TAB. CCXXXIV.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 4.

Veruntamen hoc non comedetis ex his, quæ ruminationem ſurſum reuocant, & ex his, quæ Ungulam ſeparant, Camelus qui ſurſum quidem ruminationem reuocat, at Ungulam non ſeparat, & ob id immundus ſit vobis.

Quicquid autem ruminat quidem & habet ungulam, ſed non diuidit eam, ſicut camelus & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.

NOn eſt *Camelus* in ſenſu proprio Animal biſulcum, δίχηλον, ſed quidem διχιδὲς, ungulam habens non prorſus ut illa v. 3. fiſſam, ſed ad imam Cutim, quæ baſeos loco integra ungulis ſubſternitur. Sic ſolui debet ἐναντιοφάνεια, quæ ſeſe primo obtuitu offert in Textu, ubi eſus prohibetur eorum, quæ *Ungulam ſeparant*, & mox de eodem Animali pronuntiatur, *non ſeparare Ungulam* & propterea eſſe immundum. Structuram hanc Camelini Pedis deſcribit *Ariſtoteles Hiſt. Anim.* L. II. c. I. ἐςι δὲ δίχηλον, καὶ ἐκ ἀμφόδεν. δίχηλον δὲ ὧδε. ἐκ μὲν γὰρ τȣ̃ ὄπιϑεν μικρὸν ἔχιςαι, μέχρι τῆς δευτέρας καμπῆς τῶν δακτύλων. τὸ δ' ἔμπροϑεν ἔχιςαι μικρὰ, ὅσον ἄχρι τῆς πρώτης καμπῆς τῶν δακτύλων ἔπ' ἄκρων τέτταρα. Καὶ ἐςί τι δὶα μέσȣ τῶν χισμάτων, ὥσπερ τοῖς χησὶν. Addo *Plinium* L. XI. c. 45. *Eſt* (Camelo) *biſulcus diſcrimine exiguo pes imus, veſtigio carnoſo, ut urſo; qua de cauſa longiore itinere ſine calceatu fatiſcunt.* Verbo, diuiſa Camelo eſt Ungula, non fiſſa; ſed Ungula non dura, ſeu cornea, qualis eſt Ruminantibus mundis, verùm mollis, veluti carnoſa, quæ non ita facile deteritur inceſſu per loca aſpera, ſabuloſa, quàm ſi cornea foret.

Attamen, inquit Legislator, *ſurſum ruminationem reuocat*, quatuor gaudens Ventriculis μηρυκάζει δὲ ἡ Κάμηλος, ὥσπερ τὰ κερατοφόρα, δὶα τὸ τὴν κοιλίαν ὁμοίως ἔχειν ἐκείνοις. *Ariſtot.* L. III. c. 14. Horum equidem Ventriculorum ſtructura non eſt adeò, ut in mundis diſtincta, ſed unus ab altero veluti elevatione quadam aut valuula diſtinctus. Maximus eſt primus, ſecundus valde paruus, tertius ſecundo major longus, quartus denique ſecundo par. Id verò notatu eſt dignum, Ventriculo ſecundo ineſſe, tunicas inter, ſaccos ad viginti usque ſiue cauitates, apertas intus. Videntur hi ſacci eſſe Hydrophylacia, Animantibus his per arenoſa Deſerta incedentibus percommoda, ut tantò diutius ſitim ferre queant. Nam *Plinio* teſte L. VIII. c. 18. & Experientiâ, *ſitim quatriduo tolerant, implenturque cum bibendi occaſio eſt, & in præteritum, & in futurum, obturbata proculcatione prius Aqua: aliter potu non gaudent.* Et hæc ipſa eſt in hiſce Promptuariis Aqua, ad quam itinerantibus extrema ſiti periclitantibus ultimum eſt refugium, ventre Cameli aperto. Structuram hanc, ut *Ventriculorum*, ita quoque *Ungularum Cameli* ſpeciatim *Dromadarii* exhibeo Fig. I. II. III. ex *Societatis* Ill. *Regiæ Pariſinæ Actis* A. 1671. folio Regali editis, titulo, *Memoire pour ſervir a l'Hiſtoire Naturelle des Animaux*, quas & *Anatome* ſuæ *Animalium* inſeruit *Blaſius*. p. 352.

Fig. I. K. exhibet imam pedis Plantam ſolidam integram, cuti carnoſa molli tectam.

L. Pedis extremi ſeu Ungulæ ſuperiorem partem diuiſam.

Fig. II. III. A A A. Ventriculus primus & maximus.

Γ. Oeſophagus ſub ingreſſum Ventriculi abſciſſus.

B. Ventriculus ſecundus.

C. - - - tertius.

D. - - - quartus.

Δ. Pylorus.

O. Ventriculus ſecundus in quatuor partes diſſectus, ut conſpici poſſit.

N. Oſtium ex primo Ventriculo in ſecundum.

P. P. P. Cauitates illæ ſeu ſacci ὑδροφόροι, qui ſunt inter tunicas ſecundi Ventriculi.

Indicat vel ipſa hæc quatuor Ventriculorum Camelinorum ſtructura, perfectiorem elaborari chylum, Sanguinem, Carnem, quàm in Animalibus unico Ventriculo gaudentibus, imò Carnem eſui eſſe aptam. Teſtem habemus Ariſtotelem Hiſt. L. VI. c. 26. ἔχει δὲ καὶ τὰ κρέα, καὶ τὸ γάλα, μέχρι ȣ̃ ἐν γαςρὶ λάβῃ ἥδιςα πάντων. *Carnem habet & Lac Camelus, donec concipiat omnium ſuauiſſima.* Eadem promit *Plinius* L. XI. c. 41. *Cameli Lac habent, donec iterum graueſcant, ſuauiſſimum hoc exiſtimatur, ad unam menſuram tribus Aquæ additis.* *Diodorus* L. II. αἱ μὲν γάλα παρεχόμεναι καὶ κρεοφαγέμεναι πολλὴν παρέχονται τοῖς ἐγ-

χωρίοις

TAB. CCXXXIV.




LEVITICI Cap. XI. v. 4.
Camelus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 4.
Das Cameel.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

RPJCB




LEVITICI Cap. XI. v. 5.
Cuniculus, mus alpinus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 5.
Caninchen, Murmel-Thier.

*M. Tyroff sculps.*

χωρίοις δαψίλειαν. *Camelorum aliæ Lac præbentes, & Caro earum comeſa*, lautum incolis cibum ſuppeditant. Et de *Arabibus, Saracenis*, & *omni fere Barbaria* teſtatur *Hieronymus in Jouinianum* L. II. c. 6. quod *Camelorum Lacte & carnibus viuat*. Id quod de modernis Arabibus atteſtatur *Theuenot. voy.* P. II. L. II. c. 22. Imo verò & Regum menſis olim illatæ Carnes Camelinæ. *Antiphanes* apud *Athenæum* L. IV. in Oenomao aut Pelope.

- - - - - - ὁ Μάγειρος ὅλον
τέρας ὀπτήσας, μεγάλῳ βασιλεῖ θερμὴν παρέθηκε.
Κάμηλον.

- - - - - coquus ſolidum
Monſtrum coquens magno Regi calidum
Camelum appoſuit.

Sic *Heliogabalus*, teſte *Lampridio, comedit ſæpius ad imitationem Apicii calcanea Camelorum.*

Sed Judæis interdictus ex Camelis cibus. Tradunt Arabes, Jacobum hujus uſu frequentiore ſibi contraxiſſe Iſchiadicum Morbum, & propterea poſteros monuiſſe, ut ſibi cauerent. Fabulam id redolet. Quadrat magis, quòd DEUS hoc interdicto Judæos arcere voluerit à commercio cum Arabibus. Phyſicas ſi quæramus rationes, eſt quidem Camelus ruminans, ſed & proximè accedit ad ſolidipeda, ſtructuræ eſt fortis, carnis haud dubiè durioris, Animal durioribus, rudioribus, cibis aſſuetum. Dabitur forſan aliis, inquirere propius in hujus interdicti alias cauſas, ſi propius innotuerit Animalis hujus Natura.

# TAB. CCXXXV.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 5.

Cuniculus qui & ipſe ruminat, ſed ungulam non ſeparat, immundus ſit vobis.

Choerogyllus qui ruminat, ungulamque non diuidit, immundus eſt.

DE Animali *Schaphan* שָׁפָן, cujus occurrit heic, & Deut. XIV. 7. Pſal. CIV. 18. Prou. XXX. 26. mentio, non eſt eadem omnibus mens. Plerique Recentiores cum Verſione noſtra ſtant pro *Cuniculo*. Rationes ſunt ſequentes, 1. Bis in Lege jungitur cum Lepore, Animali congenere. 2. ipſi LXX. שְׁפַנִּים in Pſalmi loco citato explicant per λαγωνὲς, *Lepores*, licet quædam Exemplaria habeant χοιρογρυλλίους. 3. Vulgata in Prouerbiis vertit per *Lepuſculum*, ex Græco quodam Interprete, qui habet λαγιδεῖς, quo Vocabulo Græci deſignare ſolebant Cuniculos. 4. Nominum Liber vetus, quem *Philoni* adſcribunt, ſic habet: *Saphan, Choerogryllius, Lepus, vel Hericius*, 5. *Giggeji* Lexicon transfert *Saphan* per *Cuniculum*. 6. Videtur Hebræum nomen alludere ad סָפַן vel צָפַן tegere, abſcondere, quæ voces quadrant in *Cuniculum*.

*Martialis.*

Gaudet in effoſſis habitare Cuniculus antris.

7. Hebræi aliquot abhinc Seculis cuniculos appellarunt שְׁפַנִּים 8. Fauet Etymologia Σπανίας, *Spaniæ, Hiſpaniæ*, quæ Regio his Animalibus abundat. Et cuniculum in Numis pro Symbolo habet. Fig. B.

Videamus, quæ Cuniculis opponat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 32. Sed & ſub incudem examinis reuocemus. Primum eſt, non ruminare, teſte *Porta Cœli* f. 20. b. quod teſtimonium eludit *Bochartus* vel ſola correctione Textus, alia nempe ejus lectione. Sed ſunt majoris momenti alia, quæ regerimus. Non quidem ruminant adeò manifeſtè digitata hæc ut biſulca, neque illorum Ventriculi ſunt adeò, ut horum, diſtincti, non quadruplices, ſed nec ſimplices: diſcriminat & Oeſophagi inſertio, & Valuula membranacea eminens in duos. Pinximus eum Fig. I. Accedit Experientia. Mandunt hoc genus Animalia ſemihorâ poſt cibum: Et ſufficit Ventriculi duplicitas ad ruminationis negotium, quum unicus ſuffecerit Hominibus, qui ruminaſſe leguntur. Ut omnino non opus ſit, cum *Hier. Mercuriali Var. Lect.* L. I. c. 15. in ſubſidium trahere Leporum Cuniculorumue (nam horum eadem eſt ratio) Inteſtina tenuia & cœcum, quæ Ventriculorum præſtent vices, quod effugium placet quoque *Waldungo Lagograph.* c. 33. Parum hi offendunt fidei apud Anatomicos modernos, qui probè norunt, non inſeruire cœcum ciborum vel digeſtioni, vel ſemidigeſtorum repulſioni ad ſuperiora, imo ad Os. Ruminarent Animalia Excrementa tenuium Inteſtinorum cibis mixta, & prope id accideret ipſis, quod accidit Iliacis.

Pergimus. Secundam Objectionem dat Locus Prou. XXX. 26. ubi dicuntur שְׁפַנִּים *habitare in petris*, quod Cuniculis non competat, in terreno ſolo habitantibus. Sed nullius eſt & hæc pretii. Poteſt quippe Animal in Petris, locis petroſis & montoſis (quod de Cuniculis affirmant Hiſpani, & Gentes aliæ) habitare, & tamen in ſolo terreno. Supereſt tertia Objectio, quæ Cuniculum exhibet ut Animal olim Hiſpaniæ peculiare, quæ à Judæa mirum quantum remota, ut neceſſe haud fuerit, eſum illius Judæis prohibere. Stat hæc Objectio teſtimoniis *Varronis Ruſt.* L. III. c. 12. *Plinii* L. VIII. c. 55. *Æliani Animal.* L. XIII. c. 15. *Galeni* L. III. de *Alim.* comprobaturque ex Nummis *Hadriani*, in quibus *Hiſpaniam* præſentat figura mulieris dextrâ gerens ramum Oleæ, cum Cuniculo ad pedes. Unde & hæc Prouincia *cuniculoſa* cluet *Catullo*, & mouit ea inprimis *Bochartum*, ut de alio potius Animali cogitaret. Verùm enim verò neque hoc Argumentum mihi videtur magni Ponderis: Poſito, Hiſpaniam Cuniculorum eſſe patriam, imò illam ab his nomen traxiſſe, nondum inde ſequitur, alibi hoc Animantium genus non dari. Docet nos Experientia moderna, viuere poſſe, & viuere reuerà, ubiuis Terrarum Cuniculos. In tanta rei obſcuritate difficile putat *Bochartus* (cujus tamen rationes minus ſunt, quod vidimus, validæ) ſeſe pro Cuniculis determinare, tantò magis, quia vetuſtiſſimi Chaldæi, Syri & Samaritani pro שָׁפָן voces nobis obtrudant prorſus ignotas, *Onkelos* טפזא *taphza Jonathan* טווזא *tauza*, Samaritanus *taphſa*, Syrus *Chagaſa*, Æthiops *Legiche*. Sed *Bocharto* obſtat, adhuc hodie Turcas & Arabes *Cuniculum* appellare *ada tawſani*, *ada tawſanghigg* teſte *Meninzk. Lex.* 107. 3145.

Non eò quidem tendunt rationes hactenus contra *Bochartum* allegatæ, ut *Cuniculum* obtrudam pro *Saphan*, ſed ut conſtet, minus habere roboris argumenta ab ipſo prolata. Haud quippe diſplicet ipſa *Bocharti* ſententia, quæ *Muri alpino*, *marmotæ*, fauet. In Prouerbiis ſanè Arabes habent *alwebro*, in Lege *Alphenaco*, quorum Animantium deſcriptio, ſicuti eam dant Scriptores Arabes conuenit *Muri alpino*, vel cum *Sciuri* aut *Echini* ſpecie. Ut ex Arabum mente nihil certi definire liceat, neque ex Verſionibus Græcis, quæ inter ſe admodum variant. Sunt quippe, qui λαγωνὲς, *Lepores* reddunt: *Clemens Alexandrinus Hyænam*: LXX. *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion* χοιρογρυλλίες, de qua voce nihil conſtat ex optimis Zoographis veteribus, *Ariſtotele*, *Plinio*, *Æliano*, *Oppiano*, *Phile*: poſterioris æui aliis *Erinaceum* interpretantibus, ut *Heſychio*, *Suida*. *Hieronymus*, qui Pſ. CIV. *Herinaceum* reddidit, in *Epiſt. ad Suniam* χοιρογρύλλιον vocat ἀρκτομῦν, cui reſpondet Arabicum *aljarbuo*. Siſtunt autem & Græcorum veterum & Arabum deſcriptiones Animal, quod Urſi ad inſtar incedit bipes, prioribus pedibus breuioribus tanquam manibus utitur, murini generis, in petris nidificans & latibulis, ruminans, cibo aptum, gregarium, quæ notæ omnes *Muri alpino* quadrant, de quo ex Prou. l. c. aſſerere & id poſſumus, eſſe *Gentem minime potentem*.

Immundum eſt, Lege diuina, *Saphan*, neque ſunt obſcuræ rationes, ſupra allegatæ, quæ & *Cuniculum* & *alpinum Murem* infra propriè ſic dicta ruminantia ponunt. De *Cuniculo* vidimus, eum ruminare, ſed unico fere Ventriculo, vel quaſi duplici. *Alpini Muris* caro, à qua ut non abhorrent Arabes, ita neque Alpicolæ noſtrates, ingratâ pinguedine ſociata ſuillam ſapit, unde forte & χοιρογρυλλίε nomen. Pendet ſpecialior αἰτιωλογία à conſideratione Ventriculi, quem examinare nondum licuit. Interea id conſtat, ab his Animantibus non poſſe elaborari adeò perfectum chylum, qualem quidem conficiunt Ruminantia, carnem proin eſſe minus ſalubrem. Sed ignorantiam Anatomes ſapit prouocatio illa *Cunæi de Rep. Hebr.* L. II. c. 24. *Doceat quiſpiam me, cur edicto Numinis impuræ ſint Quadrupedes, quarum fiſſæ ungulæ non ſint. Nam Cuniculos quidem Leporesque inter cibos habere apud cunctas hercle Nationes fas & jura ſinunt, & ſolis Hebræis haud licitum eſt.*

Ventriculi Muris alpini figuram ſiſtit A.

RPJCB




Levitici Cap. XI. v. 6.
Arnebeth, Lepus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 6.
Der Haaſe.

*Catha. Sperlingen sculps.*

# TAB. CCXXXVI.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 6.

Et Lepus, qui ruminationem reuocat ſurſum, at ungulam non ſeparat, immundus ſit vobis.

Lepus quoque: nam & ipſe ruminat, ſed ungulam non diuidit.

ARnebeth, אַרְנֶבֶת quæ vox heic occurrit, & Deut. XIV. 7. *Leporem eſſe*, nullum eſt dubium. Conſentiunt Hebræi cum omnibus Interpretibus, veteribus & modernis. Arabes adhuc hoc Animalis genus appellant *arneb, erneb, eraneb. Meninzk. Lex.* 151. 3144. Adſunt quoque teſtimonia Mythologi *Locmani, Auicennæ, Damiris, Abenbitaris.* Scrupulum mouere videntur Græci, quibus Δασύπες vertitur, quod Animal à Lepore diuerſum, deſcribere videntur *Ariſtot. Hiſt.* L. I. c. 1. Plin. L. VIII. c. 55. X. c. 63. Videntur, inquam, ſed tum ex iisdem Scriptoribus, tum aliis, omnibusue Lexicographis conſtat, λαγωνὸν vel λαγῶδα eundem eſſe cum δασύποδι. Pluribus hoc demonſtratum it *Bochart Hieroz.* P. I. L. III. c. 32. Certum eſt inſuper, à Leporis eſu abhorruiſſe ſemper Judæos. Audi *Plutarchum Sympoſ.* L. IV. c. 5. καὶ τοῦ λαγοῦ φησί τις ἀπέχεσθαι τοὺς ἄνδρας, ὡς μυσαρὸν καὶ ἀκάθαρτον δυσχεραίνοντες τὸ ζῶον. *Aliquis eos homines à Lepore abſtinere dicit, quia hoc Animal tanquam pollutum & immundum dedignantur.* Alia teſtimonia, ſpeciatim Interpretum, omitto.

Ruminare Leporem teſtatur Moſes. Alia vetuſta teſtimonia nobis deſunt. Imo vero multi ruminare negant, vel dubitant. Hinc eſt, quod Græcam Verſionem corruperint, & pro ὅτι ἀνάγει μηρυκισμόν, poſuerint οὐκ ἀνάγει. Qua negatione tamen carent optimi quique codices. Negatiuam ſuffulcire videtur Ventriculi ſimplicitas, in Leporibus atque Cuniculis obſeruabilis. Sed vidimus ſupra, occaſione Cuniculi, ſimplicitatem Ventriculi non obſtare Ruminationi, & Ventriculum his Animantibus non tam ſimplicem eſſe, quàm duplicem, ſaltem valuula membranacea eminenti interſtinctum. Structuram hanc accuratè, ut ſolet, deſcribit *Peyerus Ruminat.* L. II. c. 6. Ruminationis aliud indicium eſt coagulum, cujus & meminit *Ariſtot. Hiſt.* L. III. c. 22. ruminantibus commune. Addi poſſent Cornua, ſed ſunt cornuti Lepores rari Exempli. Ea nihilominus ad marginem ſiſto ex *Velſch. Hecatoſt.* I. p. 34. Additur in Textu, *Ungulam non ſeparare* Leporem, ſcilicet opponitur heic Ungula diuiſa non continuæ, ſed multifidæ. Non eſt Lepori, uti aliis Ruminantibus, Ungula continua biſulca, ſed πολυσχιδής.

Pergimus in inueſtigatione Rationum præcepti Phyſicarum, ſi quæ ſunt. Si veteres audiamus Medicos, tum Græcos, tum Arabes, *Galenum, Aetium, Raſen*, gignit caro Leporina Sanguinem craſſum & melancholicum. Argumentum ſine dubio ſiniſtræ huic famæ dedit niger & carnis, & juſculorum, quibus cum apponitur, color ſuſpicioſi quid ſecum ferens. Sed audiamus, quomodo infamiam hanc depellat ipſe *Ventriculus* in ſuis lepidiſſimis *Swalvio* procuratore *querelis.* p. 149. *Non eluceſcit, quod ſolum melancholicum & atrum exhibeat ſuccum. Fidei fluxæ argumentum coloris eſt. Deſidia, ſanguinisque craſſities non urget magis Leporem, ac aliud quoduis Animal minus exercitum. Ejus Acrocolia in nigredine piperata latentia ſi turbas mihi cient, non imputent, quæſo, Lepori impudenter, ſed Gulæ ſuæ. Quid autem attinet de hac ignominia pluries logos funditare, ſiquidem jam totas turbaſſet familias Melancholia, quibus quidem ego nîl frequentius accipio ac Leporinam.* Leporem apud Romanos in magno fuiſſe æſtimio conſtat ex *Epigrammate* XIII. *Martialis.*

Inter Quadrupedes gloria prima Lepus.

Ridiculum legitur commentum in *Plutarchi Sympoſ.* L. IV. *Qu.* 5. Judæos à Leporis uſu abſtinuiſſe, non quia immundum crederent, ſed quia toto habitu corporis Lepus eſt Aſino ſimilis, qui ſcilicet apud illos magno in honore fuerit, & quondam ſitientibus monſtrauerit Aquæ fontem. Patres, ex Philoſophiæ neglectu nimiùm ſæpe moralizantes, Legislatorem reſpexiſſe volunt ad nimiam Leporis libidinem, ut qui miræ ſit fœcunditatis, & frequentiſſimè coeat. Alii ad timiditatem oculos jaciunt, rurſus alii ad hermaphroditicam naturam. Sed ſunt omnia hæc Philoſophemata nullius roboris. Reſpicimus nos potius ad ſimplicem ferme Leporis Ventriculum, qui cibos non tam benè conficit; neque inde Sanguinem adeò parat laudabilem, ut alia Animalia ruminantia propriè ſic dicta.

In Tabula præſenti exhibet
Fig. A. Leporis Sceleton.
Fig. B. Leporem rariorem cornutum.
Fig. C. Cornua.

# TAB. CCXXXVII.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 7.

Et Sus, quum Ungulam ſeparet findatque fiſſura Ungulam, Ruminationem tamen non reuocat, immundus ſit vobis.

Et Sus: qui, cum Ungulam diuidat, non ruminat.

PErgimus cum Legislatore ad *Sues*, ſiue *Porcos*. Vocatur Animal hocce Judææ Genti odioſum, imo maledictum חזיר *Chazir*, ſic & Syris, & Turcis hodienum *Chænazir*, *Aper*, *Chynzir*, *Porcelli chænanys* Plur. τᾶ *Chynnewos* & *Chyrnæwos*. *Meninzk. Lex.* 1947. 1948. 1952. 1954. 3149. 6052.

Multam & magnam Interpretes operam nauant, ut cauſas inquirant immunditiei Quadrupedibus biſulcis, quæ Porcinum conſtituunt genus, propriæ, & tantopere apud Judæos odioſæ, quas tamen inueniſſent ſtatim tum in interiorum viſcerum ſtructura, tum in vitæ ratione. Ungulas equidem habent fiſſas, imò per totum ſciſſas פַּרְסָה מַפְרִיס פַּרְסָה הוּא וְשֹׁסַע שֶׁסַע, *diuidens Ungulam ipſe*, & *findens fiſſuram Ungulæ.* Sed unicus illi eſt Ventriculus, nullaque prorſus adeſt Ruminatio, ut proin inferiori adhuc gradu locari debeat quàm Camelus, Cuniculus, Lepus, Musque alpinus, ſiue, chylum non tam benè excoquat, ac quidem hæc Animantia, quæ ruminant. Qui inſuper attendit ad vitæ genus ſordidiſſimum, cibos quibus utuntur abjectiſſimos & ſpurciſſimos, vetitum fuiſſe Animalis hujus eſum populo, cui per legem injuncta ſummi gradus mundities, haud mirabitur. Magno eſt nobis uſui Porcus, qui quotannis, approximante inprimis Hyeme, ingentem mactamus numerum Animalium horum *ad mortem nutritorum*, ut *Lactantii* verbis utar *Inſtit.* L. IV. c. 17. Sed Judæis inutile prorſus erat Terræ pondus, nec Sacrificiis, nec cibis, nec aliis uſibus aptum.

Sunt cauſæ, quas alii adferunt, vel falſis Traditionibus nixæ, vel extra Philoſophiæ cancellos relegandæ, vel inſufficientes. Apud *Tacitum* legimus *Hiſt.* V. *Sue abſtinent Judæi memoria cladis, quod eos ſcabies quondam turpauerat, cui id Animal obnoxium. Calliſtratus* apud *Plutarchum Sympoſ.* L. IV. c. 5. quod Judæi Suem colant, ut Ægyptii, utpote qui τῷ προὔχοντι τῆς ὀρυχῆς ſummo roſtro, Terram proſcindens arationem primus docuerit, & uſum Vomeris, qui ὕνις dicatur, ἀπὸ τῆς ὑὸς. Ibidem *Lampridius* quatuor allegat Rationes, quæ omnes ſimul ſumtæ vix ultra dimidiam valent. 1. quia ſub Ventre ſolet eſſe λέπρας ἀνάπλεκος, καὶ ψωρικῶν ἐξάνθημάτων, *Leprâ plenus*, & *ſcabiei puſtulis.* 2. quia non aliud eſt Animal βορβόρῳ χαίρων ἔτω, καὶ τόποις ῥυπαροῖς, καὶ ἀκαθάρτοις, *cœno tam gaudens ſordidisque & impuris locis.* 3. quia cœlum nunquam videt niſi ſupinus. 4. quia à Sue *Adonis* interemptus eſt, quem alii Baccho in deliciis, alii eundem cum *Baccho* fuiſſe putant, quem Judæi coluerint.

Ex his *Lampridii* rationibus ſecunda ſola eſt alicujus momenti, conferenda cum *Maimonide* in *More Nevochim* P. III. c. 48. *Potiſſima*, inquit, *cauſa, propter quam Lex nobis prohibuit carnibus ſuillis veſci, eſt fœda Porcorum ſordities, & quod multas ſordidasque res comedant. Noſti enim, quàm anxie Lex omnes ſordes, omnemque immunditiem prohibuerit, in agris quoque, & in caſtris, ut nîl dicam de ipſis Urbibus. Quod ſi autem permiſſum eſſet, porcos comedere, plateæ & domus omnes longè ſordidiores eſſent quam ſterquilinia & Latrinæ.* Nec de nihilo eſt, quam afferunt Talmudiſtæ, Porcum comedenti periculum eſſe à Lepra. Sic legimus in *Plutarchi Iſide.* τῶν (ὑῶν) τὸ γάλα πινόντων ἐξανθεῖ τὰ σώματα λέπραν, καὶ ψωρικὰς τραχύτητας. *In eorum, qui Lac ſuillum bibunt, corporibus, Lepra pullulat, & ſcabiei aſpredines.* Idem habet *Ælianus* L. X. c. 16. ex *Manethone*, ὅτι γάλακτος ὑείȣ γευσάμενος ἀλφῶν ὑποπίμπλαται καὶ λέπρας, *eum, qui ſuillo Lacte veſcatur, vitiliginibus & Lepra oppletum iri.* Non, inquam, de nihilo eſt, hæc contemplatio; non ignoramus Medici, quanta incommoda afferat corpori ſuillæ carnis eſus, ſcorbuticis inprimis, Arthriticis, Scabioſis, Leproſis, & in genere omnibus aliis Intemperie Sanguinis falsâ ſiue acrimoniâ quauis laborantibus, unde nihil frequentius, quàm carnis hujus ſeu omnis, ſeu infumatæ & ſalitæ, eſu interdicere. Et eſt hæc conſideratio tantò majoris momenti, quo calidior eſt Regio, ſalia Corporum magis euecta ſiue exaſperata qualis utique fuit Judæa.

Ex hactenus dictis clariſſimè, ut quidem puto, patet, adeſſe rationes Phyſicas interdicti. Omiſerant has Patres, vel ex Philoſophiæ ſanioris neglectu, vel nimio Allegoriarum amore, & omnia applicarunt ad mores. Sic *Clemens Alexandrin. Pædag.* L. III. per *Sues* intelligit,



LEVITICI Cap. XI. v. 7.
Chazir, porcus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 7.
Das Schwein.

*M. Tyroff sculps.*

RPJCB

ligit, qui ἡδοναῖς σωματικαῖς καὶ δεισαλέαις τροφαῖς, καὶ γαργαλισμοῖς ἀσελγέσι κνηςιῶντες, πρὸς Ἀφροδίτης κακόχαρτον ἡδονὴν χαίρουσιν, *corporeis voluptatibus, ſtercoreisque cibis, & impudicis titillationibus prurientes ad pernicioſam Veneris voluptatem exultant.* Item *Stromat.* L. II. carnem ſuillam utpote multi nutrimenti *utilem* eſſe dicit iis, *qui corpus exercent* (athletis), *iis autem, qui ipſam Animam augere conantur, non item, propter hebetudinem, quam ingenerat ejus hujusmodi carnium. Novatianus de cibis Judaicis* c. 3. *Suis* nomine intelligit *cœnoſam & luteam, & gaudentem vitiorum ſordibus vitam, bonum ſuum non in Animi generoſitate, ſed in ſola carne ponentem.* Similia habet *Lactantius Inſtit.* L. IV. c. 17. *Procopius in Leuiticum.* Inſeruiunt ſæpe hujusmodi Allegoriæ pro Cathedra, ubi Auditores non tam ſunt Phyſicæ quàm Ethicæ Præceptis imbuendi. Ipſe magnus *Bochartus* L. II. c. 57. applicativè ad Interdicti cauſas à Legiſlatore expreſſas per Ruminantem intelligit, qui cibum Animæ, id eſt, Verbum DEI aſſidua meditatione recolens ita mandit & concoquit, ut in alimentum ſuum conuertat. Et fiſſam habere ungulam dicit Hominem Spiritualem, qui omnia diſcernit & dijudicat, ut poſtquam probauit omne, id retineat, quod bonum eſt. Suam ita quiuis amat amaſiam: φιλαλλήγορος Allegorias, Phyſicus Rationes ex Hiſtoria Naturæ petitas, quæ ipſæ ſæpe mores, vel diſpoſitionem ad eos, mutant, & quibus aſſociari commode poteſt, quam ſupra ex *Clemente Alexandrino* allegaui. Pingues ſanè cibi, (pinguedine autem abundant Porci) augent & Pingue, oleoſum, corporis noſtri: premit Pinguedo, ſi exundet, Muſculos, aliasue partes motui deſtinatas; impedimento eſt motui, aliisue ſecretionibus. Unde videmus, ineptos eſſe obeſos motibus Animi & Corporis, Laboribus, Mentis ſubtilioribus cogitatis. Et vel commune Veriuerbium porcinam Carnem dicat potius Ruſticis & Lignicidis, quam delicatioris texturæ Hominibus.

Fuit hæc, quæ Porcinæ Carnis interdictum reſpicit, Lex adeò præciſa, ut in transgreſſores omni tempore fuerit grauiter animaduerſum. Audi Prophetæ, imo DEI, querimoniam Jeſ. LXV. 3. 4. *Sacrificant* (populus meus) *in Hortis, & ſuper lateres ſuffitum faciunt, ſedent in ſepulchris, & in delubris pernoctant, edunt carnem ſuillam, & jus abominandorum in vaſis eorum eſt,* id eſt, in ollis, in quibus ſuillæ carnes elixantur. *(Immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres: qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem ſuillam, & jus prophanum in vaſis eorum.)* & LXVI. 17. *Qui ſe ſanctificant, & qui ſe purificant in hortis poſt januam in medio, comedentes carnem ſuillam, Glirem, & hujusmodi abominanda, ſimul tollentur. (Qui ſanctificabuntur, & mundos ſe putabant in hortis poſt januam intrinſecus, qui comedebant carnem ſuillam, & abominationem & murem: ſimul conſumentur.)* Et præciſa Legis obſeruantia anſam dedit Judaici nominis hoſtibus, Nationem hanc tanquam vel ſuperſtitioſam, vel dementem, falsè deridendi, imo perſequendi. Apud *Joſephum Lib. de Maccabæis* hæc legitur Antiochi ad Eleazarum adlocutio. Διὰ τί τῆς φύσεως &c. *Cur cum optimam ejus Animalis carnem natura indulſerit, illius eſum abominaris? Inſanum enim eſt non frui deliciis, quæ probroſum nihil habent, neque juſtum eſt, Naturæ dona repudiare.* Quinimò idem Tyrannus, poſtquam in Templo ipſo Hieroſolymitano mactaſſet Sues, Fanis & Aris pro hujusmodi hoſtiis oppidatim extructis, Judæos ad impura hæc ſacra adegit, metu Mortis intentato. Lege 1. Maccab. I. 50. 2. Maccab. VI. 18. VII. 1. *Joſeph. Ant.* L. XII. 7. *Bell. Jud.* L. I. c. 1. Sed nec valuerunt profanorum hominum deriſiones, nec Tyrannorum minæ, Judæos abſterrere ab Obſeruantia Legis. De virtute & agone Eleazari & ſeptem fratrum unà cum Matre legantur Loca citata. Et nonnulli Animal hocce ita ſunt deteſtati, ut ne nominare quidem fuerint dignati alio quàm דָּבָר אַחֵר *rei alius* titulo.

Obſeruandum inſuper, non ſolos Judæos ſuillâ carne abſtinere, ſed & Gentes alias. De *Arabibus* teſtimonium extat apud *Plinium* L. VIII. c. 52. *Solinum cap. de Arabia.* de *Saracenis* apud *Hieron.* L. II. in *Jouinianum* c. 6. De *Phœnicibus* legatur *Herodianus* L. V. ubi de *Heliogabalo,* eum Suibus *abſtinuiſſe Phœnicum lege,* Φοινίκων νόμῳ. Licet aliud de illo referat *Lampridius.* De *Ægyptiis* infit *Herodotus* L. II. c. 47. ὗν δὲ Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι. καὶ τοῦτο μὲν ἤν τις ψαύσῃ αὐτῶν παριὼν ὑὸς, αὐτοῖσι τοῖσι ἱματίοισι ἀπ' ὦν ἔβαψε ἑωϋτὸν, βὰς εἰς τὸν ποταμόν. *Suem autem Ægyptii pollutum Animal eſſe putant. Et eum ſi quis vel transeundo contigerit, abit immerſum ſe flumini cum ipſis veſtibus.* Cauſam impuritatis *Plutarchus de Iſide* vult, quod *plerunque coire videatur Luna decreſcente.* Ælianus *Hiſt.* L. X. c. 16. potius impuram & crudelem voracitatem, quod *ne propriis quidem fœtibus parcat, & cum in humanum corpus incidat, non abſtineat, ſed illud mandat.* Addi Gentibus hactenus nominatis poſſunt Barcææ mulieres in *Africa Cyrenaica* ex *Herodoto* L. IV. c. 186. *Æthiopes* ex *Porphyrio: Indi* ex *Æliani* L. XVI. c. 37. *Caraibes* ex *Hiſt. des Isl. Antill.* p. 410.

# TAB. CCXXXVIII. CCXXXIX.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 9. 10. 11. 12.

9. Ex omnibus verò, quæ in Aquis ſunt, hoc comedetis: quæcunque in Aquis pinnulas habent & ſquamas, tam in Mari, quàm in Fluminibus, ea comedetis.
10. Et quicquid pinnulas non habet, ac ſquamas, in Mari & Fluminibus ex omnibus Reptilibus aquaticis, & ex cuncta Anima viuente, quæ in Aquis eſt, abominandum ſit vobis.
11. Abominanda inquam ſint vobis, de carne eorum ne comedatis, & cadauer illorum horreatis.
12. Quicquid in Aquis pinnulas & ſquamas non habet, ſit vobis abominandum.

9. Hæc ſunt quæ gignuntur in aquis, & veſci licitum eſt: Omne quod habet pinnulas & ſquamas, tam in mari, quàm in fluminibus & ſtagnis comedetis.
10. Quicquid autem pinnulas & ſquamas non habet eorum, quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis:
11. Execrandumque erit. Carnes eorum non comedetis, & morticinia vitabitis.
12. Cuncta quæ non habent pinnulas & ſquamas in aquis, polluta erunt.


A Terricolis Quadrupedibus pergimus ad Aquicolas, *Piſces*, de quorum ſtructura admiranda, Dentibus, Oculis, Branchiis, Ventriculis, Spinis, Muſculis, Veſica natatoria plura dicenda haberem, ſi animus eſſet Ichthyologiam dare, ſpeciatim ad cognitionem DEI Creatoris applicatiuam. Duas partes præterire nequeo, quia earum meminit Legiſlator ſummus, *Pinnas* & *Squamas*.

*Pinna*, סְנַפִּיר *Senaphir*, πτερύγιον, plerisque populis nomen habet ab Alarum ſimilitudine, quia quemadmodum Aues alarum beneficio volant, & Piſces Pinnarum auxilio natent; Vetus hæc eſt opinio, ſed malè fundata. vid. *Borellus de motu Animal. prop.* 212. Eſt breuitas Vectis, palarum anguſtia, flexibilis cartilaginoſa ſtructura inepta prorſus ad impellendam Aquam ea vehementia, quæ ad velociſſimum Piſcis motum eſt neceſſaria. Imò, ſi Piſces mouentur, Pinnæ non agunt remorum inſtar, ſed lateribus Piſcis admouentur, & expanſæ quietem potius inducunt, quemadmodum Nauium impetus expanſis in Aquam remorum palis retardatur; atque reſectis Pinnis nihilominus veloci curſu Piſces mouentur. Ut verus Pinnarum uſus ſit, ſpeciatim duplicatarum imi ventris, piſces tenere in ſitu erecto, ne vel vacillent, vel reuoluantur Ventre ſupino, id quod fit reſectis Pinnis: & verum, adæquatum, motus illius velociſſimi Inſtrumentum ſit Cauda, & muſculoſa caro. Modus, quo hic Motus fit, exponitur à *Borello prop.* 214.

Sunt *Squamæ* קַשְׂקֶשֶׂת *Kaskeſeth* Piſcibus, quod militibus Lorica, & Clypei, quod nobis cuticula: obtegunt ſubjectam Carnem, ne quid damni patiatur, ab allapſu Aquæ: ſtructuræ ſunt artificioſiſſimæ, ut vaſa ſubtiliſſima ad extrema earum penetrent, non proin conferendæ cum Hominum Unguibus, neque Brutorum Unguibus & Unguiculis. Qui ſquamis carent Piſces, iis inſeruit clypei loco mucus copioſus, quo illi toti oblinuntur, proin attactu valde ſunt lubrici. Squamarum formam ſub Microſcopio auctam ſiſto in Tabula CCXXXIX. ex Hoock Micrograph. p. 162. *Soleæ* nempe Piſcis. Quæ Solea comparet F. I. ejusque Squamæ II.

Ingrediuntur *Pinnæ* Diuiſionum Claſſes: ſic dantur ex. gr. qui pinnis ventralibus carent, non ſpinoſi dorſo tripinni, bipinni, unica in dorſo Pinna: ſpinoſi rurſus unica in dorſo Pinna, dorſo bipinni &c. Juxta Moſis ductum diſtinguere poſſemus Piſces in 4. Claſſes. 1. Pinnis ſimul præditos & Squamis. 2. Pinnis quidem inſtructos, ſed ſquamis carentes. 3. Squamatos, ſed non pinnatos. 4. nec Pinnas habentes, nec ſquamas. Ex quibus ſoli primi generis erant mundi.

Immun-





Levitici Cap. XI. v. 9-12.
Anguilla, Muræna, Lamperta.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 9-12.
Aal, Neün=Aug.

*I. A. Fridrich sculps.*

BPJCB



LEVITICI Cap. XI. v. 9-12.
Solea cum ſquamis.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 9-12.
Die Sole und dero Schüppen.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

RPJCB




LEVITICI Cap. XI. v. 13.
Neſcher, Aquila.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 13.
Der Adler.

M. Tyroff sculps.

RPJCB



Leviticі Cap. XI. v. 13.
Girfalco et Haliætus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 13.
Geyer-Falck, See-Adler.

*M. Tyroff sculps.*

Immundorum & mundorum Piſcium diſcrimen inuenimus quoque extra Scripturam. *Romani* non *pollucebant* niſi ſquamoſos: erat autem *Polluctum* ſacrificium, vel ſacrum Epulum in Deorum honorem inſtitutum. Legem ipſam ex *Caſſio Hemina* ita citat *Plinius*. L. XXXII. c. 2. *Numa conſtituit, ut Piſces, qui ſquamoſi non eſſent, ne pollucerent.* Excipit *Feſtus Scarum* ex ſquamoſis, tanquam rarum, vel qui magno venibat. Sacerdotes Ægyptii veri erant Anti-Carthuſiani, Piſcium omnium oſores, quod diſcimus ex *Porphyrio de Abſtin.* L. II. c. 37. & *Herodotus* L. II. c. 37. teſtatur, ἰχθύων οὔ σφι ἔξεστι πάσασθαι. Aſt Plebi permiſſa erat ἰχθυοφαγία, imo verò fuit poſt Plantarum Radicumue uſum δευτέρα διαγωγὴ ἡ τῶν ἰχθύων βρῶσις, teſte eodem L. II. c. 93. & *Diodoro* L. I. Piſciferam autem præ multis aliis eſſe Regionem Ægyptum nemini non, vel ex ſitu, conſtat. Teſtimonio eſſe poterit inter alia *Moeridis Lacus*, cujus Piſcatio per ſex ſeptimanarum decurſum in dies Fiſco Regio Talentum intulit.

De cauſis Phyſicis Præcepti inhibitorii ſilent, quantum quidem ſcio, Interpretes Sacri Codicis. Non diſcedam ego, vel pergam, re intactâ. In Catalogo *Piſcium* prohibitorum ſunt omnes *Anguilliformes*, utpote ſquamis carentes, læues, lubrici. Horum eſt, reptare potius in Aquis, quàm veloci raptu moueri, & in Aquis quidem ſtagnantibus, ſæpe putridis, cœnoſis, lutoſis, immundis. Hujusmodi Piſces, Muræna, Lampetra, Anguilla non benè audiunt Medicis, vel ob nimiam mollemque Pinguedinem, quæ comparari poteſt Porcinæ, etiam immundæ. Et in genere ad prohibitos pertinent omnia illa Animantia tardigrada, quæ in Aquis, ſeu lacuſtribus, ſeu fluuiatilibus, vel marinis degunt, quæ ob lentiorem corporis ſui motum minus benè digerunt cibos, & vel ob id conferri poſſunt cum Quadrupedibus unico Ventriculo præditis. Et emphatica mihi planè videntur verba, quæ extant v. 10. מִכֹּל שֶׁרֶץ הַמַּיִם וּמִכֹּל נֶפֶשׁ הַחַיָּה אֲשֶׁר בַּמָּיִם *ex omni reptili Aquarum, & de omni Anima viuente, quæ in Aquis.* His excludi mihi numero licitorum ſeu mundorum videntur præter Piſces ſupra memoratos omnia *Exanguia aquatica*, Cruſtacea, Teſtacea, Conchæ, Cochleæ, quorum etiam pleraque nullibi Terrarum comeduntur, imò multa venenatæ ſunt indolis.

Siſtit Fig. A. Tab. CCXXXVIII. *Anguillam.*
B. *Murænam* Saluiani.
C. Lampetram alteram minorem.

# TAB. CCXL. CCXLI.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 13.

In Auibus hæc ſunt, à quibus horrere, nec ea comedere debetis, abominanda enim ſunt, Aquila, Accipiter, Aquila marina.

Hæc ſunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda ſunt vobis: Aquilam, & Gryphem, & Haliætum.

Ornithologiæ eadem erit heic tractatio, quæ fuit Ichthyologiæ, non tam ad Theologiam naturalem generatim, quàm ad Præceptum permiſſorium & prohibitorium ſummi Legislatoris applicatiua. Dabitur alibi commodior DEUM demonſtrandi occaſio ex Auium integra & artificioſiſſima ſtructura, Roſtri, Capitis, Oculorum, Colli, Alarum, Pedum, Plumarum, Caudæ, Muſculorum, Volatus Inſtrumentorum, Cerebri, Pulmonum, Ventriculi, Inteſtinorum, Renum, ex Generatione, magnitudine, Nidis, amore erga Pullos. Manebo intra terminos præſcriptos.

Sunt omnes Aues quodammodo Animalia ruminantia, non quidem eo & ſtricto ſenſu, quòd cibos ex Ventriculo reſumant in Os, ſed quòd melius non ruminantibus digerant, & eſt Ruminationis duplex indicium, obſeruatum jam olim *Ariſtoteli Anim.* L. III. c. 14. nimirum Dentium abſentia, & Ventriculorum pluralitas, qua niſi ſubueniſſet Creator optimus, infeliciſſima foret edentulorum Animalium digeſtio. Sunt nempe Auibus tres *Ventriculi*, primus *Ingluuies*, Ariſtoteli πρόλοβος, ſecundus μέρος ὀγκῶδες, *Guttur* der *Kropf*, tertius κοιλία σαρκώδης καὶ στιφρά, *venter carnoſus calloſusque Plinio, Ventriculus* κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictus, quorum omnium ſtructuram egregiè explicauit *Peyerus*. Primi eſt recipere, & aliquantum mollire, ſecundi, melius præparare ac digerere, tertii molere, & in pultem redigere exuccam plerunque eſcam, quæ molitio inſuper adjuuatur deglutitis ſiliculis, & quibuscunque aſperioribus. Hæc, de qua hactenus, Ventriculorum ſtructura perfectior longe eſt in *Auibus mundis*, & graniuoris, *immundis* è contra & carniuoris tenuior, membranoſior, carni eique ſæpe putrilaginoſæ digeren-

gerendæ ſufficiens. Hinc rurſus petenda diſcriminis inter mundas & immundas, licitas & prohibitas, ratio, cui ſociari poteſt ipſa Cadauerum eſca immunda, qua victitant carniuoræ, πτῆνα σαρκοφάγα, Ægyptiis quoque Sacerdotibus prohibita, teſte *Porphyrio de Abſtin.* L. IV. §. 7.

Ante inſinuandum, quàm ad enumerationem ſpecialem *Auium* prohibitarum pergo, *rapacibus* his à DEO Creatore datam eſſe ſtructuram vitæ generi prorſus conuenientem, *caput grande, collum breue, Roſtrum & Ungues aduncos, validos & acutos, ad rapinam & lanienam comparatos: femora valida & muſculoſa, ad prædam feriendam & dejiciendam:* ——— *inſigne viſus acumen, ad prædam diſpiciendam.* ——— *fœminas, quæ non ſibi tantùm, ſed & ſoboli proſpicere debent, maribus corporis mole majores eſſe, formâ ſpecioſiores, viribus fortiores, indole generoſiores, ferocioresue. Willoughb. ornithol.* p. 25. Nec omittendum, mortuis his Auibus carnem citius putreſcere, quam aliis, ex quo etiam indicio conſtat, minus benè nobis illarum carnem conuenire.

Ex generali hac Auium rapacium, quæ immundis accenſentur, deſcriptione, quæ inprimis interiorem Ventriculi ſtructuram ſpectat, patet, non ſtatim ex primo aſpectu diſtingui poſſe mundas ab immundis, ſicuti è contrà Piſces ſquamoſi à non ſquamoſis à nemine non diſcerni facile poſſunt. Hinc, opinor, eſt, quòd ad ſpecialem Piſcium enumerationem non deſcenderit Legiſlator, ſed quidem ad Auium.

Prima immundarum eſt נֶשֶׁר, *neſcher*, *Aquila*, Auium rapacium diurnarum maxima, Rex Auium,

Ἀιετὸς οἰονῶν προφερέςατος.

Aquila Auium præſtantiſſima.

*Quint. Smyrn.* L. III. v. 353. de cujus inſigni prærogatiua multa allegari poſſent ex Authoribus profanis & ipſis Ornithologis teſtimonia, viſunda apud *Bochart. Hieroz.* P. II. L. II. c. 1. Hebræum πτηνοκράτωρος hujus (ſic Aquilam *Philo* nominat) nomen R. *Bechai* in Gen. II. deducit à Chaldæo נשר *neſar*, *decidere*, quia cum volatu ſe ſuſtulit ad Elementum Ignis, inde præceps in mare decidit. Abſurdum, quod è Philoſophia Ariſtotelico-Scholaſtica manat, commentum. Alii deriuant à נָשַׁר *defluere*, alii à שור *ſchur*, videre: potius, quæ Originatio *Bocharto* placet, à *naſara* Arabum, *roſtro vellicare*, quia roſtro eſt magis quàm omnes aliæ rapaces, adunco, eoque carpit, ſeu vellicat, omnium fortiſſimè. Inter Synonyma hodiernorum Arabum & Turcarum non inuenio apud Lexicographos, ſpeciatim *Meninzkium* nomen τῷ נֶשֶׁר analogum, ſed quidem *nesr* pro *vulturis* Synonymo *Lex.* p. 5513. De Qualitatibus Auis hujus dabitur paſſim loquendi ſcribendiue occaſio. Nunc ea duntaxat tangam, quæ ad rem præſentem ſpectant: viſus acumine pollere inſigni, unguibus armari validis, & roſtro adunco, peſſime olere, adeò ut contacta ab eo corpora facile computreſcant, auidam eſſe & penè inexplebilem.

Secunda eſt פֶּרֶס *peres*, Græcis Γρὺψ, qua voce non intelligi debet *Gryphus* fabuloſa Auis illa, quæ nunquam ὑποχείριος ἀνθρώπων extitit, obſeruante *Origene* L. IV. in *Celſum*, pomœriis Hiſtoriæ Naturalis dudum, ipſa quoque Plinii ætate exploſa, ſed Γρυπάετος, Aquila quædam roſtro inſigniter adunco, & maximè ungulata. Sed in ſpecie determinanda variant multùm Interpretes. Samaritano eſt *bezaa*, *Accipiter*, quem & *Münſterus* habet, & *Schindlerus*, & utraque noſtra Verſio. Arabibus *Okab*, μελανάετος. Judæis Germanis בלאבוז *Blafuſs*, *Blaufuſs*, *Falconis* genus cyanopos, cœruleis pedibus, Italis apud *Geſsnerum Zafiro* dictum, ab ipſo colore pedum ſapphirino. Hinc *Deodatus* in Italica Verſione *Falconem* habet, in Gallica *Girofalconem*. Apud *Münſterum* nonnemo noſtram Auem propter affinitatem vocum *Perſidi* propriam vult, quum tamen nomen hoc 900. annis poſt Moſen ſit natum, ſub Cyro, qui primus populares ſuos equitare docuit, & פרסיו Perſæ, equites dicti, qui olim erant *Cuthæi*, *Ciſſii*, *Suſiani*, *Elamitæ*. *Junius* פֶּרֶס dat Oſſifragam, *Caſtalio Anatariam*, Aquilæ ſpecies, uterque ſola originatione vocis nixi, deriuant à פָּרַס *paras*, *diuidere*, *diſtribuere*, *frangere*. Optima, quæ quidem comparuerit hactenus, ſeu opinio, ſeu conjectura, eſt *Bocharti Hieroz.* P. II. L. II. c. 5. qui in genere primò Aquilam vult, cum pleriſque Interpretibus aliis, & quod Macedonibus, qui ex Orientis ſpoliis etiam Linguam ſuam auxerunt, Aquila dicta fuerit παραὸς; *Heſychius*, παραὸς, ἀετὸς ὑπὸ Μακεδόνων. In ſpecie definienda ex defectu aliorum ſubſidiorum confugit ipſe quoque ad Onomatologiam, determinans *Oſſifragam* vel *Oſſifragum*, quod פָּרַס vel פָּרַשׁ notet *frangere*, & ſpeciatim Mich. III. 3. adhibeatur in fractione oſſium. Hic *Oſſifragus* in quodam Gloſſario ὀςοκόπος, ὀςοκλάςης, ὀςοκατάκτης, ὀςοκόραξ eſt *Dioſcoridis* φίνις. φίνις, inquit, τὸ ὄρνεον, ὃ ῥωμαιςὶ καλοῦσιν ὀσσίφραγον: vetuſtioribus φήνη, Arabibus *Phena*, *Mechalepha*. *Oſſifragam* Helueticam *Beinbrecher*, *Steinbrüchel* dictam ita deſcribit *Geſnerus de Auib.* p. 181. ex Amici Claronenſis relatione. *Capite erat nudo, & flauo colore, roſtro incuruo, plumis albis: alæ hinc inde nigras habebant pennas veluti Ciconiæ: creſcunt fere in magnitudine Vulturis.* Sed *Oſſifraga Aldrovandi* eſt *Haliætus Willoughb. Ornithol.* 29. In *Lexico Meninzkiano* non ulla inter Aquilæ, Accipitris, Falconis ſynonyma occurrit vox, quæ Hebrææ noſtræ *peres* ſit affinis, quæ obſeruatio haud indigna mihi videtur attentione.

Tertia Auium rapacium eſt עָזְנִיָּה *azniah*, ἁλιάετος, ut reddunt Græci, *Haliætus*, *Aquila marina*

RPJCB




LEVITICI Cap. XI. v. 14.
Milvus, Vultur, Æsalon.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 14.
Weihe, Geyer, Smirle.

I. G. Pintz sculp.

*marina Hieronymo, Münſtero, Caſtalioni, Pagnino, Ariæ, Junio, Deodato,* nobis *Tigurinis,* Anglis *Ospray, Sea-Eagle,* Germanis *Fiſcharn, Fiſch Adler,* Geneuenſibus perperam *Falco.* Chaldæi habent נ excluſo עַזְיָה *aziah.* Cum Hebræo conuenit Arabicum *ghæzen,* quod pro Aquila legitur apud *Meninzk.* p. 3403. Vocem hanc deriuat *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. c. 6. à עוֹז *oz, robore,* & vel hinc colligit, eſſe μελανάετον, *nigram Aquilam,* Aquilarum quidem minimam, ſed robuſtiſſimam. *Valeriam* Romanorum. Hanc intelligit *Homerus Iliad.* φ'. v. 252.

Αἰετοῦ οἴματ' ἔχων μέλανος, τοῦ θηρητῆρος,
Ὅς δ' ἅμα κάρτιςός τε καὶ ὤκιςος πετεινῶν.

Aquilæ impetum habens nigræ, venatricis,
Quæ alitum ſimul eſt fortiſſima & celerrima.

Deſcribunt eam *Ariſtoteles* L. IX. c. 32. *Plinius* L. X. c. 3. & adſcribit ille ei præter robur alias dotes. Deſcriptio Melanaeti, prout extat in *Willoughby ornithol.* p. 30. hæc eſt, ſicuti eam vidit in Zelandia. *Coruo duplo major, ſed Pygargo minor. Maxillæ & oculorum palpebræ plumis deſtituuntur, & rubeſcunt nonnihil. Caput, Collum, Pectus nigra — In medio dorſo ſeu interſcapulio magna macula triangularis ex albo ruffeſcens. Uropygium ruffum. In alis minores tegetum ordines colore Buteonis tinguntur, dein area transuerſa per remiges nigra, tum alia alba, tandem ab albo quod reliquum eſt pennarum ad apices usque obſcurè cinereum.* Addit *Aldrouandus roſtri colorem corneum, ſubcœruleum, verticis & ceruicis colorem ferrugineum, obſcurum, crura propemodum tota plumis operta, vix digiti unius ſpatio nuda, eoque luteo. Haliætum* verum cum *Oſſifraga Aldrouandi* eundem vult *Willoughb.* p. 29. Notandum tandem, & עָזְנִיָּה à nonnullis haberi pro *Gryphe,* de qua fabuloſa Aue, ne eam intactam prorſus linquamus, bina adduco Numiſmata, unum I. *Panormitanorum,* in cujus prona caput barbatum & hirſutum, in auerſa *Gryphus* ſeu *Pegaſus* dimidiatus cum Delphino: alterum *Corinthiorum* ex *Cæcilia* Gente, cum Veneris Capite, & Pegaſo cum ſeſſore *Bellerophonte* certante cum Leone, inſcripto Q. CAECIL. NIGRO C. HEIO. II. VIR. qui Nummus eſt n. 43. in Conſularibus *Vaillantii.* In Aquilæ autem honorem ſiſto Numum ex proprio Muſeo unius ex *Ptolemæis* Ægypti Regibus, maximi moduli cum Aquila fulmigera. Fig. III.

Inſeruient explicationi Textus Icones ſequentes.

| | | |
|---|---|---|
| A. | Aquila Scythica. | 240. |
| B. | Oſſifraga. | 240. |
| C. | Haliætus vel Melanætus. | 41. |
| D. | Girfalco. | 241. |
| E. | Accipiter. | 241. |
| F. | Aquilæ Sceleton. | 241. |
| G. | Aquilæ Ventriculus ex *Blaſii Anat. Anim.* p. 440. | |

# TAB. CCXLII.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 14.

Vultur & Miluus juxta ſpeciem ſuam. | Et Miluum ac Vulturem juxta genus ſuum.

SEquuntur duæ aliæ Aues rapaces ſimul & immundæ. Prima דָּאָה *daah,* vel, ut in Deuteronomio רָאָה *raah,* frequenter enim propter ſtructuræ affinitatem ד & ר confunduntur. Interim, ſi Etymologiam ſpectes, differunt, imo diuerſas gignut Auium ſpecies, דָּאָה quippe notat *volare,* רָאָה videre. Prior originatio pugnat pro *Miluo,* quem volunt *Hieronymus, Arabes, Münſterus, Caſtalio, Junius, Deodatus, Buxtorffius, Schindler,* alii, Auis quippe hæc alis prope immotis in Aere omnium Auium diutiſſimè libratur & altiſſime volat. *Martialis* L. IX. *Epigr.* 55.

Hinc prope ſumma rapax Miluus in Aſtra volat,

Ex Hebræo דָּאָה factum videtur Arabum *Hida, Albida,* apud *Andream Bellunenſem Albadà.* Et hodienum Arabes Miluum vocant *hædæet, hædat, beidele.* uti legere eſt in *Meninzk. Lex.* p. 1573. LXX. habent pro דָּאָה γύπα, Tigurinæ *Vulturem, Geir,* ſed unde, mihi non conſtat. Pertinet autem דָּאָה, ἰκτῖνος, ἴκτινος, ἴκτις, *Miluus, Wey, Weihe,* nobis, Anglis, *the kit,* or *Glead* ad Accipitres macropteros, ſeu alis longioribus, ſylueſtres & indociles, deſcribitur vulgaris, qui caudâ eſt forcipatâ, in *Willoughby Ornithol* p. 41.

Sequitur אַיָּה *ajah,* ἰκτῖνος LXX. Hæc *Vultur* eſt *Hieronymo, Münſtero, Pagnino, Caſtalioni, Anglicæ* & *Italicæ* Verſionibus. *Miluus* nobis poſt Arabem in Jobo, & ſequaces habet *Schindlerum,*

*lerum, Geneuenſes. Jonathan* reddit דייתא אוכמתא *vulturem nigrum.* Hieroſolymitanus אִבּוּ *ibbu*, *Onkelos* טרפיתא in genere *auis rapax.* Arabes in Moſe *Bubonem*, quæ Auis inter alia Synonyma apud *Meninzkium* p. 5976. vocatur *bub*, fœmina *bu bet:* & Perſicè *bu bu*, vocabulis Hebraico noſtro affinibus. p. 5517. *Junius* & *Buxtorffius* poſt *Kimchium Picam* volunt aut *Cornicem*, *Arias variam Auem. Pomarius Vulturem* aut *Accipitrem. Abenezra auem inſularem* ab אִי Inſula. Hebræorum alii R. *Leui*, *Mardocheus*, *Aquinas* nihil determinant. *Bocharto Hieroz.* P. II. L. II. c. 8. placet Arabum Auis *aljuju*, cujus proprium eſt clamor *ja ja*, *al ja jao* dictus, quæ eſt in Accipitrum ſpeciebus, Ægyptiis & Syris *Algelem* dicta, Germanicè *Smirle*, Italicè *Smerlo*, *Smeriglio*, Gallicè *Esmerillon*, Anglicè *the Merlin*, *ſtaturâ parua*, cauda breui, volatu celere. Veterum *Æſalon* deſcripta in *Willoughb. Ornithol.* p. 50. inter *Accipitres macropteros* generoſiores ad Aucupium inſtitui ſolitos.

A. eſt Vultur.
B. Æſalon.
C. Miluus.

# TAB. CCXLIII.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 15.

Omnis Coruus juxta ſpeciem ſuam.

Et omne coruini generis in ſimilitudinem ſuam.

CAret hæc Auis, quas aliæ dant, difficultatibus. Conſentiunt Interpretes עוֹרֵב *oreb* eſſe *Coruum*, ſicuti & Chaldæum ערבא *orba*, Arabumque *Gerab* & *Ghurab* in *Meninzk. Lex.* p. 3386. unde & Latinorum deſcendit *Coruus*, fortè & Germanorum *Rab*, Anglorum *Rauen*. Quæ Auis pertinet ad eas rapaces, quæ roſtris craſſis, longiuſculis, rectis ſunt donatæ, & manifeſtè ad immundarum Claſſem relegari debet, quia non ſolùm carniuora eſt, ſed quoque morticinis & cadaueribus delectatur, Quadrupedum, Piſcium, Auium, Hominum, imo & Aues viuas rapit atque dilaniat. Prohibetur autem expreſsè omnis Coruus juxta ſpeciem ſuam, id eſt, omne Coruinum genus, licet ſint nonnullæ pamphagæ, & Inſectis, & frugibus, & carnibus victitantes: *Picæ*, *Pici*, *Cornices*, *Upupa*. Originem nomini Hebraico dat color, עֶרֶב *ereb* eſt veſpera, עָרַב *arab*, *adueſperaſcere*, *obtenebreſcere*.

Siſtit
A. *Coruum.*
B. *Picam* variam ſeu caudatam.
C. *Cornicem.*
D. Domitiani Nummus, in cujus auerſa Coruus (al. cornix) ramo Oleæ vel Lauri inſiſtens. Ex Begeri Theſ. p. 107. vol. III.

# TAB. CCXLIV. CCXLV.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 16.

Struthio, *a.* Noctua, Cuculus, Niſus, juxta ſpeciem ſuam.

*a.* Pro Porphyrione, alii legunt Veſpertilio.

Struthionem, & Noctuam, & Larum, & Accipitrem juxta genus ſuum.

PRima Auium, quæ heic recenſentur, & pro immundis declarantur eſt בַּת יַעֲנָה *bath jaanah*, *filia Clamoris*, vel ſimpliciter יַעֲנָה *jaanah.* Multam hæc fixit crucem Interpretibus, quæ à Prophetis refertur ad Aues eremicolas, imo & luctuoſas. Jer. L. 39. Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 13. XLIII. 20. Thren. IV. 3. Mich. I. 8. Job. XXX. 29.

Circa eam in diuerſa abeunt Scriptores, & Verſiones. In Michea, Jeremia & Jeſaja Græci habent Σειρῆνας, *Sirenes*, quæ (*Cyrilli* ſunt verba) τοῖς ἐναλίοις ἐπωάζουσαι κόλποις, εἶτα τῆς καλιᾶς λεφθείσης ὑπὸ κυμάτων γοερὸν ᾄδουσι μέλος, καὶ καταθρηνοῦσι τρόπόν τινα τὴν τῆς ἑαυτῶν ὠδῖνος ζημίαν, *in ſinibus Maris ouis incubant, deinde, nido à fluctibus abrepto, lugubre melos fundunt, & partus ſui damna quodam-*




Levitici Cap. XI. v. 15.
Genus Corvinum.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 15.
Das Raben-Geſchlechte.

I. G. Pintz sculps.

JCB



LEVITICI Cap. XI. v. 16.
Struthio, Noctua, Accipiter.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 16.
Strauſſe, Eule, Habich.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB




Pollices Parisini.

LEVITICI Cap. XI. v. 16.
Struthio.

III. Büch Moſis Cap. XI. v. 16.
Der Strauſſe.

I. A. Friderich sculp.

JCB

*quodammodo lamentantur.* Si poetas Mythologos conferas cum Phyſicis, præſertim modernis, relegabis hanc Auim ad fabuloſas. Ne autem hujusmodi Auis Scripturæ inuolaret, quæſiuere Patres πτηνὰ ἐυςυμεῖν εἰδότα, vel etiam θρηνητικὰ, maxime canoras, luctuoſas, & proponit quidem *Cyrillus* in Jeſ. XIII. 21. ex Hebræorum mente τὴν γλαῦκα, *Noctuam*, & in Mich. I. 8. τὰς ἀηδόνας, *Luſcinias*, de quibus ſciendum, eas cum Mari & fluctibus Maris nihil habere commune, unde *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. c. 14. pro ἀηδόνας legit ἀλκυώνας, ſecutus *Chryſoſtomum* in *Jobum* XXX. 29. ubi ita: Σειρῆνας λέγει ᾠδικάς τινας ὄρνιθας, ἀλκυώνας ἢ γλαῦκας, ἄμφω γὰρ θρηνητικὰ. *Sirenes vocat Canoras quasdam Aues, Alcyones puta, aut Noctuas, utræque enim ſunt luctuoſæ.* Sed *Alcyon*, vel *Halcyon* marina eſt Auis, *filiæ* vero *jaana* in deſertis degunt, iisque à Mari remotiſſimis, uti circa Babylonem & Botsram Idumææ. Jer. L. 39. Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 13. Eſt inſuper *Jaana* crudelis & ἄϛοργος Thren. IV. 3. quum contra Alcyon vincat τῷ φιλοτέκνῳ χελιδόνας, prolis amore Hirundines, & τῷ φιλάνδρῳ πελειάδας, amore Conjugis columbas, *Plutarcho* teſte *Lib. utra Anim.*

Pro יַעֲנָה *Noctua* exhibent *Pagninus*, *Arias*, *Junius*, *Tremellius*, *Schindler*, *Buxtorf*, vel *Ululam* aut *Bubonem*. Quam Auem imprimis defendit *Fullerus Miſc.* L. VI. c. 7. inprimis ὀλολυγόνα Ululæ ſpeciem *Strix* dictam, quæ à mœſto ululatu nomen habeat ut יַעֲנָה à עָנָה *anah*, à clamando, ſiue reſonando. Sed præponderant argumenta pro *Struthione*, imo & Interpretum auctoritas. LXX. habent ϛρουθὸν, & ϛρουθίον hoc in loco, & Job. XXX. 29. Jeſ. XXXIV. 13. XLIII. 20. Thren. IV. 3. Veteres pene omnes, *Chryſoſtomus in Jobum*, *Euſebius*, *Baſilius*, *Hieronymus*, *Theodoretus*, *Procopius in Eſaiam*, *Olympiodorus in Jeremiam*, *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *vulgata*. Neque maximæ huic Aui, *Struthio* & *Struthio camelus* dictæ obſtat, ϛρουθὸν etiam ſignificare *Paſſerem*, quem pro יַעֲנָה agnouit *Nouatianus de cibis Jud.* c. 3. & è Recentioribus *Fullerus*. Quia vero Auicula hæc præter nomen nihil commune habet cum Struthione, ex circumſtantiis omnium locorum facilè judicari poteſt, an maxima Auis ſit intelligenda, an Auicula?

Pro *Ulula* vel *Strige* duplici inprimis pugnat argumento *Fullerus*, ſed utroque inualido. Apud *Suidam* inuenit ϛρουθίζων pro τρίζων, ſtridens, quod ſtrigum eſt proprium, juxta illud *Ouidii Faſtor.* L. VI.

> Eſt illis ſtrigibus nomen, ſed nominis hujus
> Cauſa, quod horrendum ſtridere nocte
> ſolent.

Sed ex *Homeri Iliad.* β'. v. 314. conſtat, τρίζειν eſſe quoque Paſſerum: ibi Draco paſſerculos octo cum matre.

> - - - - ἐλεεινὰ κατέσθιε τετριγῶτας.
> Vorauit miſerabiliter ſtridentes.

Porrò in Gloſſario Ululam non duntaxat vocari dicit ὀλολυγῶνα ſed & ϛρουθὸν. *Strix*, ὀλολυγὼν, ϛρουθὸς. Sed oſtendit *Bochartus*, locum eſſe mendoſum, & ϛρουθὸς pertinere ad ϛρουθοκάμηλον.

Chaldæi tres, *Onkelos*, *Jonathan* & *Hieroſolymitanus* pro יַעֲנָה habent נַעֲמָא *naama* vel נַעֲמִיתָא *naamitha*. Syrus *naama*. Arabes *naam*, *naama*, *ne-am*, *ne-amet*. *Meninzk. Lex.* 5207. quibus omnibus ſignificatur *Struthio*. Conſtat id ex Lexicographis, Hiſtoricis, Geographis, Medicis, Philoſophis Arabum. Ipſis Hebræorum doctiſſimis יַעֲנָה eſt *Struthio*. *Maimonidi de cib. vetit.* c. 3. *Talmudis* Gloſſatoribus *Abr. Peritſolio*, *Chazkuni* in Leuitico, *Dauidi de Pomis*. Unde Judæis ſemper fuit perſuaſum, Struthionis eſum in Lege eſſe prohibitum.

Pergimus ad cauſas Legis prohibitoriæ Phyſicas. Eſt Struthio Auis humi nidificans, obuia omnia ſine delectu vorans. Et ſunt tam Oua, quàm Caro, δύσπεπτα, καὶ κακόχυμα, ἅπαντα τὰ μέρη σκληρὰ καὶ δύσπεπτα καὶ περιττωματικὰ, *omnes partes duræ concoctu difficiles, & excrementitiæ. Gal. de cib. bon. & prau. ſucc.* c. 6. & de *Alim. Fac.* L. III. c. 20. de ouis in ſpecie. c. 22. eſſe φαυλοτέρα, *peſſima*. Conſentiunt Arabes Medici, *Aetius Tetrab.* L. I. *Serm.* 2. c. 131. 134. *Sim. Sethi*, *Rhazes*. Eſt autem cauſa hujus φαυλότητος quærenda, quod ſupra fecimus paſſim, in Viſcerum, Ventriculorum inprimis, ſtructura. Lucem heic affundit Anatome *Struthionis*, quam luci dedit publicæ *Vallisnerius nelle Eſperienze & Oſſervazioni ſpettante alla naturale e Medica Storia.* p. 155. oſtendit is Ventriculum duplicem magnum ſacciformem, in primo varia raptim & inconſideratè deglutita, Herbas, Legumina, Lapides, clauos, funes, vitra, numos, Plumbum, Stannum, Æs, Animalium oſſa, Fructus, Ligna. Structuram ipſius Ventriculi mixtam veluti ex illa, quæ Quadrupedum ruminantium eſt, & alia, quæ Auium: eſt quippe ſecundus muſculoſus, craſſus & fortis, ſed ejus interior tunica non, ut in Gallinaceo genere, dura, aſpera, verùm tenera, villoſa, in multas cellas, ut in Ruminantibus diuiſa: fermentum ſtomachicum valde corroſiuum, cui potius quàm vel triturationi muſculorum, vel deglutitis aſperioribus, digeſtionem etiam ſolidiſſimorum tribuit, imo metallicis lapideisue corporibus potius vim corroſiuitatis illius temperatiuam, Ferro ſpeciatim Sanguinis condenſatoriam, & carnis ſolidatiuam. De qua Carne obſeruauit Anatomicus noſter, adeò eſſe ingratam, ut & Canes & Feles de ea quidpiam guſtare detrectauerint.

Illuſtrandæ huic explicationi facit Icon Ventriculorum ipſorum ex Struthione Tab. CCXLV. ubi a a. Ventriculus primus. h. Glandulæ ejus cum oſculis excretoriis, è quibus promanat fermentum ante deſcriptum acerrimum. i. Pars membranæ internæ glanduloſæ Ventriculi inuerſa. l. eadem membrana absque Glan-

 dulis.

dulis. m. pars externa primi Ventriculi. o. Oeſophagi Ventriculum intrantis Portio. g. utriusque Ventriculi connexio. r. r. Ventriculus ſecundus. c. c. c. Membranæ ejus inuerſo ſitu conſpicuæ. d. d. pars interior celluloſa & rugoſa. e. e. clauus ferreus, quem Ventriculi ipſius ſubſtantiæ infixum offendit Anatomicus; ſ. Tumor ex fibris circa dictum Clauum congeſtis. f. Tumor alius priori oppoſitus. t. foramen à dicto clauo Tumori huic impreſſum. u. Pylorus. n. Inteſtini Duodeni portio.

Utut autem Caro Struthionis male in Scriptura & Natura audiat, dantur tamen Populi, in Africa & Arabia, qui illâ veſcuntur, στρουθοφάγων nomine jam olim apud *Agatharchidem*, *Diodorum*, *Strabonem* inclyti. Imò verò menſis Regum Perſicorum illatos στρουθίους Ἀραβίους, Arabicos Struthiones memorat *Athenæus* L. IV. c. 9. Et apud *Ælianum Hiſt*. L. XIV. c. 13. Regi Indorum ſunt ἐπαίκλα, bellaria, Struthionum oua. In Syria Struthionum eſui ita aſſueti erant *Heliogabalus* & *Firmus* teſtibus *Lampridio* & *Vopiſco*, ut ille *Struthiones exhibuerit in cœnis aliquoties*, imo 600. *Struthionum capita una cœna multis menſis exhibuerit, ad edenda cerebella*, hic *Struthionem ad diem comediſſe* legatur.

Silentio prætermitti non debet, quòd Moſes ſpeciatim prohibeat eſum בַּת יַעֲנָה *filiæ jaana*. Torſit hoc Epitheton Hebræos Doctores, eò usque, ut fuerit apud *Abenezram*, qui voluerit eſſe ſpeciem Animalis, quod nullos habeat mares. R. *Moſes Maimonides* filius intellexit *ouum Struthionis*. Et Abenezra ipſe prætendit, ſolam Struthionis fœminam eſſe edulem, eamque non adultam. Omnia hæc pro more ἀπροσδιονύσως. Obſeruandum, Chaldæos *filii filiæque* nomen Auibus præfixiſſe ſine reſpectu ullo ad ætatem, & ſexum. Leuit. XI. 13. בַּר גַּזָּא *bar geza, filius roboris*, eſt *Gryphus* Deut. XIV. 13. בַּר חוּרְיָא *bar churia, filius albedinis*, albus *Accipiter*, בַּר יוֹכְנֵי *bar jucne* in Talmudico Tractatu *Bechoroth* c. 9. Auis illa fabuloſa portentoſæ magnitudinis. Ita quoque Arabibus *Anas* vocatur *filius Aquæ*, *Coruus filius Ceruicis*, ut alia taceam. Et ſciendum, in Struthionum genere mari præferri fœminam propter oua, quæ magni ſunt pretii: præterea ſæpius & facilius capi fœminas, elabi plerunque mares: fortè &, ut in aliis Auium, præſertim rapacium generibus, fœminæ maribus ſunt fortiores.

Altera Auium præſenti conſiderationi ſubjiciendarum eſt תַּחְמָס *thachmas*, ἅρπη, ex rapacibus ita dictis, ſi vocis Radix eſt חָמַס *chamas, rapere*, vim inferre. Placet hæc originatio Judæis Doctoribus, *Kimchio*, *Aquinati*, *Pomario*, qui Falconem vult, aut aliam illi ſimilem, *Arias* hinc *Accipitrem*. Tendunt & eò *Jonathan* & *Hieroſolymitanus*, qui habent חַטְפִיתָא *chataphitha*, vel חַטוֹפִיתָא *chatophitha*, à חָטַף rapere. Senioribus Græcis placet Γλαῦξ, *Noctua Hieronymo*. Quam Verſionem inprimis fulcit *Fuller Miſc*. L. VI. c. 9. Forſan & in *Onkelo* צִיצָא *tſitſa* Noctua eſt, ut Græce τυτὼ. *Heſychius*. τυτὼ ἡ γλαῦξ. Juxta *Bochartum Hieroz*. P. II. L. II. c. 15. τὸ πρῶτον ψεῦδος latet in voce חָמָס *chamas*, quod non ſignificat rapere, ſed *iniquè agere*, proinde quærit Auem non tam rapacem, quam impiam, iniquam, inuenitque *Struthionem*, quæ *in Terra deſerit oua ſua, in puluere calfacere ſolet: ac obliuiſcitur, quum pes prouoluit, ut fera conculcet ea; duriterque tractat pullos ſuos, perinde atque non eſſent illius*. Job. XXXIX. 17. 18. 19. (*Quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? obliuiſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui.*) Hoc ſanè nomine *Struthio* Arabibus vocatur *Dtalim*, *Zælim Meninzk. Lex*. 3175. *impius*, iniquus. Eſt itaque תַּחְמָס *Struthio*, & quidem mas, & nomini congruit Arabum modernorum *tewmet*, *tüiwmet*, *tümet*, quæ vox *Ouum Struthionis* ſignificat apud citatum *Meninzkium* p. 1480. Nos Tigurini diſſentimus ab ipſis nobis, in Latina Verſione placet *Noctua* cum *Hieronymo*, in Vernacula *Struthio*, mas, *der Strauſs*. Ne cui autem videatur mirum, ſi in eodem verſiculo offendat marem cum fœmina. Occurrunt & Gen. XXXII. 14. *Capræ & Hirci*, *Oues* & *Arietes* Gen. XLV. 23. *Aſini* & *Aſinæ*. Supra ſufficiebant נֶשֶׁר & עֹרֵב, quia ſub his vocibus totum *Aquilarum & coruorum* genus continetur. Sed *Struthionis* nomen Genericum non habent Hebræi; Neque apud Ornithologos modernos alium characterem diſtinctiuum habet *Struthio*, quàm quòd ſit *Auis terreſtris maxima, ſingularis, & ſui generis, ob corporis molem & alarum paruitatem ad volandum omnino inepta*. *Willoughb. Ornith*. 104.

Sequitur in immundarum Auium ordine שַׁחַף *Schachaph*, Chaldæis שַׁחְפָּא *Schachpha*, Arabibus *Saph*, Samaritano *Sopha*. Hæc à variis varie explicatur. Græcis, *Hieronymo*, *Münſtero*, *Caſtalioni* placet *Larus*, *Junio Æſalon*, *Deodato Fulica*, *Folica* in Italica, ſed *Mouette*, *Larus* in Gallica verſione: Geneuenſibus, Anglis, nobisque Tigurinis *Cuculus*, *der Kukuk*, quem quoque agnoſcit *Olaus Rudbeck* in *Nora Samolad* ſiue *Laponia illuſtrata*, id inter alia obſeruans, quòd hæc Auis Autumno pennas mutet, & *Niſo* tunc ſimilis euadat, *Ariæ Phitica Auis*, alludendo ad morbum שַׁחֶפֶת *Schachepheth*. Leuit. XXVI. 16. Deut. XXVIII. 22. qui φθίσις, ἀτροφία ſit. Hinc & *Bocharto Hieroz*. P. II. L. II. c. 18. vero videtur ſimile, שַׁחַף Auem ita dictam eſſe à Tabe, eſſeque Larum leuitate omnes Aues molis ratione ſuperantem, ſpeciatim κέπφον, *Ceppbum*, quæ plumæ plurimum, ſed carnis minimum habet. Sanè κέπφος etiam nomine ſuo accedit ad *Schachaph*, & κεπφοῦσθαι. Prou. VII. 22. notat non ſolùm *efferri*, ſed &, *leuiter circumagi cepphi inſtar ad omnem Ventum*, *facile* etiam *decipi*, & *ineſcari*. Pertinet autem *Cepphus*, de quo non adeò conſentiunt

RPJCB




LEVITICI Cap. XI. v. 17.
Bubo, Noctua, Onocrotalus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 17.
Eule, Kaütz, Kropf-Ganß.

*I. A. Fridrich sculps.*

RPJCB




Levitici Cap. XI. v. 17.
Ardea, Ibis.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 17.
Reiger, Ibis.

M. Tyroff sculps.

ſentiunt Ornithologi, ut omnes *Lari*, ſub Titulum *Auium palmipedum tetradactylarum digito poſtico ſoluto,* ſuntque *roſtro anguſto in extremo non adunco*, *macropteræ & volaticæ*, & differunt tum caudâ æquali, vel forcipata, tum coloribus, uti videre eſt in *Willoughb. Ornithol.* p.261.

Ultima Auium noſtri Textus eſt נֵץ *nets*, *Accipiter*, ex omnium Interpretum conſenſu, Syris *natſa*, *nitſa*, Chaldæis נצצא *netſatſa*, ſic & Samaritanis. Nomen à נָצָה *natſah* volare. Volatu quippe hæc Auis maximè præſtat. Apud Homerum Iliad. ό. v.237. cluet ὤκιϛος πετεινῶν, Auium perniciſſimus, in *Heſiodi Apologo* ὠκυπέτης, pernix.

> Vix credas paruo quàm tempore longa locorum
> Interualla volans ſuperet, quàm multa peragret
> Æquora.

Ita de Accipitrum volatu in genere *Thuanus de Re Accipitraria* L. II. Hinc apud Ægyptios *Accipiter Ventorum* fuit ſymbolum teſte *Horo* L.II. c.14. apud *Tentyritas Ignis*, propterea Soli conſecratus, διά τε τὸ ὀξὺ τῆς κινήσεως, propter motus velocitatem. *Euſtath. in Odyſſ.* ό. Adeò ſacer, ἱερὸς fuit ἱέραξ, Accipiter, ut qui eum necauerit in Ægypto, morte puniretur. Ὅς δ' ἂν ἶβιν ἢ ἴρακα ἀποκτείνῃ, ἤντε ἑκὼν ἤντε ἀέκων, τεθνάναι ἀνάγκη. *At quisquis Ibin aut Accipitrem necauerat, ſiue volens aut inuitus necaſſet, eum mori neceſſe eſt.* Ita *Herodotus in Euterpe.* Accipitrum ſpecies eſt, quam noſtra Verſio habet, *Niſus*, *Sparuerius*, *der Sperwer*, Anglis *Sparrow hauk.* Sanè Niſi vox deſcendere videtur ab Hebræo נֵץ, cui adjungi debet ex *Meninzk. Lex.* p. 5291. Arabum *nebſel*, quod Accipitrem notat.

In Tab. CCXLIV. eſt.
A. Struthio.
B. Ulula.
C. Noctua.
D. Accipiter.
E. Fulica.
F. Cuculus.

In Tab. CCXLV.
Fig. I. Ventriculi Struthionis.
Fig. II. Sceleton Struthionis.
Fig. III. Ouum ejuſdem Auis.

# TAB. CCXLVI. CCXLVII.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 17.

Nycticorax, Mergulus, Bubo. Bubonem & Mergulum, & Ibin:

IN Auium immundarum ſerie ſequitur כּוֹס *chos*, LXX. *Aquilæ*, *Theodotioni*, *Hieronymo*, Nobis Tigurinis νυκτικόραξ, *Symmacho Upupa*, aliis, *Hieronymo* intimante *Epiſt.* 135, *Noctua* & *Bubo*. Arabes reddunt *album*, quæ vox etiam Noctuam, quæ ipſa in *Damire coruum noctis* audit, ſignificat. *Jonathan* habet צירא *tſajera*, *Onkelos* קריא *Kadia*, *Joſeph* cœcus קיפופא *Kiphupha*, Syrus *auda*, Samaritanus *tſadia*, quæ voces omnes *Noctuam* aut *Bubonem* volunt. His accedunt & Hebræi, licet quidam ex iis *Falconem* interpretentur, alii *Cuculum*, alii *Illicem*, alii *Strigem*, alii *Pellicanum*, & *Kimchius* in *Lexico* כּוֹס pro Aue ignota declaret. Jungo his ex *Meninzki Lex.* p.699. 1918. 4084. Arabum & Turcarum *baikus*, *baikuſi*, *beikus*, Perſarum *Kuf*, Germanorum *Kautz*, *Kutz*, *Kaüzlin*, quod poſtremum Verſio noſtra Vernacula habet. Quibus vocibus τῷ כּוֹס affinibus Noctua denotatur. Pro qua itaque pugnaret & Gentium & Interpretum auctoritas. Pertinent & Noctua & Bubo cum ſuis variantibus ſpeciebus ad Claſſem Auium rapacium Carniuorarum, nocturnarum, quæ ſubdiſtinguuntur in auritas & non auritas. Et vel inde ſtatim patet, cur ad immundas ablegari debeant.

Suſpicatur *Bochart Hieroz.* P.II. L.II. c.21. eſſe fortè כּוֹס *Onocrotalum*, qui Romanis *Truo* dictus, à vaſis genere *Trua*, Arabibus *Alhauſal*, *ingluuies*, quaſi ſit tota hæc Auis ingluuies, habet quippe πρηγορεῶνα μέγιϛον προσεμφερῆ κωρύκῳ, *ingluuiem ampliſſimam ſacco ſimilem.* *Ælian.* L. XVI. c. 4. hinc & Græcis Κήλας dicta propter Κήλην, ſeu βρογχοκήλην, tumorem ſtrumoſum in gutture, hinc & Germanis *Kropfgans.* Notat autem & כּוֹס vas, ſiue poculum, ſiue Truam. Nec potuit Auis hæc eſſe ignota Judæis, quippe circa Syriæ Antiochiam & Palæſtinæ Gazam, in Ægypto item frequens. Et vero videtur conſentaneum *Bocharto*, Seniores reddidiſſe νυκτικόρακα, quod pro כּוֹס legerint בּוּם *bum*, quæ vox notat *Coruum noctis* ſeu *noctuam.* *Bocharti* conjecturæ fauet, quod Perſæ *Onocrotalum*, ſic & *Struthionem* & *Aquilam* vocent *Senkchor*, *Senkchore*, uti videre eſt in *Meninzk Lex.* 2688. *Chos* in *Chor* facile mutabili. Quicquid ſit, præferenda ne *Noctua* an *Onocrotalus*, certum

Ffff hoc

hoc eſt, eſſe quoque *Onocrotalum* auem carniuoram, nempe Piſciuoram, immundam, licet pertineat ad palmipedes, tetradactylas, propter vitam, quam degit in Aquis.

Incertum magis adhuc, qualisnam ſit Auis, quæ nunc ſequitur, שָׁלָךְ *Salach*, Græcis καταῤῥάκτης, quod Epitheton eſt Auium prædatricum, quæ cum impetu in prædam ruunt præcipites, quod faciunt Aquilæ, & Accipitres, καταῤῥάκται hinc quoque dictæ. Sed heic eſt שָׁלָךְ alia ab illis Auium ſpecies. *Suidas* καταῤῥάκτης εἶδος ὀρνέȣ θαλασσίȣ. *Catarrhactes Auis marinæ ſpecies.* Addit *Ariſt. Hiſt.* L. IX. c. 12. ἔλαττον ἱέρακος, *Accipitre minor.* Ex *Oppiani Ixeuticis* allegante *Voſſio in Melam.* p. 73. conſtat, *Catarrhactem* ſcopulis littoribus & petris ſupra Aquam eminentibus inſidere, & ubi Piſces natantes viderit altius volare, & pennis omnibus contractis in Mare quouis telo celerius ſe præcipitare, atque ad ulnæ ſpatium immergi, donec comprehenſum Piſcem extraxerit: imo ἑαυτὸν καταῤῥάσσειν, ſeipſum dejicere, in ipſos ſcopulos ſuper imagines Piſcium in Tabulis pictas, ſicque capi. *Onkelos* & *Jonathan* habent heic שלינונא *Salenuna*, ſic & *Syrus*, ſed diuerſis vocibus, *ſale nuna*, quod reddunt prædonem Piſcium, à שלל *deprædari.* Arabes *Zummag*, cujus duæ ſunt ſpecies, una, quæ huc pertinet, in Ægypto *nauras* dicta, Piſcibus inhians. *Hieronymo* placet *Mergulus*, ſic & *Pagnino*, *Ariæ*, *Caſtalioni*, *Junio*, *Buxtorfio*, *Italis*, *Geneuenſibus Tigurinis in Latina*: *Münſtero*, *Schindlero*, nobisque in vernacula Verſione *Reigel*, *Ardea*. *Ferrario Larus*, *Galuia*, *Fulica*. Sanè ad *Laros* quoque, eosque fuſcos & griſeos majores pertinet *Catarrhactes* Anglorum *Gannet* dictus, & *Catarrhactes Aldrouandi* apud *Willoughb. Ornithol.* p. 265. Angli exponunt *Cormorant.* i. e. *Coruum Marinum; vel aquaticum.* Ineptiſſimus omnium *Pomarius*, qui Latinum *Mergulum* Italicè reddit מרלו *merlo*, quaſi ſit *merula.*

Sequitur יַנְשׁוּף *janſuph*, & יַנְשׁוּף *janſoph*, cujus rurſus occurrunt diuerſæ admodum interpretationes. Samaritanis eſt *barbari* i. e. barbarica Auis, quæ expreſſio nîl poſitiui indicat. Græci & *Hieronymus* habent ἴβιν, *Ibin*, quæ juxta Jeſ. XXXIV. 11. in Idumæa habitat. Eſt autem *Ibis* Auis Ægypto propria, quod ex *Herodoto*, *Strabone*, *Plinio*, *Solino*, *Ammiano*, conſtat. Syrus, & uterque Chaldæus, *Jonathan* & *Onkelos* reddunt קפופא *Kiphupha*, i. e. *Bubo*, vel *Noctua*. Placet hæc quoque *Bocharto Hieroz.* P. II. L. II. c. 22. uti & Tigurinis, qui in Latina offerunt *Bubonem*, in Vernacula *Huhu*, aliàs dicimus *Eül*, *Heüel.* Huc & tendit Etymologia vocis יַנְשׁוּף à נֶשֶׁף *neſeph, crepuſculum, tenebræ.* Eſt autem *Bubo* Auis rapax, nocturna, hinc & feralis, & inauſpicata. Arabes exponunt *Albaſak Accipitris* ſpeciem, & in Jeſaja *albubara*, quæ vox non ſignificat *Bubonem*, ut *Gabriel Sionita* voluit, ſed *Tardam* ſiue *Otim*, Germ. *Trapp*, *Akertrapp*.

In his Tabulis ſeſe ſiſtunt

A. Bubo: the great Horn-Oul on Eagle-Owl. 246.

B. Noctua, ex rarioribus, minor, ex pallido & fuſco varia. Ill. Sloane Nat. Hiſt. of. Jamaica. Vol. II. p. 296. Tab. 255. Caprimulgus ſeu Noctua Saluatica Jamaicenſis minor. Raji Syn. p. 180. —

C. Onocrotalus. —

D. Ardea, eaque cinerea major. 247.

E. Ejusdem Sceleton. —

F. Ibis. —

G. Manus votiua pro ſalute prolis maſculæ à conjuge ſuſceptæ, in qua Ibis Iſidi ſacra, cum aliis Hieroglyphicis. Ex Begeri Theſaur. Brandenb. Vol. III. p. 404. —

H. Hadriani Nummus, in cujus auerſa ÆGYPTUS ſiſtrum Iſidis prætendens, ſiniſtra calatho ſpicis referto innixa, aſſiſtente Ibide. Id. Theſ. Elect. p. 654. —

I. Athenienſium bini Nummi cum Noctua urbis ſymbolo & Minerua patrona. Id. p. 470. Tab. 246.

RPJCB




Levitici Cap. XI. v. 18.
Cygnus, Veſpertilio, Pelecanus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 18.
Schwan, Fledermauß, Löffel-Ganß.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB




LEVITICI Cap. XI. v. 18.
Ardea Stell: Merops, Vultur aur:

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 18.
Rohrdom̄el, Kranich, Gold-Geyer.

*I. A. Corvinus sculps.*

# TAB. CCXLVIII. CCXLIX.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 18.

Porphyrion, *a.* Ibis, Pelecanus.

*a.* al. Veſpertilio.

Et Cygnum, & Onocrotalum, & Porphyrionem.

NOua heic Auium immundarum, ſed ſatis ambiguarum, *triga.* Prima תִּנְשֶׁמֶת *thinſemeth*, volatile heic, ſed v. 30. reptile. Græcis *Porphyrion*, πορφύριων, Auis aquatica in Lybia & Comagene Syriæ, à colore roſtri, pedum & pennarum, quæ cœruleæ ſunt, ſic dicta. *Hieronymo Cygnus*, *Jonathani* אותיא *Otia* i. e. *Otus*, ὠτὸς nocturna Auis, ὅμοιος ταῖς γλαυξὶ, καὶ περὶ τὰ ὦτα πτερύγια ἔχων. ἔνιοι δὲ αὐτὸν νυκτικόρακα καλοῦσι. *Noctuis ſimilis, & circa Aures pinnulas habens; Nycticoracem nonnulli vocant. Ariſtot.* L. VIII. c. 12. *Onkeloſo* בותא *bautha*, vel *bauetha*, βύας, *Bubo*, Arabicè *al bubo* à cantu. Syrus reddit *Cocabi*, i. e. ἀστερίας, *ſtellaris* ut prima fronte videtur, ab ἄστρον, ſtella. Eſt autem hoc Ἀστερίας nomen nunc *Aquilæ* epitheton apud *Ælian. Hiſt.* L. II. c. 39. nunc *Accipitris* genus, ut *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 36. nunc *Ardeæ.* Id. L. IX. c. 11. *Plin.* L. X. c. 60. vel *Cocabi* idem eſt quod *Cocabenum*, *Cocabænatum*, cujus nominis in Syria & Arabia plura oppida. Flectit *Bochartus* L. II. c. 23. rurſus hoc *Cocabi* Syrorum ad *Noctuam*, quæ & nobis Tigurinis in vernacula placet, hæc quippe *cucubare* dicitur Auctori *Philomelæ.*

Noctua lucifuga cucubat in tenebris.

*Ariſtophani* in Auibus Noctuarum hic Cantus exprimitur geminata voce κικκαβᾶν, ipſæ Noctuæ Scholiaſti dicuntur κικκαβαὶ. *Heſychius.* κοκκαβάρη γλαὺξ, potius κοκκαβὰ ἡ γλαὺξ. Eodem pertinet fortè Samaritanum *Kaphapha*, Chaldæum קפופא *Kephupha.* Alia, & meo judicio fortior conjectura deſumi poteſt ab Auis colore. Anſam huic conjecturæ dat & fortè fundamentum *Aluco minor Aldrov.* Strigis ſpecies, quæ ob pulcherrimos colores & puncta paſſim interſperſa *Aſteriæ* nomen omnino meretur, atque ſic Syrorum *Cocabi* formâ ſuâ reſpondet. Hanc Auem nidulari vidimus A. 1723. in Carcere publico *Wellenberg* dicto, quæ cucubante ſuo clamore aliquamdiu terrores incuſſit vicinis. Anglis dicitur *the common Barn-owl, white Owl, church Owl*, Germanis *Kirch Eül, Schleyer Eül.* Arabes habent pro תִּנְשֶׁמֶת *Sabin*, quæ vox non *Cygnum* notat, ut *Giggejus* vult, aut *Porphyrionem*, ſed Auem prædatricem è γαμψωνύχων genere, ſpeciatim *Falconum.* Ex Judæis R. *Solomo* interpretatur קלבא שוריץ *calueſouris.* i. e. *chauueſouris*, *Veſpertilio.* Sed *Kimchius* in *Lexico* ex R. *Salomone Jarchi Noctuam*, deriuatque vocem ipſam à שמם *mirari*, *obſtupeſcere*, quia quiſquis Auem illam videt, miratur & obſtupeſcit. De Auibus ſanè plurima apud Veteres legas teſtimonia, quod ad Noctuæ viſum obſtupeſcant. Unicum ſufficiat *Ariſtotelis Hiſt.* L. IX. c. 1. τὰ ἄλλα ὀρνίθια τὴν γλαῦκα περιπέτεται, ὃ καλεῖται θαυμάζειν. καὶ προσπετόμενα τίλλουσι. διὸ οἱ ὀρνιθοθῆραι θηρεύουσιν αὐτῇ παντοδαπὰ ὀρνίθια. *Cæteræ Auiculæ Noctuam circumuolant, quod mirari vocatur: aduolantesque vellicant. Quapropter Aucupes eâ venantur Auiculas omne genus.*

Sequitur קָאַת *Kaath*, Græcis heic & Pſal. CII. 7. *Pelicanus*, ſic & *Hieronymo* in Pſalmo, alibi *Onocrotalus. Jonathan* & Syrus habent *kaka*, Arabs Erpenianus *alkuk.* Sic & Doctores quidam Judæi קוק *kuk*, alii קיק *kik.* Quæ duo apud Arabes differunt; *kuk* auis eſt aquatica longo collo, *kik cornix.* Placet autem ex Auibus aquaticis longo præditis collo *Bocharto* L. II. c. 24. poſt Græcos & *Hieronymum* Pelecanus. Mouit eum Etymologia vocis קָאַת *Kaath* à קָאָה *Kaah vomere*, quia Auis hæc conchas jam abſorptas reuomat, ut ex hiantibus in ſtomacho coctis carnes comedat, rejectis teſtis. Teſtes ſunt *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 10. & *Lib. Mirabilium. Antigonus Caryſtius Hiſt.* 47. *Plin.* L. X. c. 40. *Ælianus Hiſt. Anim.* L. III. c. 20. *Apoſtolius Cent.* XV. *Prou.* 93. *Euſtath. in Hexaem. Phile de Animal.* c. 8. Accedit, & inprimis inſeruit explicationi Pſalmi citati, Pelecani boatus ſiue ululatus. Utraque harum rationum pugnat æquè pro *Ardea*, cui reuomitionem ciborum tribuit *Plutarchus Lib. utra Anim. Ælianus* L. III. c. 24. clangorem ſeu mugitum Boum. *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 1. *Plin.* L. I. c. 60. ut vel ab hoc boatu *butaurus*, *Botaurus*, *Butorius*, *Taurus Plinii*, ſiue *Ardea ſtellaris*, Anglis *the Bittern*, *Mire-drum*, nobis *Lorind*, *Rohrdommel* nomina ſua nactus fuerit. Eſt reconciliatio ſententiarum haud difficilis. Sub eodem Auium aquaticarum fiſſipedum piſciuorarum genere ſunt omnes *Ardeæ*, & ipſe *Pelecanus*, cui nempe non eſt *Onocrotali* cognomen, ſed *Plateæ*, *Leucorodii*, *Albardeolæ*,

*deolæ*, *Löffelgans*, *Lepelaer* Belg. quæ Auis pro Ardeæ ſpecie haberi poteſt. Sic ſaluari poteſt Tigurina vernacula, quæ habet *Rordommel*, imò & Latina, cui placet *Ibis*, nam & hæc ſub generali Ardearum titulo collocatur. Potuiſſet tamen hæc, ut ſibi cum Germanica conueniret, ſeligere *Ardeæ* vel generale, vel *ſtellaris* ſpeciale nomen. *Münſterus* habet *Upupam*, *Arias Cuculum*, *Caſtalio Onocrotalum*, & *Ibin*, Geneuenſes *Cormorant* i. e. *Phalacrocoracem*.

Agmen in hoc Verſiculo claudit רָחָם *racham* vel רָחָמָה *rachamah*, ut ſcribitur Deut. XIV. 17. de qua rurſus diſcrepant valde opiniones. *Jonathan* & Syrus habent *Serakreka*, *Onkeloſus* ירקרקא *jerakreka*, Talmudici שרקרק *ſerakrak*. Auis Judæis fauſti ominis à proprio ſibilo *ſerakrak* ita dicta, imo Meſſiam aliquando illis prænuntiatura, juxta Vaticinium Zach. X. 8. *ſibilabo eis* אֶשְׁרְקָה *& congregabo eos* ſcilicet ex toto Terrarum orbe. Non mirum proin, ſi omnem mouerint lapidem, ut ſcirent, quænam ſit hæc Auis. Germaniæ Judæi teſtibus *Münſtero* & *Fagio* ſeligunt *Picam*, quæ & placet *Münſtero* in Latina, *Deodatio* in Italica, Tigurinis in *vernacula Ägerſt*. Accedit Græcum Picæ recens nomen καρακάξα. Occurrit & apud Arabes *Sirikrak*, *Sikirrak*, *Siriſak*, in *Meninzk. Lex.* p. 2803. 2835. *Sirkrak*, *Sikyrrak*, *Sækyrrak*, Perſis *Caſina*, ſed ex Arabum deſcriptione conſtat, Auem hanc non eſſe *Picam*, ſed potius *Pici* quandam ſpeciem, coloribus variam. Samaritana Paraphraſis habet *naamitha*, *Struthionem*, Græci Κύκνον, *Cygnum*, *Hieronymus*, quem ſecuta Latina noſtra, *Pelecanum*, tanquam Auem φιλόςοργον, prolis amantem, רֶחֶם *rechem* enim *miſericordiam* notat. Notum autem ex Veterum Fabulis, Auem hanc occidere natos ſuos, per triduum occiſos lugere, deinde ſe ipſam roſtro vulnerare, & aſperſione ſui ſanguinis reuocare ad vitam. v. *Epiphan. Phyſiologus* c. 8. *Euſtath. in Hexaem. Auguſtin. in Pſalm.* c. 1. *Iſidor. Orig.* L. XII. c. 7. alii. *Junio* & *Tremellio* placet *Merops*, δικαιότατον καὶ εὐσεβέςατον ὀρνίθων ἁπάντων, *Auis omnium juſtiſſima & piiſſima*. *Ælian. Hiſt.* L. II. c. 30.

Ex tot variantibus opinionibus nulla placet *Bocharto*, cujus ſententia definitiua L. II. c. 26. ſtat pro *Vulture*, qui Arabum Lingua his nominibus *racham*, *rachama* ſit notiſſimus, id quod fusè ex variis ſcriptoribus probatum it. In *Meninzkii Lexico* hoc Synonymon ſub titulo *Vulturis* haud inuenio, ſed quidem p. 2298. quod *Ræcham* Turcis ſit Auis Vulturis forma corui magnitudine, & *Pelecani* Synonymum, ejusque mas *jerchum* p. 5572. Si Corui duntaxat eſt magnitudine, non erit Vultur propriè ita dictus, ſed alia Auis rapax, ſeu carniuora. Meum non eſt, examini ſubjicere, quæ laudatiſſimus *Bochartus*. c. 27. ſibi ipſe contra Vulturem objicit, & regerit. Id duntaxat addendum, in Deuteronomio legi *rachamah*, רָחָמָה fœmininum ſæpiusque eadem terminatione occurrere apud Arabes, quàm in maſculino. Sic legitur in Græca *Hori Apollinis* verſione ἡ γύψ, & obſeruandum, plerisque Ægyptiis perſuaſum fuiſſe, eſſe Vultures omnes fœminas, & concipere Noto flante, vel Subſolano obuerſas. Teſtes ſunt *Horus Hierogl.* L. I. c. 11. *Plutarch. Quæſt. Roman. Qu.* 93. *Ammian.* L. XVII. *Tzetzes Chiliad.* XII. *Hiſt.* 439. Atque ita per Traditionem, & Hiſtoriæ Naturalis neglectum, inualuit hæc opinio, ut è Patrum Eccleſiæ choro benè multi Vultures fœminas ſine coitu concipere ſtatuerint, imo abſurdo hoc argumento fuerint uſi contrà eos, qui CHRISTUM ex virgine naſci potuiſſe negabant. Legantur *Tertullianus in Valentinianos* c. 10. *Orig. contra Celſum* L. I. *Baſilius in Hexaem. Homil.* 8. *Ambroſius in Hexaem.* L. V. c. 20. *Euſtath. in Hexaem.* p. 27. *Procopius in Eſaj. Iſidor. Orig.* L. XII. c. 7. *Theophylactus Simocatta Quæſt. Phyſ.* 8.

In Tabula CCXLVIII. repræſentatur

A. Cygnus.
B. Ejusdem Sceleton. —
C. Aluco minor Aldrouandi. —
D. Veſpertilio. —
E. Pelecanus. —

In Tab. CCXLIX.

F. Ardea ſtellaris.
G. Merops.
H. Vultur aureus.

TAB.

JCB




LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Ardea Coerul. Fulica, Milvus ærug.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 19.
Blaues Vorind, Pöllen, Moßwenhe.

*I. G. Pinz sculps.*

# TAB. CCL.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 19.

Ciconia & Graculus juxta ſpeciem ſuam, Upupa & Veſpertilio.

Herodionem & Charadrion juxta genus ſuum, Upupam quoque & Veſpertilionem.

Nouæ Aues, difficultates nouæ. Prima ſanè חֲסִידָה *Chaſidah* tot diuerſas admittit interpretationes, ut in certas numero Claſſes dirimere neceſſe habuerit *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. c. 28. I. eſt τῶν LXX. qui habent ἐρωδιὸν, Vulgata *Herodium*, *Herodionem*, i. e. *Ardeam*, Pſalterium Æthiopicum *Herodios.* Eodem tendunt Arabes, qui habent *alheirandi, albalſun, albalſan, malich alhazin*, quæ voces omnes, uti ex *Damir* & aliorum deſcriptionibus conſtat, *Ardeam* ſignificant. II. *Fulicam* volunt *Auguſtinus* & *Arnobius* in *Pſalmos*, Auem etiam Aquaticam, quæ apud Veteres ſæpe cum Ardea, ἐρωδιῷ confunditur. III. Symmachus in Jobo reddit κύκνον, *Cygnum*, ſed ſuſpicatur *Bochartus*, pro κύκνος legendum eſſe ἰκτῖνος, *Miluus.* IV. Sanè *Hieronymo* placet Pſal. CIV. 17. Jer. VIII. 7. Zach. V. 9. *Miluus.* Appellatur hæc Auis Arabibus hodie *hædeet*, *hædat*, *heidele* apud *Meninzk. Lex.* 1573. 2189. nominibus aliquatenus affinibus. V. Hebræi vetuſtiores habent דַיָּה לְבָנָה *deja lebana*, quod per *Miluum* interpretatur *Hieronymus*, ſed *Bochartus Vulturem album.* VI. Chaldæus Zach. V. 9. Chaſida interpretatur per *Aquilam*, ſic & *Pagninus* in *Lex. Aquilam Herodianam.* Et ſcriptoribus barbaris *Erodius* eſt *Aquila major*, aut etiam *Hierofalco*, *Girfalco*, *Geyrfalk.* VII. Samaritano placet *Hirundo.* VIII. Arabes quidam in Lege ſacrum explicant *Accipitrem.* IX. in Pſalmis *Noctuam.* X. in Prophetis *alkoko*, quod *Gabriel Sionita* nunc reddit per *Gruem*, nunc per *Picam.* XI. Syrus *Ciconiam* in Jobo *Otum.* XII. Græci in Zacharia ἔποπα, *Upupam.* XIII. Lexicographis *Cyrillo* & *Phauorino* ἀσίδα eſt ϛρεθοκάμηλος.

Ex tot & tam variis ſeu conjecturis, ſeu Opinionibus probabilem reddit *Bochartus* c. 29. eam, quæ חֲסִידָה reddit per *Ciconiam.* Notat vox ipſa *piam & benignam.* (חֶסֶד *Cheſed benignitas*, חָסִיד *Chaſid, benignus.*) Competit autem hæc virtus, ſi quæ virtutes competere poſſunt Auibus, Ciconiæ. *Romanorum uſu Auis pia vocatur. Ambroſ. in Hexaem.* L. V. c. 16. *Publius* apud *Petronium.*

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietati-cultrix, gracili-pes, crotaliſtria.

Nouit ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις, *mutuas parentibus vices rependere*, quod jubet Paulus I. Tim. V. 4. Conſule *Platonem* in fine primi *Alcibiadis. Ariſt. Hiſt. Anim.* L. IX. c. 13. *Ariſtoph. in Auib. Plin.* L. X. c. 23. *Solin. Ælian.* L. III. c. 23. X. c. 16. *Apoſtolium Prou.* 1161. ubi πελαργοὶ cluent ſeptem Sapientum judicio τῶν ζώων εὐδαιμονέϛατα. *Origeni contra Celſ.* L. IV. εὐσεβέϛεροι τῶν ἀνθρώπων. *Hor. Hierogl.* L. II. c. 55. Hinc ἀντιπελαργεῖν in frequenti apud Veteres uſu pro *par pari rependere.* Sed non ſolùm Parentes ſenes alunt Ciconiæ, verùm etiam erga alios gratitudinem ſuam teſtantur, ſi vera eſt *Æliani Hiſt.* L. VIII. c. 22. de Tarentina muliere *Heraclide* narratio, quæ cum Ciconiæ crus fractum obligaſſet & curaſſet, Anno ſequente à Ciconia *Lapidem (Lychnin, Lychnidem, Lychnitem)* in gratitudinis teſtimonium accepit, cujus fulgore noctu ſplendebat domus. Eſt inſuper Auis hæc erga pullos φιλόϛοργος, quos etiam heſterno cibo evomito alit, τὴν ἑαυτȣ̃ χτιζὴν (τροφὴν) ἀνεμέσας ἐκείνȣς τρέφει, *Æliano* teſte. Quadrat & immundæ Auis character, quem Moſes τῷ חֲסִידָה tribuit. Notum, Serpentibus veſci, & venenoſis Animalibus, & iisdem cibis nutrire pullos. *Juuen. Sat.* 14.

- - - - - - ſerpente Ciconia pullos
Nutrit, & inuenta per devia rura Lacerta.

Hinc & Mahumedanis eſus Ciconiæ prohibitus, quam *Leklek*, *Legleg* vocant. In *Meninzkii Lex.* p. 1735. lego Turcicè *Læklæk*. p. 4183. Arabicè *Læghlægh.* p. 4190. Turcicè *Læklak.* Plur. *Lekalyk.* vulg. *Leklek.* p. 4219. Arab. *Leilek.* Placet & ad Rhombum magis quadrat propter nominis *Chaſidah* affinitatem Turcarum *Chu-hudeigh*, quod inuenio p. 1735. & generatim ὡς ἐν παρόδῳ moneo, placere magis ad demonſtrationem rei nominum Orientalium qualemcunque affinitatem, quàm ſolam, qua frequentiſſimè utitur magnus *Bochartus*, *Etymologiam.* Aliam probationem pro Ciconia dant Loca Codicis Sacri Job. XXXIX. 13. Pſal. CIV. 17. Jer. VIII. 7. Zach. V. 9. quæ Aui huic quadrant. Pugnat tandem pro hac ſententia

Interpretum numeroſa auctoritas, Syrorum, quibus חסידה *hurba* dicitur, i. e. Maronitarum doctiſſimorum judicio, Ciconia: Arabum, qui in Jeremia & Jobo habent *alkoko*, i. e. Ciconiam, quod ex deſcriptionibus colligere licet: Hebræorum doctiſſimorum inde à 600. annis. Videri poſſunt R. *Selomo* in Legem, *Kimchius* in Jeremiam, *Pomarius* in Lexico, *Pagninus*, *Münſterus*, *Arias*, *Caſtalio*, *Junius*, *Piſcator*, Angli, Belgæ, Itali, Galli, Tigurini in utraque, *Santes*, *Schindlerus*, *Buxtorf*.

Sequitur אֲנָפָה *anaphah*, Auis præcedenti minus cognita, valde iracunda, אַף *ira*, אָנַף *iratus fuit*. Conjectauit vel inde *Bochartus* in frontiſpicio cap. 30. eſſe *Aquilæ* genus *Zummag* Arabibus dictum, *Zumach*, *Zimiech*, à *Zamigia*, *iraſci*, *Zamag*, *ira*. In *Meninzkii Lexico* nomen hoc non inuenio inter Synonyma *Aquilæ*, ſed quidem *Zümmah* Turcarum pro Aue, quæ infantes è cunis rapit. p. 2462. *Zümmeg*, *Zümmeng*, *dü buradran* Perſ. pro Aue rapaci p. 2464. τῷ אֲנָפָה affinis eſt ἀνόπαια *Aquilæ* ſpecies apud *Homerum Odyſſ.* α v. 320. interprete *Euſtathio*. Si pronitatem Iræ reſpicias, poſſet huc trahi *Falco montanus*, ſeu *montanarius*, *Bergfalk* dictus, *Alberto* teſte *genus ferum*, & *malis præditum moribus*, *iracundum*, *inconſtantis iræ*. In ſolo *Pagnini Theſauro* per *Mercerum* aucto decem diuerſas legas vocis אֲנָפָה interpretationes. *Auis*, inquit, *quam alii Picum*, *alii Miluum appellant*, *Hieronymus ſequutus Græcos Charadrium. R. Selomo dicit, quod eſt miluus (imò Vultur) irritabilis. Et videtur*, inquit, *mihi*, *quod ſit, quam vocant* הירון *Heron, Latinè Ardea. Thargum habet* אבו *ibbu*, *miluum*, *ut nonnulli interpretantur. Etiam Picam iracundam dicas. Quidam Palumbum ſylueſtrem*, *Picum alii*, *alii Græculum eſſe volunt. Quidam Recentiorum Otum eſſe putant, de quo Ariſt. Hiſt. Anim. L. VIII. c. 12. qui à pinnulis circa aures eminentibus ita dictus eſt quaſi auritus. Quidam Upupam credunt, quod ad Charadrium proximè accedit, quia criſtam in fronte geſtare videtur.* Addi his poteſt Syrus, qui Hebræam vocem retinet, quam *Ferrarii* Lexicon Syriacum *Porphyrionem* explicat. Samaritanus item, cui אֲנָפָה eſt *Hirundo*, & Arabes Interpretes, quorum duo editi habent *alababga*, *albabgia*, *Pſittacum*, voce παπαγὰς Græcorum modernorum & Germanorum *Papagey* ſimillima: duo verò Manuſcripta *alokab*, Aquilam: tandem *Hieroſolymitanus*, qui habet אבניתא *abnitha*, & *Jonathan*, cui placet *Vultur niger*. Ex his omnibus *Ardeam* ſeligunt *Caſtalio*, *Junius*, *Tremellius*, Angli, Galli, Itali, fortè quòd legerint apud *Ælianum Hiſt.* L. V. c. 36. *Ardeam ſtellarem* in Ægypto cicuratam iraſci, ſi quis eam per conuitium ſeruum appellet, εἰ τις αὐτὸν ὀνειδίζων δοῦλον εἴποι. Tigurinæ placet *Graculus*, der *Häher*, *Hätzler*, ſcilicet nos illis accedimus, qui *Picam* vel *Picum* volunt, de quo *Ouid. Metam.* L. IV. *Fab.* 7. nempe *Pico* Latii Rege mutato in *Picum* Auem.

Seque nouam ſubito Latiis accedere ſyluis
Indignatus auem, duro fera robora roſtro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.

Sed nec Pici, nec Ardeæ ira, qualis ea ſit cunque, conferri poteſt cum ira Auium rapacium. Cur Judæis *Otis*, *Tarda*, *Trapp*, placeat, non prorſus conſtat, quum ad genus gallinaceum mundum hæc pertineat, & delicatiſſimis cibis annumerari mereatur, imo Auis ſit admodùm puſillanimis, minimè iracunda. Græci, dum χαράδριον vertunt, videntur, judice *Bocharto* pro אנפים *anaphim* legiſſe agaphim, ſignificat autem אגף *agaph* in Aue *alam*, in Homine *Brachium*, in amne *ripam*, & ſunt αἱ χαράδραι hiatus prope amnes aut Torrentes, in quibus hæc Auis nidificat. Sic Arabes, qui *Pſittacum* malunt, videntur אנפה deduxiſſe à ענף *anaph* ramus, ſuſpendit enim Pſittacus nidum è ramis Arborum. Sed hæc Auis, verè Indica, Moſis æuo non potuit eſſe cognita.

Sua rurſus & varia fata habet, quæ ſequitur, דוכיפת *dukiphath*, quaſi דוכיפות *dukephoth*, *duas habens criſtas*, ſi *Pagnino* credimus. Sed nulla eſt Auis δίλοφος, & *Criſta* Hebraicè dicitur non כיפה *Kephah* vel כיפת *Kephath*, ſed כרבלה *Kirbelah*. Rectius R. *Solomo* & Talmudici Auem hanc deriuant ex הוד כפות *hodo Kaphuth*, *eminentia ſeu Criſta alligata*, nam הוד *decus*, *eminentia*, כפת *ligare*, *vincire*. Sed nec hanc Originationem admittit *Bochartus Hieroz.* P. II. L. II. c. 31. quia הוד *hod* quidem decus, eminentiam notat, ſed pro criſta nunquam ſumitur, & criſtata Auis non rectè dicitur habere criſtam alligatam, quæ illi eſt innata. Arabibus *dik* eſt *Gallus*, hinc poſſet *dukiphath* idem eſſe quod דוך כפא *duk Kepha*, *Gallus rupis*. Sanè Hebræi quidam Doctores *Gallum montanum*, *ſylueſtrem* explicant. *Elias Leuita* אוירהאן *Auerhan*. Sic & Chaldæi tres, *Hieroſolymitanus*, *Jonathan* & *Onkelos*; vel tandem *dukiphat*, *gallus portentoſus*, *ominoſus*, *auguralis* poterit eſſe noſtra Auis, à דוך *duk*, *Gallus*, & יפת *japhath*, *portendere*. Hæc de nominis origine; Nunc ad rem ipſam. Sadducæi *Gallinam* vulgarem ſunt interpretati, & propterea ab ejus uſu abſtinuerunt. *Eliæ*, ut ſupra vidimus, placet *Urogallus*, *Tetrao major Aldrov.* nobis *Urhan*, *Auerhan*. *Junio* & *Tremellio Attagen* das *Haſelhun*. Sed hæ Aues omnes, utpote Gallinacei generis, & graniuoræ ad mundorum Claſſem pertinent. Superſunt LXX, qui ἔποπα, *Upupam* reddunt. Hi præ aliis aſſenſum & obtinent, & merentur. Ita vertunt *Vulgatus*, *Arabes* quatuor, qui habent *albudud*; In *Meninzkii Lex.* p. 5450. legas

gas *hiidhiid*, *hiidehid*, *hiidahid*. Plur. *hedahid:* Quæ Auis *Galli* cognomen vel ob criſtam meretur. Sanè *Heſychius* vocat ἀλεκτρύωνα ἄγριον, *Æſchylus* πετραῖον ὄρνιν, Gallum, vel Auem ſaxatilem ſylueſtrem. Nam ὄρνιν vel ὄρνιθα ſumſerunt veteres pro Gallinaceo genere. Græci vulgô ἀγριοκόκορον, Gallum ſylueſtrem. Upupam in montium jugis & præruptis rupibus atque Syluarum receſſibus morari notum. Hinc ὄρειον (ζῶον) ἔποψ. *Ariſt. Hiſt.* L. I. c. 1. Eſt & *Upupa Gallus* ominoſus, portentoſus, auguralis, vel ipſa ſpecie.

- - - - - cui ſtant in Vertice
criſtæ,
Prominet immodicum prælongâ cuſpide roſtrum,
Nomen Epops volucri, facies armata videtur.

*Ouid. Met.* L. VI. *Fab.* 7. *Hujus Sanguine ſi ſe quisquam inunxerit dormitum pergens, Dæmones ſuffocantes ſe videbit. Iſidor. Orig.* L. XII. c. 7. Hujus generis ſuperſtitioſa alia, imò Magica, vel antimagica legas apud Arabes. Et, Judæos ſi audiamus, דוכיפת attulit שמיר *Samir*, *vermiculum* illum miræ virtutis, quo Moſes uſus eſt ad Gemmas Ephodo inſculpendas, & Solomon ad dedolandos Templi lapides absque ullo ferramento. Pro *Upupa* tandem, quam & Tigurini habemus, in utraque Verſione, facit, quòd Ægyptiis vocetur *Kukupha* voce *dukiphath* affini, Syris *Kikupha* in *Ferrarii Lexico*. Ex Upupa *Alaudam* mira metamorphoſi facit *Pandectarius*. Abſurdè, nempe ex Arabum *albudud*.

Auium ultima eſt עֲטַלֵּף *atalleph*, de qua nullum dubium, eſſe *Veſpertilionem*. Poſtremum hæc locum meruit, ambiguum inter Volatilia & Quadrupedia Animal, ἐπαμφοτερίζων τοῖς πτηνοῖς καὶ πεζοῖς, ἀμφοτέρων τε μετέχων, καὶ οὐδετέρων. *Ariſt. de Partib. Anim.* L. IV. c. 13. Unde *Varro* in *Agathone*.

Quid multa? factus ſum Veſpertilio, neque
In Muribus planè, neque in Volucribus ſum.

Hebræum עֲטַלֵּף vel Chaldaicum עֲטַלֵּפָא *atallepha* ortum autumat *Bochartus* L. II. c. 32. trajectione literarum à עפטלל *aphtalel*, vel *ophtalel*, quod ſignificat *Auem tenebrarum*. עוף *oph* eſt *Auis*, צֵל *tſel* vel צְלָל *tſelal*, *umbra*, *tenebræ*. Chaldæi ſcribunt טול *tul* & טְלָל *telal*. Ita Græcis dicitur νυκτερὶς ἀπὸ τῆς νυκτός. Latinis *Veſpertilio* à *Veſpera Ouid. Met.* L. IV. *Fab.* 12.

Nocte volant, ſeroque tenent à veſpere nomen.

Ex enumeratione Auium prohibitarum, immundarum, licet earum aliquæ dubiæ ſint, id in genere conſtat, eſſe rapaces, carniuoras, imo & cadaueriuoras, ut immundis prorſus veſcantur cibis, imo obtinuiſſe ad hunc eundem finem ſtructuram Ventriculi aliam ab ea, quam habent graniuoræ: dari proin, & in ipſis Auibus reperiri tum cauſas, tum ſigna Præcepti prohibitorii, quo ipſam Hominum ſanitatem, ejusque conſeruationem intendit Creator optimus. Ipſi ſanè Doctores Hebræi neceſſe habuere ſigna, quibus mundas ab immundis, ſi fortè quædam minus notæ offerrentur, diſcernere poſſent. In Talmudico Tractatu *Cholin* f. 63. b. mundarum notæ ſunt tres. 1. ſi habeant digitum ſuperfluum, id eſt, calcar, quali gaudent Galli. 2. Ingluuiem Hebræis מוראה *mureah* dictam. 3. Si Ventriculus manu nudatur ſine cultro. Talis nempe Ventriculus fortis, validis muſculis inſtructus, ſtatim forma globoſæ maſſæ ſolidæ, vel à cœco manibus palpari, & à membrana adipoſa facillimè nudari poteſt. Duplicis autem hujus Ventriculi ſtructuram facere ad ciborum meliorem πέψιν ſupra vidimus.

Hac mea & aliorum Phyſicorum Hypotheſi nolo eſſe præjudicio aliis Scripturæ Sacræ Interpretibus, ſenſum Myſticum Legis in Theatrum producentibus, ubi is Rationi congruit: cum iis, fateor, concordare neſcius, qui cum *Bocharto rationem* totam *myſticam* eſſe contendunt, qui tamen paſſim in eruditiſſimo ſuo Philologico magis quàm Phyſico, opere allegat Phyſicas & Medicas. Non pugnant ſubordinata. DEUM nos veneramur ut Medicum Corporis & Animæ, ut Saluatorem, ſed & ut potentiſſimum Creatorem, & optimum Seruatorem.

Sed videamus Summi Viri conſiderationes myſticas. 1. *Rapaces*, inquit, *aues prohibuit DEUS*, *Aquilam puta*, *oſſifragam*, *Miluum*, *Vulturem*, *Accipitrem*, *Coruum &c. ut à rapina Judæos auerteret.* Quid ſi prætenderem, rapaces Aues metaphyſico ſenſu non eſſe rapaces? Eo viuunt, quod ipſis adjudicauit Creator, quod ſtructuræ ſuæ & conſeruationi eſt conſentaneum, imo ſæpe eo, quod Hominibus eſt noxium, imò Terram & Atmoſphæram purgant Inſectis, Serpentibus, Araneis, Muribus. 2. *Nocturnas*, *puta Bubonem*, *Veſpertilionem*, *ut abjicerent opera Tenebrarum*, *& ſe proderent Lucis filios.* Habeo & heic, quod excipiam. Non minus congruit Naturæ, quæ Nocte fit, hujusmodi Auium euolatio, quàm diurna diurnarum, imo diurna noſtrorum Laborum executio. Eam à ſapientiſſimo Conditore obtinuerunt, Oculorum ſpeciatim, ſtructuram, ut noctu duntaxat & viam inueniant, & cibos, interdiu cœcæ. Sunt proin illarum opera bona, quia inſtitutioni Diuinæ, Legibus à DEO latis conformia, quum è contra opera noſtra Tenebrarum ſint mala, quia Legi Diuinæ aduerſa. 3. *Lacuſtres & riparias*, *ut Onocrotalum*, *Catarrhactem*, *Pelicanum*, *Ciconiam*, qua-

*quarum victus eſt impuriſſimus, & Upupam, quæ in ſtercore nidulatur, ut ab omni immunditia Homines arceret.* Ubi obſeruandum rurſus, eſſe cibos memoratos impuros relatiuè duntaxat ad nos, puros imo puriſſimos, reſpectu habito ad illos. 4. *Struthionem denique, qui à Terra non attollitur, ut terrenis relictis ad ea tenderent, quæ ſurſum ſunt.* Sed obſtaculo mihi eſt rurſus, ut ſupra Oculorum, ita heic Corporis totius & Alarum ſtructura, talis, quæ prægrandem molem eleuare nequit. Et cur non, ſi ſurſum corda mortalibus inſinuare velimus, vel ad ipſius Sacræ Scripturæ imitationem, utimur Exemplo Aquilarum, Accipitrum, Falconum, Niſorum, quæ altius ſeſe in Aera vehunt, quàm aliæ Aues, & tamen ſunt immundæ, rapaces? Abundant Myſticis hujusmodi ſenſibus aliàs Allegorizantes nimiùm Patres, *Clemens Alexandr. Stromat.* L. V. in *Pædagog.* L. III. c. 11. *Orig. in Leuit. Homil.* VIII. *Nouatianus de cibis Judaicis* c. 3. *Cyrillus* L. IX. *Contra Julian.* L. XIV. *de Adoratione.* Et *Bocharto* inprimis placet *Thomæ* acumen, cujus hæc ſunt verba. 1.2.9 102. Art. 6. *In Aquila, quæ altè volitat, prohibetur Superbia. In Gryphe, qui Equis & Hominibus infeſtus eſt, crudelitas potentum prohibetur. In Haliæto, qui paſcitur minutis Auibus, ſignificantur illi, qui pauperibus ſunt moleſti. In Miluo, qui maximè inſidiis utitur, ſignificantur fraudulenti. In Vulture, qui ſequitur Exercitum, expectans comedere cadauera mortuorum, ſignificantur illi, qui mortes & ſeditiones Hominum affectant, ut inde lucrentur.* Ego, ne myſticum ſenſum prorſus eliminare videar, explicationi propriæ inhærens id unicum & mihi inſinuatum volo, & aliis, euitandum eſſe generatim omne id, impurum, ἄνομον, quod viam ad temporalem atque æternam felicitatem præcludit, & omnes neruos ad id intendendos, ut frui poſſimus ſummo, puriſſimoque Bono, quemadmodum in hac vita noſtra neceſſe habemus euitare omnes cibos, qui Sanitati noſtræ ſunt noxii, & morbis varii generis viam aperiunt.

In Tabulis ad Verſiculum præſentem 19. ſpectantibus viſuntur

Tab. CCL.

A. Ardea cœrulea. Sloane Nat. Hiſt. of. Jamaica Vol. II. p. 314. Tab. 264. The Heron. Angl.

B. Fulica major.

C. Miluus æruginoſus. An Circus Bellonii? Willoughb. ornithol. p. 42.

## TAB. CCLI.

D. Vultur Gallinæ Africanæ facie. Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol. II. p. 294. Tab. 254. Urubu Braſilienſibus Marcgr. p. 207. Tzopilotle ſiue Aura Hernandez p. 331. The Carion Crow. Angl.

E. Girfalco. The Jerfalcon. Angl. Willoughb. Ornithol. p. 44.

F. Chryſaetos. Aldrov. Ornith. L. II. c. 2. Aquila fulua ſeu aurea. Willoughb. Ornithol. p. 27.

## TAB. CCLII.

G. Ciconia alba. Willoughb. Ornith. p. 210.

H. In Gratiam Ciconiæ ad marginem ſiſto binos ex Familia Antonia Nummos, in quorum uno Ciconia, Pietatis ſymbolum, ſtat pro pedibus mulieris ſtolatæ, in altero adſunt duæ Ciconiæ in Vertice alius cornucopiæ, quod ſiniſtrâ gerit Mulier ſtolata. Vaillant Num. Famil. p. 94.

I. Hirundo domeſtica. Willoughb. Ornith. p. 155.

K. Graculus. Monedula ſeu Lupus Aldrov. Will. p. 85.

L. Falco peregrinus.

## TAB. CCLIII.

M. Charadrios.
N. Pſittacus.

O. Ejusdem Sceleton. Ex Blaſii Anat. Anim. p. 444. fig. 3.
P. Urogallus.

## TAB. CCLIV.

Q. Attagen. Gallina Corylorum.
R. Upupa.

S. Veſpertilio.
T. Ejus Sceleton.

TAB.



LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Vultur. Girfalco, Chryſaetos.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 19.
American. Geyer, Geyerfalck, Gold-Adler.

I. G. Pinz sculps.

RPJCB



LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Ciconia, Hirundo, Graculus, Falco.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 19.
Storch, Schwalbe, Dole, frembder Falck.

*I. G. Pinz sculps.*

JCB



Leviticı Cap. XI. v. 19.
Charadrios, Psittacus, Urogallus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 19.
Triel, Papagey, Auerhan.

*I. G. Pinz sculps.*

RPJCB



LEVITICI Cap. XI. v. 19.
Attagen, Upupa, Veſpertilio.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 19.
Haſelhühn, Widhopf, Fledermaüß.

*I. G. Pinz sculps.*

RPJCB

RPJCB





LEVITICI Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Locuſtæ.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Heuſchrecken.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

TAB. CCLVI.





Levitici Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Locuſtæ.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Heuſchrecken.

*I. A. Fridrich sculps.*

RPJCB




LEVITICI Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Naves Phoeniciorum.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 20. 21. 22.
Phöniciſche Schiffe.

*B. S. Sedlezki sculp.*

# TAB. CCLV. CCLVI. CCLVII.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 20. 21. 22.

Quicquid ex volucribus repit & vadit ſuper quatuor, abominandum vobis eſto.
Veruntamen iſtud comedetis ex omni reptili pennato, quod graditur ſuper quatuor, cui ſcilicet ſunt ſuffragines ſuper pedes ejus, quibus ſaltare poteſt ſuper Terram.
Ex quibus hæc comedetis: Arbe juxta ſpeciem ſuam; & Saleam juxta ſpeciem ſuam, & Hargol juxta ſpeciem ſuam, & Hagab juxta ſpeciem ſuam.

Omne de volucribus, quod graditur ſuper quatuor pedes, abominabile erit vobis.
Quicquid autem ambulat quidem ſuper quatuor pedes, ſed habet longiora retrò crura, per quæ ſalit ſuper terram.
Comedere debetis, ut eſt Bruchus in genere ſuo, & Attacus atque Ophiomachus, ac Locuſta, ſingula juxta genus ſuum.

Pergit Legiſlator, & nos, Moſe duce, ad minimi generis Animalia, vel Animalcula, *Inſecta*, ἔντομα dicta, quorum conſideratio non ita eſt, ut olim, ante Microſcopiorum uſum, credebatur, abjecta, ſed maximi ad Theologiam Naturalem uſus. Agnouit id *Hieronymus Epiſt.* 22. L. II. *Creatorem*, inquit, *non in Cœlo tantùm miramur, & Terra, Sole & Oceano, Elephantis, Camelis, Equis, Bobus, Pardis, Urſis, Leonibus, ſed & in minutis quoque Animalibus, Formica, Culice, Muſcis, Vermiculis, & iſtiusmodi genere, quorum magis ſcimus corpora, quàm nomina, tandemque in cunctis veneramur ſolertiam.* Merentur heic, ad confuſionem plurium Chriſtianorum, imo & eorum ex Eruditis, qui Theologiam Naturalem parui faciunt, apponi, quæ ſcripſit *Plinius* L. XI. c. 2. *Sed turrigeros Elephantorum miramur humeros, Taurorumque colla, & truces in ſublime jactus; Tigrium rapinas, Leonum jubas, cum rerum natura nusquam magis quàm in minimis tota ſit* — *In magnis corporibus facilis officina ſequaci materia fuit. In his tam paruis atque tam nullis, quæ Ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? ubi tot ſenſus collocauit in Culice? & ſunt alia dictu minora. Sed ubi viſum in eo prætendit? ubi guſtatum applicauit? ubi odoratum inſeruit? ubi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingenerauit? qua ſubtilitate pennas adnexuit? prælongauit pedum crura? diſpoſuit jejunam caueam uti alvum? auidam ſanguinis & potiſſimùm humani ſitim accendit? telum verò perfodiendo tergori, quo ſpiculauit ingenio? Atque ut in capaci cum cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminauit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, ſorbendoque fiſtuloſum eſſet. Quos Teredini ad perfodienda Robora, cum ſono teſte, dentes affixit?* Non equidem hujus eſt loci, nobiliſſimum hoc argumentum explicare fuſius, eaque, quæ de Inſectorum, & minimi puncti Animalculorum ſtructura, varietate, coloribus, Generatione, Metamorphoſi, partium ſubtilitate, laboribus, actionibus, dici poſſunt, ad cognitionem DEI applicare. Auocat me, & vocat ad ſe Textus.

*Quidquid ex Volucribus repit & vadit ſuper quatuor, abominandum vobis eſto.* Ita Scriptor ſacer, fidus ſummi Legiſlatoris interpres. Id eſt, *Inſecta* omnia, alata, quæ alarum ope ab uno loco ad alium ſe transferunt, ſint immunda vobis, culinâ veſtrâ & menſâ excluſa. Obſeruanda ſunt heic nonnulla pro explicatione Textus, & notitia rei. 1. Inſecta τετράποδα nominat Moſes, ſed propterea ab immunditiei nota non liberat ἄποδα, non Millepedas, vel quæ alium à quaternario habent pedum cunque numerum, ſed ab eſu excludit Inſecta generatim omnia, exceptis duntaxat Locuſtarum illis ſpeciebus, quas mox v. 22. enumerat. 2. attentionem meretur, quod Moſes τετράποδα vocet Inſecta, quum tamen conſtet, pleraque eſſe hexapoda, & ipſas illas Locuſtas, quas excipit, non quadrupedas, ſed ſex inſtructas eſſe pedibus, quos Experientia monſtrat, & omnis Philoſophorum ætas admittit. Sed Moſen & excuſat & explicat, ipſa Naturalis Hiſtoria. E Locuſtarum ſex pedibus duo longiores & poſtremi non ſerviunt ad inceſſum, ſed ad ſaltum, proinde propriè loquendo non ſunt Pedes, ſed aliud, ſi quod nobilius inveniri poteſt, meren-

tur nomen. Imo verò à Moſe à Pedibus diſtinguuntur, & ſuo peculiari nomine inſigniuntur. En Textum ex noſtra Verſione v. 21. *Veruntamen iſtud comedetis ex omni reptili pennato, quod graditur ſuper quatuor*, (pedes) *cui ſcilicet ſunt ſuffragines* (כְּרָעַיִם *Keraaim*, crura) *ſuper* (præter) *pedes ejus* (לְרַגְלָיו) *quibus ſaltare poteſt ſuper Terram.* In Vernacula noſtra clarior foret ſenſus, ſi verba hæc אֲשֶׁר־לֹא כְרָעַיִם מִמַּעַל לְרַגְלָיו ita redderentur, *was Schenckel neben* (oder hinter) *ſeinen Beinen hat.* Hanc explicationem legesis in *Auguſtino* L. II. *Retractation.* c. 15. ubi: *Lex non computat in pedibus duo poſteriora crura, quibus Locuſtæ ſaliunt.* Dicuntur hæc ἁλτικὰ μόρια, *ſaltatoriæ partes Ariſtoteli de Partib.* L. IV. c. 6. quia nempe iis Locuſta *ſalit ſuper Terram* & *Hiſt.* L. IV. c. 9. πηδάλια, quæ *ſaltatoria crura* reddit *Scaliger*, ἀπὸ τοῦ πηδᾶν, à ſaliendo. Ipſum ſi conferamus Philoſophum cum ſeipſo, erunt πηδάλια potius *gubernacula*, quia ſunt πηδαλιώδη, *in gubernaculorum formam condita.* Et conferri commodè poſſunt cum Veterum Nauibus, quæ duo habebant Gubernacula. Ita de *Carthaginenſium* nauibus *Ælianus varior.* L. IX. c. 40. δύο μὲν πηδάλια ἔχειν, καὶ δύο κυβερνήτας. Et in Pauli Naue Lucas memorat in Plurali numero τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων, *vincula gubernaculorum.* Act. XXVII. 40. Sanè Locuſtæ his ſuis cruribus ſaltatoriis ſaltus ſuos & volatus dirigunt ad dextram, ſiniſtramue: ita nempe, ut dextro attenſo ad ſiniſtram moueatur Animal, ſiniſtro ad dextram. Sic *Muſcæ*, quas quotidie videmus oculis obuolitantes, non ſunt, propriè loquendo, hexapodæ, verùm tetrapodæ, quia duo pedes anteriores manuum vices gerunt, quibus oculos puluere obſitos abſtergunt, cibos ſumunt, & quod tollendum eſt euehunt. Eadem ratio eſt *Crabronum*, *Apum*, *Veſparum.* Audi *Lucianum de Muſca.* ἑξάπους δὲ οὖσα &c. *Cum ſit ſexipes, quatuor tantùm pedibus incedit, aliisque duobus anterioribus utitur tanquam manibus: Ipſam igitur pedibus quatuor gradientem videas, & edule aliquid manibus in ſublime tollentem, humano prorſus noſtroque more.* Similia habet *Plinius* L. XI. c. 46. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 9.

Hæc Interpretatio clara ſi nota fuiſſet *Franciſco Junio*, & jam ante eum *Johanni Piſcatori*, non ita ſe, ut fecerunt, torſiſſent circa Verſionem, & ſenſum Textus non, ut *Junius*, invertiſſent. Ita autem hic. *Hoc comedetis ex omni reptili volucri, quod ambulat quatuor pedibus, quod non habet crura ſupra pedes ſuos, quibus ſaliat ſuper Terram.* Hic igitur non comedenda vult, quæ Sacer Codex permittit, affirmatiuam commutans in negatiuam. Sibi autem mox ipſe contradicit, ita pergens. *Ex illis comedetis iſta, Locuſtam* &c. quæ tamen habet crura illa ſaltatoria. Nimirum ille לֹא legit pro *non*, quum tamen idem heic ſit quod לוֹ, *ei*, & juxta Maſoretharum animaduerſionem 15. locis ſcribatur לֹא pro לוֹ. Hinc eſt, quod לוֹ addiderint in Gloſſa marginali, imo ipſum Hebraicum Samaritanorum Exemplar in ipſo Textu habet לו.

Sed pergendum ad cauſas Præcepti Phyſicas, circa quas ordinariè vel ſilent, vel ſeſe non adeò extendunt Interpretes, ex defectu ſcilicet Naturalis Hiſtoriæ, circa notas Criticas, vel myſticum ſenſum occupati magis. Sunt Inſecta generatim ſicut ſenſibus noſtris externis, ſpeciatim Viſui, propter nimiam ſuam paruitatem inadæquata, ita quoque toti corpori noſtro, & conſtant particulis nimis tenuibus, volatilibus, nutritioni ineptis, imo acribus, cauſticis, noxiis. Docet id nos Chymica Analyſis Formicarum, Cantharidum, Lumbricorum, Bombycum, Serici, & prolecti inde penetrantiſſimi Spiritus, Olea acria, Salia volatilia. Notum porrò eſt, plurima eſſe, quæ victitant cibis immundis, putrida Animantium aliorum carne, delectari fimo, & Excrementis ſuis ciere obuia alia in Fermentationem, proin & in Corpore noſtro excitare poſſe motus inordinatos. Notum vel in Vulgus, quàm *Muſcæ* depoſitione vel ouulorum ſuorum, vel Excrementorum, Mel, Syrupos, & hujuſmodi alia inficiant & corrumpant. Ad quod alludit Eccleſiaſtes. X. 1. *Ut Muſcæ mortuæ fœtere, atque fraceſcere faciunt unguentum Pharmacopolæ, ita modica ſtultitia (perdit) quod pretioſum eſt ex Sapientia & honore. (Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem unguenti: precioſior eſt ſapientia & gloria parua ad tempus ſtultitia.)* Obſeruari meretur tandem, eſſe omnis generis Inſecta in Orientalibus illis Regionibus, quò magis ad Zonam accedunt Torridam, acrioris & venenatæ magis naturæ, & per conſequens recedere longius à vi alimentoſa reſpectu ad Corpus noſtrum habito. Hæc obſeruatio non impedit, quò minus inter munda Animalia referri queant Locuſtæ: argumenta ex alimentis deſumta videbimus infra. Et ex iis inprimis Locuſtis eæ immundis poterunt accenſeri, quæ Excrementa adoriuntur, & Cadauera, mundis, quæ in Vegetabilibus manent.

Fuere Præcepta, quæ eſum Quadrupedum, Piſcium & Auium ſpectant, negatiua magis ſeu prohibitoria: hoc nunc, quod v. 22. legitur, præſenti conſiderationi ſubjiciendum, eſt affirmatiuum ſeu conceſſorium, quia ex infinito Inſectorum numero pauca, quæ ibi recenſentur, Locuſtarum genera, pro mundis declarari poterant. Difficile erit utique, & tantùm non impoſſibile, ex ampliſſimo *Locuſtarum* Regno producere illa, & oculis ſiſtere, qualia nam ſint, tum quia Europæis Nationibus minus ſunt cognita, tum quia periere genuina nomina, horumue applicatio: idem fatum prope paſſa cum Lapidibus illis in Pectorali pretioſis, quorum quidem nomina ſuperſunt, ſed incertæ admodum ſunt ſignificationis. Tentabimus interim quod poſſumus, ſtabit pro viribus voluntas.

Pri-

Primum genus eſt אַרְבֶּה *Arbe*, quod *Abenezra* deducit à רָבָה *rabah*, *multum eſſe*, *multiplicari*, & rectè, non eſt Animal Locuſtâ fœcundius. Teſtem habemus Experientiam, ſed quoque diuerſa Sacri Codicis loca, Exod. X. 5. Jud. VI. 5. VII. 12. Pſal. CV. 34. Jer. XLVI. 23. LI. 14. Joel. I. 6. Nahum III. 15. Judith. II. 11. Sed ex æquo omnibus Locuſtarum generibus conuenit hæc generaliſſima interpretatio, neque propterea ſcimus, quale nomen ſit אַרְבֶּה. Niſi lucem fœneretur affine Vocabulum *renb*, quo Turcæ ſignificant *Locuſtam breuis caudæ* in *Meninzki Lex.* p. 2364. Sanè *Arbe* juxta Talmudicos caudâ prorſus caret. Vide plura infra.

Secunda Species סָלְעָם *Solam, Saleam, Abenezræ* dicta à סֶלַע *Sela*, petra, quia conſcendat petras, vel potius à Chaldaico סלעם *vorare*, *abſumere*. Sed videt nemo non, neque hanc originationem nobis dare diſtinctum de ipſa Locuſtarum hac ſpecie conceptum, certè non poſteriorem, quia τὸ vorare, abſumere, omnibus omnino Locuſtis eſt commune, id quod triſti euentu experiuntur Regiones illæ, in quas ſeſe Locuſtarum agmina demittunt. Affinis eſt huic voci Italorum *Soliotta*.

Tertia eſt חַרְגֹּל *Chargol* fortè ab Arabico *chagala*, *in longum ferri*, *longâ ſerie produci*, ut ſpeciatim ſignificet longa illa Locuſtarum agmina, quæ aliquando per 12. Milliaria protendi ſcribit *Cadamuſtus Nauigat.* c. 13. Sed ita rurſum non indicatur certa quædam Locuſtæ, & ab aliis diſtincta, ſpecies.

Quarta חָגָב *Chagab*, fortè ab Arabico *Chaga*, *velare*, quia cum turmatim volant, Solis lumen velant, ſiue obſcurant. Ex Arabum hodierna Lingua affines ſunt voces *giabi, ebu giuchad*, quæ *Locuſtas* in genere ſignificant. *Meninzk. Lex.* 6017. 6020.

Hactenus, & ex Judæorum Scriptis, nihil quoad differentias Locuſtarum piſcari licuit: clarum eſt autem, diſtinctas indicari Species, vel genera diſtincta cum ſpeciebus ſuis ſubordinatis. Patet id quoque ex Joele I. 4. *Quod reliquum fecit Eruca* גָּזָם, *comedit Locuſta* אַרְבֶּה, *quod Locuſta reliquum fecit, comedit Bruchus*, יֶלֶק, *& quod bruchus reliquum fecit, comedit Robigo* חָסִיל. Ad quem Locum obſeruandum, omnia hæc quatuor nomina Locuſtis tribui, de qua re plura ſuo loco.

Apud Græcos interpretes occurrunt ſequentia quatuor ordine nomina. 1. βρῦχος vel βροῦκος, ut ſcribebant Jones, βροῦκας Cypriis, quibus ſignificabatur Locuſta viridis, Tarentinis verò *Attelabus*. Hæc *Heſychius*. Βροῦκος, ἀκρίδων εἶδος Ἴωνες, Κύπριοι δὲ τὴν χλωρὰν ἀκρίδα βροῦκαν. Ταραντῖνοι δὲ Ἀττέλεβον. i. e. Ἀττέλαβον. Inde Vulgata paſſim habet *Bruchum*. 2. Ἀττάκης vel Ἀττακὸς, forſan ἀπὸ τοῦ ἄττειν, à ſaliendo, ut aliâs *Saltarella*. Vel ἀττακὸς idem quod ἀσακὸς. In Gloſſis optimis ἀκρὶς, ἀσακός. 3. Ὀφιομάχης, quaſi ſerpentes oppugnet. Id quod affirmat *Ariſtot. Hiſt.* L. IX. c. 6. πολλοὶ δὲ καὶ τὴν ἀκρίδα ἑωράκασιν, ὅτι ὅταν μάχηται τοῖς ὄφεσι, λαμβάνεται τοῦ τραχήλου τῶν ὄφεων. Et *Plinius* L. XI. c. 29. *Serpentem, cum libuit, necant ſingulæ, faucibus ejus apprehenſis mordicus.* Quia autem ὀφιομάχης ſubſtituitur τῷ חַרְגּוֹל & pro *Chargol* ſcribi facile poteſt *Argol*, natam inde vult *Bochartus Hieroz.* P. II. L. IV. c. 2. Fabulam de *Argolis Ophiomachis*, de quibus *Suidas* in *Lexico*. 4. Ἀκρὶς, Locuſtis commune nomen. Sed neque ex his Græcorum nominibus aliquid clari in re obſcura, vel notas Locuſtarum διακριτικὰς, cernimus.

Si quid in re adeò dubia ſtatuere velimus, recurrendum nobis erit ad Judæorum Traditionem, & Talmudicorum ſcripta, ſpeciatim ad Tractatum *Cholin.* c. 3. f. 65. & 66. ubi ſingulis quatuor ſpeciebus à Moſe recenſitis aſſignantur Synonyma, ſpecies & deſcriptio. *Arbe* vocatur גובאי *gobai*: *Solam* רשון *raſon*: *Chargol* ניפול *niphul*: *Chagab* גדיאן *gadian*. Rurſus *Arbe* congener eſſe dicitur τῷ צפורת כרמים *tſipporeth cheramim*, *aui vinearum*. *Solam* יוחנא ירושלמית *Jochanæ Hieroſolymitanæ*: *Chargol* τῷ ערצוביא *artſubia*: *Chagab* τῷ הרצבית *hartſabith*. Unde nihil adhuc elici poteſt. Sed quidem ex eo, quòd *Chargol* habeat gibbum & caudam: *arbe* neutrum: *Solam* gibbum ſine cauda: *Chagab* caudam ſine gibbo. Et ibidem de Locuſtis mundis aſſeritur, quatuor habere pedes, quatuor alas, crura longiora, & quòd alæ tegant totum corpus, quæ notæ *Gryllo* quoque competunt, quintâ exceptâ, caput nempe longius. Fatentur nihilominus Hebræorum doctiſſimi, & hos inter R. *Selomo*, ſe nec ex allatis notis poſſe determinare, qualesne præcisè ſint hæ Locuſtæ mundæ, quum tamen indubium ſit, notas fuiſſe usque ad CHRISTI tempora, quandoquidem Johannes Baptiſta veſcebatur Locuſtis mundis, in Lege permiſſis. Fatetur & ignorantiam ſuam *Bochartus*. Fons, ex quo hauriri aliquid certi, de quo non deſperandum, poterit, eſt Hiſtoria Locuſtarum Naturalis, quales ex omni Terrarum Orbe Muſeis Europæ inferuntur, exquiſita ſingularum deſcriptio, earum in ſpecie, quæ hodienum ab Afris comeduntur, nomina tandem apud diuerſas Gentes uſitata, ſi quæ fortè forent noſtris analoga. Tentare aliquid auſus eſt diligentiſſimus rerum Naturalium ex omni Orbe collector *Joh. Henricus Lincke* Lipſienſis, Amicus ex optimis in *Breſslau. Samlung.* XVI. Verſuch. p. 543. ubi Talmudicorum deſcriptioni inſiſtens Icones nobis dat Locuſtarum plurium, & has inter mundarum infra exponendas.

Defectu nempe laboraret hæc, quam damus, ἀκριδογραφία ſacra, ſi, quam expectabit Lector, non daremus ampliorem paulò & ſpecialiorem Locuſtarum ex moderna Hiſtoria Naturæ notitiam; Longa nimis foret, ſi totam Animalculorum Hiſtoriam, ſed quoque tenuis nimis tractatio, ſi ſuperſederem iis, quæ ſcitu

ſunt neceſſaria. Notum, diſtingui *Locuſtas* in *exoticas*, elegantiores plerunque & majores, & Europæas: in alatas & non alatas; caudatas & caudâ carentes: mutas & canoras: ratione Sexus in mares & fœminas: Plerarumque capita equinis fere ſunt ſimilia, ornata retrò cucullo monachali, eoque nunc læui, nunc aſpero; plano vel conuexo, ſed quoque duabus antennis, longitudine variis & robore. Dentibus binis abradunt alimentum, & ſimul cauſantur ſtridorem. Dorſum eſt nunc læue, nunc gibboſum; Venter varius. Ex Pedibus ſunt poſteriores longiores ſemper breuioribus. Pro Generatione inſidet mas fœmellæ dorſo, duosue aculeos dorſo ultimo eminentes in fœmellæ uterum immittit, eumque fœcundat. Commixtione facta deponit hæc Ouula in Terram friabilem, arenoſam, fiſſuris hiantem, & densâ quidem ſerie congerit. Heic jacent ea per Hyemem, verno autem tempore in Vermes transeunt membranâ clauſos, donec in Locuſtas excludantur.

Nunc igitur Coronidis loco ex Celeberrimi *Kanoldi* Miſcellaneis Phyſico-Medicis Uratislauienſibus ſupra citatis, imò ex locupleti *Muſeo Linkiano* mutuò peto, Iconibusue ſiſto Locuſtas nonnullas, mundas immundasue.

Fig. 1. Locuſta Talpa Capenſis, coloris fuſci & bruni, aculeis in cucullo, dorſo & pedibus armata, coloris in dorſo quàm ventre, ſaturatioris. Pro *Chargol* hæc declaratur.

Fig. 2. Locuſta Capenſis pro *Solam* habita, cucullo denticulato, corpore craſſo, fuſco, coloris in capite dilutioris, dilutiſſimi in alis & ſummo cucullo, pedibus poſterioribus quoad dimidiam partem è rubro flauis, & aculeatis.

Fig. 3. Locuſta minor flauicans. *Chagab* edulis.

Fig. 4. Locuſta fuſco-griſea Capenſis, cujus poſteriores pedes hinc inde armantur aculeis, cucullus verò in rugas contractus.

Fig. 5. Locuſta Capenſis, duplici ornata criſta, coloris eſt albo-flaueſcentis, alis viridantibus, corpore contractiore.

Fig. 6. Locuſta ex Batauia Indiæ orientalis, ubi *Equi viridis* nomine nota, capite Perlis haud abſimili, alis ſuperioribus viridibus, inferioribus ex anteriori parte viridibus, ex poſteriori purpureis, maculis dilutioribus tinctis, corpore reliquo purpureo.

Fig. 7. Locuſta viridis Tunitana & Tripolitana, capite purpuraſcentibus ſtriis picto, Janitzarorum caputio fere ſimili, loculis ad antennas, ore ad pedes anteriores ſitis, collo cucullo Monachali tecto.

Fig. 8. Locuſta omnium pulcherrima Surinamenſis, capite cinnabarino, oculis nigricantibus, corpore annulis ex violaceo, flauo & rubro cincto, alis binis anterioribus ſaturatè viridibus, maculis paruis flauis pictis, poſterioribus initio viridibus, poſt violaceis, in cinnabarinum ruborem deſinentibus, flauo quoque & violaceo coloribus maculatis, pedibus dilutæ rubedinis miniato colore ſtriatis.

Fig. 9. Locuſta *Arbe* Sumatrenſis præcedenti fere ſimilis, ſed minor, capite fuſco, alis anterioribus brunis, obſcurius maculatis, pedibus rubris.

Fig. 10. Locuſta ex Europæis Saxonica, corpore, capite & pedibus atro fuſcis, maculatis: capite minore, quàm in præcedentibus, oculis ſplendentibus nigris, alis anterioribus ex fuſco colore maculatis, poſterioribus cinnabarinis, apicibus nigris.

Fig. 11. Locuſta ex maximis in China & Tartaria obuia, literata, tota fere fuſca, cucullo criſtato, maculis Alarum Characteres Arabicos vel Hebraicos referentibus.

Fig. 12. Locuſta Braſilienſis *Gaayara Mouſeto* p. 118. *Mantis* dicta, Belgis *Folium ambulans*, ex Inſecto in Plantam transmutari credita, collari cincta, alis ſuperioribus graminei viroris, inferioribus flauicantibus, corpore & pedibus dilutè virentibus. *Mantis minor viridis. Sloane Nat. Hiſt. of. Jamaica* Vol. II. p. 202. Tab. 236. fig. 5.

Fig. 13. Locuſta, cujus Caput, Crura & Aluus veluti foliis ſunt tecta, alis quoque φυλλοειδέσι, fibroſis, tres quartas duntaxat corporis poſterioris partes tegentibus, corpore reliquo ornamentis veluti foliaceis extantibus aſpero.

Fig. 14. *Locuſta maxima cinereo-purpurea maculis brunis. Sloane Nat. Hiſt. of. Jamaica.* Vol. I. p. 29. Tab. I. fig. 5. Vol. II. p. 20. *Locuſta roſſa egialla. Cadamoſto.* p. 17. 109. *Locuſta Hiſpanica maxima è fuſco cineraſcens, alis punctis nigris maculatis. Raji. Hiſt. Inſect.* p. 62. & huic *congener Africana cum ſtriis in ſcapulis.* Id. Edulis hæc eſt Æthiopibus, & ipſa illa, quam *Ludolfus* pro Locuſta *Selan* agnouit.

Fig. 15. *Locuſta maxima viridis, alis latiſſimis. Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica.* Vol. II. p. 201. Tab. 236. fig. 1. 2. *Tucurubi Braſilienſibus. Marcgrav.* p. 246.

Fig. 16. *Locuſta viridis media. The middling ſort of green Locuſt. Sloane vol.* cit. p. 202. Tab. 236. fig. 3.

Fig. 17. Locuſta viridis minor. The common Green Locuſt. Sloane vol. cit. p. 202. Tab. 236. fig. 4.

Fig. 18. In gratiam ratiocinii ſupra de binis poſterioribus cruribus dati ſiſto ex *Nicolai Witſen Aeloude en hedendaegſche Scheeps Bouw* p. 16. *Triremem turritam*, quali veteres uſi fuere, binis inſtructam Gubernaculis.

Fig. 19. Numiſma exhibet ab Antiocho Epiphane Syriæ Rege percuſſum Anno Seleucidarum 147. ante Chriſtianam Æram 166. ex quo conſtat, Nauium Tyriarum eandem fuiſſe conſtructionem. *Noris Epoch. Syro Maced. Diſſ.* II. p. m. 74.

Fig. 20. Idem docet alius Tyriorum Nummus percuſſus Anno Æræ Tyriorum 237. Trajano

RPJCB



LEVITICI Cap. XI. v. 24. 25.
Ειματολουσία

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 24. 25.
Kleider=Waſchung.

G. D. Heüman sculp.

jano Auguſto VI. & T. Sextio Africano Coſs. Id. p. 394.

Fig. 21. Nummus Demetrii Regis nempe I. Soteris, Anno Æræ Tyriorum 158. ante CHRISTUM 155.

Legatur, quod nondum vidi, *Olai Rudbekii Philologema Etymologicum Biblici Nominis DEI, Schaddai, nec non Talmudici Nominis Meſſiæ, Metatron, unà cum vindiciis Auium Arbeh, Solam, Chargol & Chagab Leuit.* XI. *quæ, ſuppreſſo veri Authoris nomine Schediasmate quodam prodierunt per* And. Norrelium Suecum. Amſtelod. ap. Sam. Schonwald. 1720. 8. *Adjecta huic Schediasmati Oratione de iisdem Auibus, Upſaliæ pro deponendo Rectoratu Academico habita* A. 1715.

# TAB. CCLVIII.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 24. 25.

Et quicunque Cadaver illorum tetigerit, immundus ſit usque ad veſperam.

Et quicunque portauerit Cadauer illorum, lauet veſtimenta ſua, eritque immundus usque ad veſperam.

Et quicunque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus usque ad veſperam:

Et ſi neceſſe fuerit, ut portet quippiam horum mortuum, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad occaſum ſolis.

Concernunt hæ Leges indiſcriminatim omnia omnium Animantium Cadauera, etiam mundorum, quæ morbo vel Lue quadam periere. conf. v. 27. 28. 39. 40. Verùm in modo tractandi & purificatione ſtatuit Legislator diſcrimen, Ratione ipſa fundatum. Aliud eſt, Cadauer duntaxat tangere, aliud, portare. Hîc non Cutis ſola inficitur, ſed & veſtimenta, quibus ſeſe facillimè inſinuat, diuque inhæret, contagium quoduis, ſeu in Inſectis infinitè paruis id conſiſtat, ſeu aliis particulis venenatis. Lucem huic materiæ fœnerantur, quæ obſeruamus graſſante Lue quadam inter Pecora: quam facile Hippiatri vel Zojatri in ipſis ſuis veſtimentis transferant contagium ab uno grege ad alium, à ſtabulo ad ſtabulum, imo quàm facile transferatur contagium mediantibus ipſis pecoribus, canibus, Aquarum ductu, unde unum ex præſtantiſſimis remediis eſt ſeparatio, &, quam heic præſcriptam legimus, veſtimentorum vel lotio, vel mutatio.

# TAB. CCLIX.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 26. 27. 28.

26. Omne Animal quod ſeparat Ungulam, ſed fiſſuram non ſcindit, nec ruminationem ſurſum reuocat, immunda hæc ſint vobis, quicunque tetigerit ea, immundus erit.

27. Et quidquid graditur ſuper manus ſuas, in omni Animali, quod ambulat ſuper quatuor, immunda ſint vobis talia, & quicunque tetigerit cadauer illorum, ad veſperam usque ſit immundus.

28. Et qui portauerit cadauer illorum, lauet veſtimenta ſua, eritque immundus usque ad veſperam. Immunda hæc ſint vobis.

26. Omne Animal quod habet quidem ungulam, ſed non diuidit eam, nec ruminat, immundum erit, & quicquid tetigerit illud, contaminabitur.

27. Quod ambulat ſuper manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad veſperum.

28. Et qui portauerit hujuscemodi cadauera, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad veſperam: quia omnia hæc immunda ſunt vobis.

Verſiculum 26. explicabunt, quæ diximus ad v. 4. & verſiculum 28. quæ ad v. 24. 25. verſiculo autem 27. loquitur Legislator de *multifidis*, quæ πολυσχιδῆ nuncuparunt Græci, quæ incedunt ſuper *manibus*, vel *Plantis*, עַל כַּפָּיו, quò pertinent *Canes*, *Leones*, *Feles*, *Simiæ*: altera expreſſio ſimpliciter habet עַל אַרְבַּע *ſuper quatuor*, cum qua loquendi formula congruit vernacula noſtra, *auf allen vieren geben.* Hujusmodi cadauera ne tangere quidem, absque immunditiei nota, licebat, ſed quidem juxta Talmudicos reti capere, & protrahere.

# TAB. CCLX. CCLXI.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 29.

Et in reptili, quod reptat ſuper Terram, hoc vobis immundum ſit, Muſtela & Mus, Crocodilus juxta ſpeciem ſuam.

Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ mouentur in terra: Muſtela & Mus, & Crocodilus, ſingula juxta genus ſuum.

Heic obſeruandum ante omnia, τὸ שֶׁרֶץ *Scherez*, *reptile*, latiorem obtinere ſignificatum in Moſis Scriptis, quam Latinorum *Reptile*, vel Græcorum ἑρπετὸν, nempe non comprehendi duntaxat ἔντομα illa, ſeu alata, ſeu volatilia, ſeu apoda ſuper Ventrem prorepentia, ſed quoque ex Quadrupedibus illa, quorum crura ſunt breuia, quæ repere potius, quam incedere videntur: ita ut *Reptilia* Moſis diſtingui poſſint commodè in ἔναιμα, *Sanguine prædita*, ut ſunt Serpentes, Muſtelæ, Mures, & ἄναιμα, *Exanguia*, Inſecta, Reptilia κατ᾽ ἐξοχὴν dicta.

Primum Animantium multifidorum, quæ in Textu occurrunt, eſt חֹלֶד, *Choled*, Græcis γαλῆ, *Hiero-*



LEVITICI Cap. XI. v. 26. 27. 28.
Canis, Leo, Felis, Simia.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 26. 27. 28.
Hund, Löwe, Katze, Affe.

*I. G. Pinz sculps.*

RPJCB



LEVITICI Cap. XI. v. 29.
Muſtela, Talpa, Mus, Glis.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 29.
Wieſelein, Schärmauß, Mauß, Ratte.

*I. G. Pintz sculps.*

FJCB



LEVITICI Cap. XI. v. 29.
Scincus, Testudo, Bufo, Rana.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 29.
Land-Crocodil, Schildkröte, Kröte, Froſch.

*I. G. Pinz sculps.*

*Hieronymo Muſtela*, ſic & utrique Verſioni noſtræ, *Muſtela, das Wieſelin*; Idem vult *Jonathanis* כרכושתא *Carcuſtha*, Syrorum *Cacauſtho*. Et *Keled* legas, voce Hebrææ affini, Arabicè in *Meninzki Lex.* p. 3997. Huic ſententiæ ſubſcribunt Hebræi omnes, *Baal Aruch*, R. *Selomo*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*; *Pagninus*, *Arias*, *Caſtalio*, *Junius*, *Tremellius*, *Galli*, *Itali*, *Angli*, *Belgæ*, *Germani*, *Lexicographi*.

Non obſtante tot pro Muſtela Teſtium Nube dubitat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 35. Rationes dubitandi habet ſequentes. *Chuldo* Syrorum palam ex חֹלֶד formatum ſignificat *Talpam*, & ſic Turcarum *Chuld Plur. Chyldan Meninzk. Lex.* p. 1929. Arabumque *giüld* apud eundem p. 6025. vel *chold*, ut legitur in *Alcamo*, & *Giagid*, ubi deſcriptiones manifeſtè ſunt Talpæ. Porrò in *Talmude Babylonico* Tract. *Moed Katon* c. 1. f. 6. b. האישות i. e. Talpa, vel Talpæ, in *Talmude Hieroſolymitano* redditur חולדה *Chulda*. Talpa ſanè repere potius videtur quàm ambulare, & præterea numeroſam admodum habet propaginem, qui duo Characteres conueniunt voci שֶׁרֶץ. Eſt & Talpa murini generis, unde Germanis *Schärmaus*, ſocia proin jungitur τῷ עכבר *achbar*, muri. Accedit Etymologia à verbo חָלַד *Chalad*, *penetrare*, *ſuffodere*, conſtat quippe Talpam indeſinenti labore Terram ſubruere, & ſuffodere, ſtructurâ pedum inprimis anteriorum huic labori adæquata: quæ quidem originatio non minus pro Muſtela pugnat, quæ & Ædes ſuffodit, ut illa agros. Seligat quis, quod volet.

Sequitur עַכְבָּר *achbar*, *Mus* Hebræis, vel *mus agreſtis*, quaſi עַכְלְבַר *achalbar* à Chaldæo עֲכַל *achal*, *conſumere*, & בָּר *bar*, vel בָּרָא *bara ager*, tanquam agri vaſtator. De qua agrorum vaſtatione legere eſt *Ariſtot. Hiſt.* L. VI. c. 37. *Plin.* L. X. c. 65. *Horus* L. I. c. 47. In Sacris exemplum legimus 1. Sam. V. 6. ubi in Græca verſione legitur μέσον τῆς χώρας αὐτῆς ἀνεφύησαν μύες, in *Vulgata*, *Ebullierunt villæ & agri in medio Regionis illius, & nati ſunt mures*, & c. VI. 1. rurſus in Græca, καὶ ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας, & *Terra eorum mures ebulliit*. Sanè muribus Philiſtæorum agros fuiſſe conſumptos colligere licet ex c. VI. v. 5. ubi juſſi fuerant *facere imagines murium, qui vaſtant terram*. Innumera alia Exempla hujusmodi vaſtationum ex Veteri nouaque Hiſtoria recenſere haud eſt opus.

Arabibus quoque eſt *achbar muris agreſtis* ſpecies, nempe mas *aljarbui*. *Alcamus*. *Alachabiro*, *mares Aliarabii*, quod Plurale eſt τῷ *aljarbuo*, cujus beſtiæ fœmina *Alatiuta* dicitur. Luſitanis hæc Animantia vocantur *ratones del mato*, i. e. *mures dumeti*, & ita deſcribuntur in *Teixeiræ Itinerar. Ind.* c. 4. *Son eſtos ratones del grandor de los grandes nueſtros communes, tienen el pelo pardo tirante al blanco. Tienen de raton las orejas, manos, y la cola: cuya punta, y los ojos, y cabeça ſon de conejo: es las piernas como de gazela. Corren mucho ſaltando hazen cueva como conejo. Y ay dellos grande quantitad per aquel deſierto. Los Arabes los comen, y dizen, que Son muy buenos.* Et *Olearius Itin. Perſ.* L. VI. p. 64. *Vidimus prope Terkin* (in Circaſſia) *muris agreſtis genus Arabicè* Jerbua *dicti. Huic Sciuri magnitudo eſt, neque forma diſſimilis: pilus tamen fuſcior, & caput Muris, Aures longæ, crura anterius breuia, poſterius longiora — Babyloniam & Arabiam bis ſcatere ajunt, & incolis eſſe pro cibo.* De hoc Animali, quod idem cum שָׁפָן vult *Bochartus*, vide plura ad Leuit. XI. 5. Hujusmodi mures, quod ex allatis jam teſtimoniis conſtat, ab Arabibus comeduntur: imò & Jeſaias LXVI. 17. eſum τῶ עַכְבָּר ubi Arabs habet *aljarbuo*, Judæis exprobrat. Murem domeſticum equidem Hieroſolymitani comediſſe leguntur obſidione à Romanis arctiſſimè cincti, ſed extremâ coacti neceſſitate. Nihilominus dici poteſt, Lege vetitum fuiſſe omne *murinum genus*, & ſic עַכְבָּר accipi poſſe pro Mure omni. Ita ſane intellexit *Jonathan* in ſua παραφράσει ad noſtrum Textum, ubi habet *achbar niger*, *rufus & albus*. Cauſæ Phyſicæ, cur Mus accenſeri debeat immundis Animalibus, patent cuiuis ad vitæ genus attendenti: eſt fere Animal πάμφαγον, arrodens quicquid eſt obuium, amans inter alia carnem porcinam, quæ abominationi erat Judæis, imo nec abhorret à ſtercore. An verò quod tradunt Hebræi in *Avodazera* & *Beth Jacob* f. 181. murinæ carnis eſus inducat obliuionem, nobis non conſtat. Ut non opus habeamus, confugere ad myſticas rationes, quòd ſcilicet inutile ſit & noxium Animal, typus eorum, qui dicunt:

Nos numerus ſumus, fruges conſumere nati.

Tertium, quod nominat Moſes, Animal eſt צָב *tſab*, de quo variant admodùm opiniones, & eo quidem usque, ut alii viuiparis accenſeant, ouiparis alii. Græcis Interpretibus eſt κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, *Crocodilus terreſtris*, *Hieronymo* & Nobis in Latina *Crocodilus*: alii volunt *Teſtudinem*. *Caſtalio Teſtacea*. Alii, quos inter Nos quoque, *Rubetam*, ſeu *Bufonem*, *die Krott*. Et primus fortè, qui Bufonem voluit, eſt R. *Selomo* Judæus Gallus, qui ſcripſit צָב eſſe Animal Ranæ ſimile, nomine פוויט, pro quo legendum פרוט *Frot*, Germanicum Bufonis nomen, in Gallia tum, ut *Bochartus* ſcribit L. IV. c. 1. in uſu. Sed & *Kimchius tſab* Hiſpanicè reddit גריישנט *Graiſſant*, quod etiam notabat *Rubetam*, ut Gallis *Graiſſet* & *Croiſſet*, Germanis *Gras Froſch*. Ubi obſeruandum, hoc ultimum nomen non ſignificare *Bufonem*, ſed *Ranam arboream*, ſeu *Ranunculum viridem*. Sanè melius ſtetiſſet *Bufonis* loco *Rana*, quia ab illa etiam Natura ipſa abhorret, hunc vero, Pedes inprimis poſteriores inter delicias multi ponunt, & vel rigidiſſimi Jejunii ipſius quadrageſimalis exactores per-

permittunt. Accedit, quòd Illyricè *Zaba* ſit *Rana*, Polonis *Zab*, Arabibus modernis *Zæfdæ, Zyfdy, Zufdu*, Plur. *Zæfady, Zæfadi*, ut videre eſt in *Meninzki Lex.* 853. 3046. 3047. Quæ allegatio, ſi quid aliud, pro noſtra Verſione, ſi Ranam haberet Bufonis loco, facit, maximè, quia etiam *Bocharto* placet, ut mox videbimus, צַב quærere inter ouipara. Placeret certè mihi *Rana* præ *Teſtudine*, quam nobis oggerit *Elias* Judæus Germanus titulo שלטרוט, *Schiltfrot* pro *Schiltkrot*, quia putamina Teſtudinum tectum referre videntur cameratorum curruum, qui Hebraicè dicuntur צַבִּים *tſabim*. Hanc quoque habent *Junius, Tremellius, Schindler, Angli, Itali, Geneuenſes*, & *Buxtorfius*, hærens inter *Bufonem* & *Teſtudinem*.

*Bochartus* l. c. genuinam vocis צַב ſignificationem quærit in Arabum monimentis, ubi *dhab*, Plur. *dhibab*, vel *adhab*. fœm. *dhabba* notat Animal agreſte reptile, ſimile τῷ *guaril* ſeu *ſtellioni majori*. Ita *Damir* & *Auic.* L. II. cap. *dhab.* & in Cap. *Chardaun*, quæ vox eſt τῷ *dhab* vel *tſab* Synonyma, & à Chaldæis exprimitur *Chardona* חרדונא, à Syris *Chadrona*, à Samaritanis *adrona*. Hoc autem Animal, quantum ex Arabum deſcriptionibus colligere licet, eſt ex *Lacertarum* genere, è quarum Claſſe ſunt quoque in Verſu proximè ſequenti *Stellio, Chamæleon* & *Salamandra*. Animal in Arabia natum, Judæis proin haud ignotum. Sanè צַב per hoc Animal explicarunt quatuor Arabes, duo Chaldæi, imo & Veteres Hebræi, quod conſtat ex Tract. *Cholin.* c. 9. f. 127. a. & ex *Bereſchith Rabba ſect.* 83. Eſt autem hoc Animal *Scincus Ægyptiacus* ſiue *terreſtris*, Talmudicis בן נפילים *ben nephilim*, *filius Gigantum* dictus, quaſi ex Crocodili ſemine in Terra natus, hinc & in Græca Verſione Κροκόδειλος ὁ χερσαῖος, & in Vulgata *Crocodilus*. Erat autem Jonibus *Crocodilus* Lacertæ genus in ſepibus & maceriis commorari ſolitum; *Herodotus* L. II. Κροκοδείλους δὲ Ἴωνες ὠνόμασαν, εἰκάζοντες αὐτῶν τὰ εἴδεα τοῖσι παρὰ σφίσι γινομένοισι Κροκοδείλοισι, τοῖσιν ἐν τῇσιν αἱμασιῇσι. Et Grammaticus ille apud *Etymologum* & *Phauorinum*. ὁ Κροκόδειλος ζωΰφιόν ἐστι μικρόν. Diſtinxerunt & Veteres *Crocodilos* in *terreſtres* & *aquaticos*, χερσαίους καὶ ποταμίους *Ariſtot.* L. V. c. 33. Et *Scincum* deſcribit *Dioſcorides* Κροκόδειλον χερσαῖον ἰδιογενῆ, *Crocodilum terreſtrem ſui generis*. Scinci nomen apud Arabes eſt *Sykænkur*, & *Iskænkur*, Perſas *Sekenkur*, quæ *Scinco* ſunt affinia. τῷ *Zab* autem propius quadrat Arabum *Zæbb* fœm. *Zæbbet*, quæ vox *Crocodilum* notat *terreſtrem* ſcilicet marem *Lacertæ Lybicæ*. v. *Meninzk. Lex.* p. 1744. 2635. 2644. 3026. 5734. Huc referri meretur *Scincus maximus fuſcus* Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica* Vol. II. Tab. 273. fig. 9. *Mabouya ou Scinc de terre. du Tertre* p. 314. *Brochet de Terre Rochefort Isl. Antill.* p. 149. *Galliwasp.* Anglis.

A. Muſtela. Sceleton vero Tab. CCLXIII.
B. Talpa. cum Sceleto.
C. Mus. cum Sceleto.
D. Glis.
E. Rana.

Tab. CCLXI.

F. Bufo.
G. Teſtudo.
H. Scincus.
I. Scincus fuſcus maximus.

# TAB. CCLXII. CCLXIII.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 30.

Ericius, Limax, Stellio, Lacerta & Chamæleon.

Mygale, & Chamæleon, & Stellio, & Lacerta, & Talpa.

NOn minus negotii faceſſunt, quæ immundorum agmen claudunt, Animantia numero quinque, quàm quæ expoſuimus hactenus. Primum audit אֲנָקָה *anakah*, Græcis μυγάλη, *Hieronymo mus araneus*, qui juxta *Aetium Tetrab.* L. IV. ſerm. 4. c. 14. *colore quidem Muſtelæ, magnitudine autem Muri ſimilis eſt.* Inde nomen μυγάλη, à μῦς & γαλῆ. Hebraicum אֲנָקָה ita dicitur à voce acutiſſima, quæ pro gemitu & ejulatu poſſit haberi. *Onkelos* reddit יַלָּא *jala* vel פלא *pala, phala*, quæ vox Arabibus *murem araneum* ſignificat. Hujus nominis ילי occurrunt in Talmudicis duo Animalia diuerſiſſima, *Sanguiſuga* & *Hericius*, quorum neutrum hic locum habet, utpote quæ aliis inſigniuntur notioribus nominibus, & reptilibus, de quibus heic, accenſeri nequeunt. Hinc tamen video Tigurinos mutuatos eſſe *Ericium, den Igel.*

Eſt potius אֲנָקָה *Lacertæ* genus. Id quod patet ex ſequentibus. Syrus habet *amaktha* vel *amkatha*, *Gabrieli Sionitæ Lacerta.* Arabs Erpenianus *alwarlo*, & Arabs Pariſiis editus *alwarco*, Lacertæ ſpecies *guaril* dicta. Lacertam poſcit ſeries. Præceſſit צַב *tſab*, *Crocodi-*

*lus*



LEVITICI Cap. XI. v. 30. III. Buch Moſis Cap. XI. v. 30.

Erinac. Stellio, Viverr. Chamæl. Salamandra. Igel, St. Eyder, Iltis, Chamäl, Salamander.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB



Levitici Cap. XI. v. 30.
Cordylus, Lacerta, Cæcilia.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 30.
Eyder, Blindſchleich.

I. G. Pintz sculp.

RPJCB

*lus terreſtris*, & ſequuntur proximè quatuor aliæ Lacertarum ſpecies. Si Etymologiam Hebrææ vocis attendas, videbis rurſus eſſe אֲנָקָה *Stellionis* genus, ſtridoris acerbi. Lucem fœneratur Plinius L. XXIX. c. 4. ubi de Græciæ Stellione. *Hunc Græci coloten vocant, & aſcalaboten, & galeoten. In Italia non naſcitur. Eſt autem hic plenus Lentigine, ſtridoris acerbi.* Eodem tendit originatio Arabicæ vocis *alwarlo.*

Non prætereundæ ſunt ſilentio interpretationes aliæ, licet vel ad primum obtutum rejiciendæ. I. eſt Paraphraſtarum Arabum MSS. quibus *anakah* eſt *ancabuths*, i. e. *aranea*, quæ Hebræis aliâs dicitur עַכָּבִישׁ *accabiſch.* II. R. *Mardochai* in *Hebraicis concordantiis*, qui definit hoc reptile volans, ut alii Doctores Talmudici *Locuſtam.* III. R. *Selomonis*, qui *Caſtorem* ſeu *Fibrum*, Animal amphibium, vult. IV. *Junii* & *Buxtorffii*, quibus placet *Attelabus.* V. *Ariæ*, qui eligit *Viuerram.*

Sequitur כֹּחַ *coach.* Hoc Animal Græci & *Hieronymus* reddunt *Chamæleontem:* duo Arabes ſic & R. *Jonas* & *David. Chardaun* i. e. *Crocodilum terreſtrem*, R. *Selomo*, *Arias* & *Junius Lacertam*, Syrus *Chulda*, Arabes MSS. *alchuld* i. e. *Talpam.* Græcos ſequuntur è Recentioribus *Pagninus*, *Münſterus*, *Caſtalio*, *Angli*, *Itali. Petro Roberto* placet *Teſtudo*, *Pomario* & *Tigurinis* in Latina *Limax*, in Vernacula *der Molch*, i. e. *Salamandra.* Judæis quibusdam apud *Geſnerum Sciurus*, Geneuenſibus *Crocodilus.* Pleriſque igitur & probatiſſimis Interpretibus *Lacerta:* ſi ſpeciem deſideres, oſtendet *Bochartus* L. IV. c. 3. Arabum *guaril*, robore, quod Arabica & Hebræa vox כֹּחַ vult, præcellens; Inſignis autem pugnâ contra Serpentem & Crocodilum terreſtrem dicitur eſſe *guaril*, ſeu *alwarlo.* Teſtimonia dant *Alkazuin*, *Algiahid*, *Damir*, Scriptores Arabes, qui verò circa Deſcriptionem variant. *Abdollatif* idem facit cum *Chardaun*; *Algiahid* diuerſum, multis diſtinctum coloribus, manus habens, quales Hominis, & digitos in articulos diviſos. Ad rem præſentem ſpectat inprimis, quod *Alcamus* habet & *Alkazuin*, carnem ejus eſſe calidiſſimam, & maximè pinguefacere, præſertim mulieres; ut taceam, ipſam carnem, pilos, ſtercus, ſanguinem, ad Medicos uſus adhiberi. Ipſe *Bochartus* ſimilem τῷ *guaril* vult eſſe *Lacertam* Italorum *viridem*, utpote quæ magna ſatis eſt & ὀφιόμαχος, imo & ὀφιονίκος, quod nomen ipſi dat *Pandectarius.* Teſtem habemus *Erasmum Dial. de Amicitia. Quodam die vidi prægrandem, & mirè viridem, in oſtio caui decertantem cum Serpente. Primùm mirabamur, quid eſſet rei; Nam ſerpens nobis non erat conſpicuus. Italus admonebat, in antro eſſe hoſtem. Paulo poſt venit ad nos Lacerta, velut oſtendens ſua vulnera, ac remedium flagitans. — Serpens alterum latus penè totum eroſerat, & ex viridi rubrum fecerat.* Sanè Lacertam hanc viridem Phthiſicis commendant *Plinius* & *Marcellus. Ludolfo Hiſt. Æthiop.* L. I. c. 11. & *Comm.* p. 160. כֹּחַ ſiue *Waril* eſt *Lacerta caudiuerbera* ſeu *Cordylus*, *Uromaſtix* Græcis, Æthiopibus *Angueg*, quæ Lacerta viridi eſt major, caudâ rotundâ, in circulos quosdam ſquamatim diuiſa, ſquamis duriſſimis, quæ eam tanquam tegulæ domorum culmina cooperiunt. *Raj. Syn. Quadr.* 263. In occidentalibus Indiis nota eſt *Lacerta Iguana*, *Yguana* dicta, *Lacertus Indicus Senembi* & *Iguana* dictus *Rajo. Grand Lezart, du Tertre* p. 308. *Gros Lezart nommè Iguane. de Rochefort Iſl. Antill.* p. 144. *Gyouanna, a Snake ſeven foot long. Col.* 56. de quo Lacerto id heic memorandum, pinguem eſſe, & in deliciis, Aſtacis ſapore ſimilem. Aliam ſpeciem edulem exhibebimus infra in Iconibus. De cibi autem hujus noxa, & vi Luis Venereæ productrice dabitur loquendi occaſio, ubi de Lepra.

Varias quoque admittit ſignificationes לְטָאָה *letaa*, quod deriuant nonnulli à Græco λώτ, *Talpa*, vel etiam referre volunt ad λάταξ, Animal amphibium, Caſtori & Lutræ congener apud *Ariſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 5. Aliis placet *mus araneus*, in quam Λητώ, *Latona* mutata fingitur, apud *Antonium Liberalem Metam.* 28. Sed præſtat cum Veteribus *Letaa* reducere ad *Lacertas.* Græcis namque eſt καλαβώτης vel ἀσκαλαβώτης, *Hieronymo* & *Tigurinis Stellio*, *Jonathani* שממיתא *Semamitha*, quod idem ſonat: Syro *Tſeruritha*, i. e. *Salamandra*, Arabibus *aladha*, *aladhaja*, *Lacertus.* Sic & *Solomoni*, *Kimchio*, *Pomario*, *Tigurinis*, qui in vernacula generale nomen habemus *Heidex.* Sed ſpeciem definire difficile. Poſt Syrum habent *Salamandram Pagninus*, *Arias*, *Junius*, *Caſtalio: Stellionem* vel *Lacertam Münſterus*, *Schindlerus*, *Geneuenſes*, *Angli*, *Itali*, *Tigurini.* Placet *Bocharto* L. IV. c. 4. Lacerta Arabibus *Wachra*, vel *Wachara* dicta, quæ dicitur coloris eſſe rubri, Stellioni ſimilis, Terræ adhærere, & veneno cibos inficere, quos calcat. In *Meninzki Lex.* p. 5345. inuenio *wæhæret*, *wæhret* Arab. Animal Lacertæ vel Stellioni ſimile colore rubrum, ut modo dictum. Plura hactenus non conſtant.

חֹמֶט *Chomet* Hebræis recentioribus, *Selomoni*, *Kimchio*, *Pomario*, *Aquinati* eſt *Limax.* Idem volunt Hiſpani, qui in *Kimchio* reddunt כַּרְכּוֹ, potius כרכול *Caracol*, item *Arias*, *Münſterus*, *Petrus Robertus*, *Geneuenſes* & *Angli.* Sed Græcis & *Hieronymo*, quos ſequimur Tigurini in Latina, eſt σαῦρα, *Lacerta*, Arabibus editis *Chirba*, *Chamæleon*, MSS. *Sammabras*, *Stellio.* Idem vult Syrorum *Chaulmata*, quod malè vertit *Bapt. Ferrarius* per Auem dorſum habentem nigris & purpureis pennis diſtinctum. Quærenda eſt autem, ſi vocis originem reſpicias, Lacerta in arena degens, nam חומטון *Chometon* Talmudicis eſt *arena*, & hinc fortè Græci ſumſere ſuum ἄμαθον vel ψάμαθον. Talis autem La-

certa eſt, *Bocharto* judice L. IV. c. 5. Arabum *Chulca*, *lucha*, *luchacea*, *chulaca*, cœrulei coloris, quam memorant *Alcamus*, *Damir* & Arabes alii. Eſt & ἀμμώδης *aladha*, Animal juxta *Alazhari* ſimile τῷ *ſammabras*, ſtellioni, ſed pulchrius. Nos in Latina generale nomen ſeruamus *Lacertæ*, in Vernacula longè diuerſum, *den Blindſchleich*, *Ceciliam*, quam unde ſumſerimus, mihi non conſtat. Eſt hæc Lacerta, ſi verum fateri volumus, una ex ignotiſſimis.

Agmen claudit תִּנְשֶׁמֶת *Thinſchemeth*, quod *Græcis*, *Hieronymo*, *Onkeloſo*, *Selomoni*, *Kimchio*, *Pomario*, *Aquinati*, *Pagnino*, *Münſtero*, *Ariæ*, *Geneuenſibus*, *Anglis*, *Tigurinis* in Vernacula eſt *Talpa*, quam ſupra habuimus ſub titulo *Choled*. Samaritanus Interpres vult *Muſtelam*, quæ Chaldæis eſt כרכושתא *Carcuſtha*. Syrus vertit *jodaida*, *multipedam*. Arabes MSS. *albedal*, pro quo legendum *nedal*, vel *nedel* Animal 44. pedum, *julus* ſiue *Scolopendra*. Hanc explicationem Chaldæi & Talmudiſtæ. *Jonathani* Thinſemeth eſt סלמנדרא *Salamandra*, Arabi Herpeniano *Senabras* pro *Sammabras*. *Bocharto* L. IV. c. 6. vocabula hæc, & ipſum *Thinſemeth*, notant *Chamæleontem*. Occaſio, quæ huic præ aliis Animalibus prærogatiuam dedit, eſt originatio vocis תִּנְשֶׁמֶת à נָשַׁם *ſpirare*. Chamæleon quippe vitam ſpirando trahere creditur. *Plin.* L. VIII. c. 33. *Ipſe celſus, hianti ſemper ore, ſolus Animalium nec cibo, nec potu alitur, nec alio quàm Aeris alimento.* Et *Ouid. Metam.* L. XV.

Id quoque quod Ventis animal nutritur & aurâ.

Quam Fabulam egregiè diſcuſſit *Vallisnerius* in ſuo eruditiſſimo *de Chamæleonte* Tractatu. Sed & fuere ante eum, qui in hoc Animali Linguam obſeruarunt prolongam, in imo glutinoſam, cujus jaculatu Muſcas & culices captet è ramo Arboris cui inſidet. Habet & pro Thinſemeth *Chamæleontem* Latina noſtra Tigurinorum Verſio.

Icones illuſtrando huic Textui inſeruientes ſunt

A. Hericius, Erinaceus.
B. Stellio.
C. Viuerra.
D. Chamæleon.
E. Salamandra.
F. Lacerta caudiuerbera.

Tab. CCLXIII.

G. Lacerta viridis: Liguro Bononienſibus cum Sceleto.
H. Cecilia.
I. Lacerta Iguana dicta: ex Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica* Vol. II. Tab. 271. fig. 1.
K. Yguana Luzonenſis edulis, capite cœruleſcente, *Cagaſagam* & *Layagan* dicta ex Petiuer Gazoph. T. XL. fig. 1.

# TAB. CCLXIV.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 31 - 40.

31. Hæc immunda ſint vobis in omni reptili, quicunque tetigerit ea mortua, immundus erit usque ad veſperam.

32. Et ſuper quodcunque ceciderit cadauer eorum, immundum erit, ſiue fuerit vas ligneum, ſiue veſtis, ſiue pellis, ſiue ſaccus, ſiue quodcunque vas, in quo fit aliquod opus, per Aquam traducatur, ſitque immundum usque ad veſperam, & tum mundabitur.

33. Omne quoque vas fictile, in quod aliquid ex his inciderit, immundum erit, quicquid intra ipſum fuerit, vasque ipſum confringetis.

34. Sed & omnis cibus, qui comedi ſolet, ſuper quem venerit Aqua

31. Omnia hæc immunda ſunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad veſperam.

32. Et ſuper quod ceciderit quicquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum & veſtimentum, quàm pelles & cilicia; & in quocunque fit opus, tingentur Aqua, & polluta erunt usque ad veſperum, & ſic poſtea mundabuntur.

33. Vas autem fictile, in quod horum quicquam intrò ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum eſt.

34. Omnis cibus quem comederis, ſi fuſa fuerit ſuper eum aqua; immun-



Leviтici Cap. XI. v. 31-40.
Immundi ex Cadaveribus.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 31-40.
Unreine von Berührung des Aaſes.

I. G. Pinz sculp.

RPJCB

(hujusmodi) immundus erit, & omnis potus, qui bibi ſolet, in quocunque fuerit vaſe, immundus erit.

35. Et omne, ſuper quod ceciderit cadauer illorum, immundum erit, furnus & ollæ diruantur, quia immunda ſunt, eruntque vobis immunda.

36. At Fons, puteus, & Aquarum collectio, munda erit, & qui cadauer illorum tetigerit, immundus erit.

37. Quod ſi cadauer illorum ceciderit ſuper quodcunque ſemen, quod ſeminatur, aut ſeminari poſſit, mundum erit.

38. Si Aqua fuſa fuerit ſuper ſemen, & ceciderit ſuper illud cadauer illorum, immundum erit vobis.

39. Si fuerit mortuum aliquod Jumentum, quod à vobis edi poteſt, & aliquis tetigerit cadauer ejus, is immundus erit usque ad veſperam.

40. Qui comederit de morticino ejus, lauabit veſtimenta ſua, & erit immundus usque ad veſperam. Sic qui portauerit cadauer ejus, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad veſperam.

immundus erit; & omne liquens quod bibitur de uniuerſo vaſe, immundum erit.

35. Et quicquid de morticinis hujuscemodi ceciderit ſuper illud, immundum erit: ſiue clibani, ſiue chytropodes, deſtruentur, & immundi erunt.

36. Fontes verò & ciſternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit; qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37. Si ceciderit ſuper ſementem, non polluet eam.

38. Si autem quispiam aqua ſementem perfuderit, & poſtea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.

39. Si mortuum fuerit Animal, quod licet vobis comedere, qui cadauer ejus tetigerit, immundus erit usque ad veſperum.

40. Et qui comederit ex eo quippiam, ſiue portauerit, lauabit veſtimenta ſua, & immundus erit usque ad veſperum.

Vidimus jam ſupra, non duntaxat immunda eſſe & reddere, quæ aſſumuntur intus, ſed &, quæ tanguntur, Cadauera. Docet nos moderna inprimis & Corpuſcularis Philoſophia, reſolui putreſcentia corpora, exhalare, quamdiu durat hæc διάκρισις, particulas mobiliores, volatiles, ſalinas, ſulphureas, imo auolare, relictis fixioribus, ſiccioribus, terreſtribus. Hinc fœtor, qui ſpargitur in certa à corpore putreſcente diſtantia: hinc non mirum, infici à cadaueroſis hiſce, ſæpeque Arſenicalibus & venenatis μιάσμασι obuia quæuis, *vaſa, veſtes, pelles, ſaccos, cibos.* Hinc debebat *vas fictile*, *in quod* cadauer *incidit*, *confringi* v. 33. Putauerim, Legislatorem loqui inprimis de vaſis terreis non incruſtatis, *ſo nit geglæſtet ſind*, quia poros habent patentiores, quos immundæ particulæ facile ſubintrent, & ubi diu deliteſcere poſſint, nulla fere arte eluendæ. Nam, quod & in moralibus valet, *quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu.* Vitreata cruſta, quia poros habet arctiſſimos, poſſunt à Figulis incruſtata vaſa elui facile, & immunda quæuis à ſuperficie polita abſtergi. Et naſcitur mihi hac ipſa occaſione dubium, num Iſraelitis in uſu fuerint uſta duntaxat absque incruſtatura vaſa, an vitreatâ incruſtaturâ obductâ? Locum habet poſterius, ſi Icunculæ illæ Iſidis, politiſſimâ cruſtâ obductæ, & juxta Mumias reperiri ſolitæ, ad Iſraelitarum æuum adſcendant.

Intelligunt *Talmudiſtæ* Gloſſatores ſuo ſenſu conferendi cum Interpretibus illis *Scholaſticis* canonicâ auctoritate fulgentibus, ſed parum ſæpe lucis, quia Rationis parum, obſcuris Scripturæ Locis afferentibus, per מַיִם *maim pluuialem Aquam*, prætendentes, ab illapsâ inprimis Aquâ pluuiali cibos fuiſſe infectos. Quæ opinio confirmari etiam inde poſſet, quod in ipſa pluuiali Aqua, ſi per aliquot dies ſteterit, generentur vermiculi. Sed quoque poteſt

per מִי [illegible] intelligi Ichor ille, in quem putreſcentia corpora ſolent reſolui. Dubium tamen non eſt, quin Aqua quæuis, potus quiuis, quem hujusmodi vaſa exceperint, ex rationibus modò allegatis contraxerint immunditiem.

*Fontes, Putei, & Aquarum collectiones ſunt mundæ*, juxta v. 36. Intelligi hoc inprimis debet de Aquis fluentibus, ſordes ſecum auehentibus. De ſtagnantibus, quales ſunt putei propriè ita dicti, Ciſternæ, ſtagna, vix credi poteſt, haud infici ab illapſo Cadauere. Sed forſan heic diſpenſatione opus fuit. Sunt Fontes viui, ſalientes, fluentes, in Orientalibus illis Regionibus, Arabia in ſpecie, non ita, ut in Europæ montoſis Regionibus frequentes, ut Aquâ carere potius debuiſſent Iſraelitæ, quàm munditiem circa eam in ſummo rigore obſeruare. Et obſeruandum præterea, ſecerni facilè & ab Aquearum particularum conſortio ſeſe extricare, propter figuræ incongruitatem, & diuerſam ſpecificam grauitatem, particulas ſulphureas, limoſas, impuras alias, vel præcipitari ad fundum, vel parietibus adhæreſcere, Aquam proinde ſeſe depurare ipſam; & tandem de ſtagnis ſciendum, inſeruire hæc potius loturæ, vel aquationi pecudum, quàm potui.

Par fere ratio eſt *Seminis.* v. 37. 38. Haud conueniebat, propter affluentem impuram quampiam Aquam, vel illapſum ſatis Cadauer, ea radicitus extirpare, & agros læte virentes Frumentis nudare, ſicque Colonos meſſe priuare. Imo verò obſeruandum heic, quod Experientia docet, Vegetabilia tum hortenſia, tum campeſtria, à putidiſſima quauis Aqua lætiſſimè creſcere, & impinguari, ſuccum quoque nutritium non ſolùm per Terræ poros colari, ac depurari, ſed ejus duntaxat puriſſimas & defœcatiſſimas partes oſcula Radicum arctiſſima ſubingredi. Et animaduertendum inſuper v. 37. explicandum eſſe de Semine jam Terræ concredito, ſed v. 38. de Semine nondum ſato, de quo pronuntiat Legislator, *immundum* eſſe, ſi *Aqua fuſa fuerit ſuper illud, & ceciderit ſuper illud Cadauer. (Si autem quispiam aqua ſementem perfuderit, & poſtea morticinis tacta fuerit, illico polluetur)*. Senſum verſiculi 38. ita & clarè exponit *Clericus* comm. in h. l. *Cum vero ſemini (nondum conſito) affuſus fuerit humor, qui ex eorum cadauere defluxerit, hoc immundum à vobis habebitur.* Et in παραφράσει. *Aqua tamen Ciſternæ, aut ſi ſemen nondum in Terram conjectum putreſcente eorum cadauere adtaminatum fuerit, immundum cenſetur.*

*Morticina* ſunt v. 40. Cadauera eorum Animantium, quorum eſus aliâs eſt licitus, nempe ex Genere Bouino, ouillo, caprillo, ceruino, demortuorum vel morbo aliquo, vel caſu etiam violento: licet hunc inter & illum ingens ſit diſcrimen; & Animantium ex lapſu, vel vulnere demortuorum, cæterà quoad interna viſcera ſanorum, eſus aliquando concedi poſſet. Et ſane videtur manum huic diſtinctioni dare ipſa Lex, quæ v. 40. non majorem immunditiei gradum tribuit ei, *qui de morticino comedit*, & ei, *qui cadauer portauerit*; utrique ſimpliciter injungitur, *ut lauet veſtimenta ſua, & immundus ſit usque ad veſperam.*

# TAB. CCLXV.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 41. 42.

41. Denique omne Reptile, quod reptat ſuper Terram, abominandum ſit vobis, nec comedatur.
42. Quicquid incedit ſuper pectus, & quidquid ambulat ſuper quatuor, aut quod plures habet pedes in omni Reptili, quod reptat ſuper Terram, ea non comedetis, quoniam abominanda ſunt.

41. Omne quod reptat ſuper Terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum.
42. Quicquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſiue per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt.

*Omne reptile, quod reptat ſuper Terram*, ſunt *Inſecta. Quidquid incedit ſuper pectus, ſerpentes: ſuper quatuor ambulant Lacertæ: plures habent pedes*, ſcilicet quàm quatuor, *Scolopendræ*, & hujusmodi alia *Inſecta*. Eſſe *Serpentes* etiam in Orientalibus Regionibus edules, eſſe fuiſſeque ὀφιοφάγους, abundè conſtat. Quid obſtat, quo minus fuerint olim σαυρόφαγοι καὶ ἐντομόφαγοι? De Inſectis *Xylophagis* teſtimonium extat apud *Hieronymum* L. II. in *Jouinianum. In Ponto & Phrygia vermes albos & obeſos, qui*

nigello



LÆVITICI Cap. XI. v. 40. 41.
Insecta, reptilia immunda.

III. Buch Moſis Cap. XI. v. 40. 41.
Unreine Ungiefer u. kriechende Thiere.

*I. G. Pinz sculp.*

RPJCB

RPJCB



LEVITICI Cap. XII. v. 2-5.
Puerperarum immundities.

III. Buch Moſis Cap. XII. v. 2-5.
Unreinigkeit der Kindbetterin.

*P. G. Harder sculp.*

*nigello capite ſunt, & naſcuntur in lignorum carie, pro magnis reditibus Paterfamiliàs exigit. Et quomodo apud nos Attagen & Ficedula, Mullus & Scarus in deliciis computantur, ita apud illos* ξυλόφαγον *comediſſe luxuria eſt.* Vermem hunc deſcribit *Ariſt. Hiſt. Anim.* L. V. c. 32.

# TAB. CCLXVI.

## Leuit. Cap. XII. verſ. 2 - 5.

2. Loquere ad filios Iſrael, & dic: Mulier ſi ſuſcepto ſemine marem pepererit, ſeptem diebus immunda erit, juxta dies ſeparationis menſtruorum ſuorum erit immunda.
3. Octauo die circumcidetur caro præputii (pueri)
4. Deinde maneat triginta tribus diebus in Sanguine Purificationis ſuæ, nihil ſanctum tangat, in Sanctuarium non ingrediatur, donec fuerint exacti dies purgationis ſuæ.
5. Si verò fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ſeparationem ſuam, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine Purificationis ſuæ.

2. Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ.
3. Et die octauo circuncidetur infantulus.
4. Ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in ſanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ.
5. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menſtrui, & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ.

INfinita infinitæ ſapientiæ Bonitas ut undique ex operibus DEI prolucet, ita & ex diſtinctione Sexus, & utriusque conſtitutione, ſpeciatim nunc ex iis, quæ contingunt ſequiori. Ad pariendum deſtinata mulier, ſed ut viuam parere poſſet prolem & maturam, debebat eandem ſeruare per nouem Menſium decurſum in propria matrice, imo carcere tenebricoſiſſimo, in quo ne reſpirare quidem licet, eò nempe usque, dum juſtam attingeret magnitudinem, & vires inæquali Aeris preſſioni aliisue anomaliis reſiſtere aptas, ciboſque ore poſthac aſſumendos poſſet digerere. Hunc in finem, & ut Fœtus per omne illud ſpatium tenerrimo Matris ipſius Sanguine nutriri poſſet, absque hujus detrimento, plus Laticis ſanguinei fœminæ contulit Creator reſpectu molis corporeæ, quàm quidem Mari, & tantundem præcisè, quantum habebat opus. Sed ne extra Grauiditatis tempus incommoda pateretur futura fortè Mater ex Plethora, & à Sanguine nimio vaſa ultra modum dolorificè diſtenderentur, contigit illi in beneficium menſtrua Laticis purpurei euacuatio, qua exceſſus tolli, & per Uteri vel Vaginæ vias foras amandari poſſet, atque Fluidorum maſſa ad Æquilibrium reduci cum Solidorum compage. Poſtquam verò grauida facta eſt Mulier, impendi debet ipſa illa portio Sanguinis excedens ad prolis nutrimentum, quo fit, ut ſupprimantur Menſes. Edito in lucem Infante non occluduntur ſtatim ſanguiferorum vaſculorum oſcula, ſed fluunt per 8. vel plures dies Lochia, tamdiu nempe, donec ſeſe contraxerint Uteri fibræ, ſanguisque denuò intra repagula ſua fuerit clauſus, quo tempore id, quod ſuperfluum eſt, ſapientiſſima Creatoris Lege Mammas petit, in Lac tranſiturum, nouum & adæquatum Fœtui jam edito nutrimentum.

Quæ mutuo petii ex Medicorum & Phyſicorum Schola, inſeruiunt explicando Textui. Erat *mulier* quamdiu fluebant menſes & Lochia, *immunda*, *nihil ſanctum* audebat *tangere*, in *Sanctuarium non ingredi.* Heic obſeruandum rurſus, non immundum eſſe Sanguinem, quamdiu fluit per & intra vaſa ſua, ſiue in circulo ſuo pergit, utpote qui non peccat qualitate, ſed quantitate, Bonitatis, ut ita loquar, exceſſu. De ſana nempe & vegeta Muliere hîc eſt ſermo, non de ægra, non de ſanguine acri, ſcorbutico, ſalſo vel muriatico, venereo, cujus la-

tex utique, Medicè loquendo, etiam Qualitate peccat, quæ tamen heic non venit in cenſum. Aſt ſtatim immundus redditur Sanguis, atque ſtagnat, extravaſatur, quia putreſcit, propter διάκρισιν ſuarum partium, quibus conſtat: & facile exoriri poteſt Fermentatio in cibis, aliisue objectis, quæ tractat menſtruata, aut Lochia patiens fœmina; id quod præſertim locum habet in Regionibus illis Orientalibus, quibus Sanguis quilibet vaſis ſuis excluſus facilius longè, motu Aeris calorifico adjuuante, ſolui, & ad putredinem diſponi poteſt, quam quidem in Climatibus frigidioribus. Conſtat autem, in veteri illa Oeconomia non ſolùm cultum internum debuiſſe eſſe purum, ſed quoque externum, tanquam illius Typum, imo ſollicitè præcaueri omne id, quod eum vel minimâ immunditie inficere poterat.

In ſenſu Metaphyſico, quod hactenus haud ſemel innui, omnia ſunt munda, ipſe ſanguis extrauaſatus, imo in pus conuerſus, ſed relatiuè ad Hominem, ad Sanitatem Hominis, alia ſunt munda, immunda alia. Hinc fortè eſt, quòd & Gentiles, ex ſolo Naturæ inſtinctu, in cultu ſpeciatim ſacro munditiem habuerint pro Regula. De *Ægyptiis* lege *Marsham collect. ad Sec. IX. Rer. Ægypt. Spencer* L. I. c. 1. *de Leg. Rit.* Etiam *Græcis*, ut propius propoſito noſtro accedamus, fuere *Puerperæ* pro tempore immundæ, quam Legem mutuati fortè ſunt à Phœniciis & Ægyptiis. Hac de re extat teſtimonium in *Euripidis Iphigenia in Tauris.* v. 380.

Τὰ τῆς θεȣ̃ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
Ἥτις, βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνȣ,
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκρȣ̃ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγȣμένη.

Deæ verò damno vaframenta,
Quæ, ſi quis quidem mortalium patrarit cædem,
Aut etiam Puerperam aut cadauer adtigerit manu,
Eum arcet ab ara, habens quaſi impurum.

De *Pythagora* conſtat, eum ſæpiſſimè Ægyptizare in ſuis Dogmatibus: ſed & ipſe partem ἁγνείας dicit, καθαρεύειν ἀπὸ κήδȣς καὶ λέχȣς, purificare ſe ex contactu Cadauerum & puerperarum. *Theophraſtus* in charactere ſuperſtitioſi inter alia hæc habet, ȣ̓̃τε ἐπιβῆναι μνήματι, ȣ̓̃τε ἐπὶ νεκρὸν ἐλθεῖν, ȣ̓̃τε ἐπὶ λέχει, non conſcendere, vel ingredi, Sepulchrum, non appropinquare mortuo, vel puerperæ. Ex *Chryſippo* diſcas, Rationi haud eſſe conforme Præceptum, quo à Templo arcentur, qui à mortuo veniunt vel Puerpera, τὸ προελθεῖν ἀπὸ λέχȣς, ἢ θανάτȣ πρὸς ἱερὸν, ἀλόγως διαβέβληται. Haud ſemel ſubiit mentem meam, annon hujusmodi apud plures & diuerſas Nationes obſeruandæ Leges, ſeu conſuetudinariæ, ſeu poſitiuæ, eſſent ipſius Naturæ, ab ipſo Authore Naturæ Hominibus impreſſæ, vel in ipſarum Puerperarum commodum, aut menſtruatarum beneficium, utpote quæ in hoc ſuo ſtatu quiete indigent, & abſtractione à negotiis? Docet ſanè nos Experientia, proficuam eſſe & his & illis vitam abſtractam, noxias valde viſitationes, frequentationes, conuerſationes.

Notabile eſt in Lege diſcrimen inter *Puerperam*, quæ *Marem* & quæ *Fœminam peperit:* illa *ſeptem diebus immunda* declaratur, debebatque *manere triginta tribus diebus in ſanguine Purificationis ſuæ:* hæc *immunda fuit duabus hebdomadibus juxta ſeparationem ſuam, & ſexaginta ſex diebus manſit in ſanguine Purificationis ſuæ.* Torquent ſe heic Interpretes. Phyſicas prætendunt cauſas *Valleſius, Grotius*, alii, & poſt *Ariſtotelis* atque *Hippocratis* authoritatem ad rationes prouocant. *Mares*, verba ſunt *Valleſii, Philoſ. ſacr.* p. 123. *citius figuram recipere, & mouendi vim, quam fœminas, & eas, quæ mares conceperunt, breuiores habere expurgationes. — Nam cum mulieres humidiores & excrementoſiores ſint, quàm viri, & earum principia, quàm ex quibus viri fiunt, conſtat ab iis etiam mulieribus concipi, quæ aut natura ſint, aut tunc fortè contigerit eſſe excrementoſiores. Indigebunt igitur tales expurgatione diuturniore.* Vacillant admodum hæc Ratiocinia, tardiorem eſſe fœmineæ prolis & figurationem & motum, quam maſculinæ: licet conſtet, frigidioris eſſe fœminas naturæ & humidioris, &, ſi ita velis, excrementoſioris, matrem id reſpicit unicè: quærenda eſt relatio Matris ad prolem. Imò verò inuerti poſſet argumentum: Si omnis fœmineus ſexus frigidior eſt & humidior, &, quod poſſis addere, Sanguinis plus habet quàm maſculinus, tranſibit ex hoc frigidiori, humidiori, Sanguine Matris plus ad Fœtum ſequioris ſexus, quam ad maſculum, & proinde mora puerperii deberet eſſe longior poſt maris quàm fœminæ partum. Neque ſufficit dicere, plerunque fœminei partus moram eſſe longiorem. Docet nos Experientia, quòd indiſcriminatim hæc ſeſe habeant, & difficultas partus à variis dependeat cauſis, quarum conſideratio hujus loci non eſt. Neque id conſtans, diutius fluere Lochia poſt Partum fœmellæ, quàm Maris. Euenit aliquando contrarium. Starem ego, usque dum aliæ fortiores detectæ fuerint cauſæ, libentius ex partibus *Reyheri Math. Moſ.* p. 324. & *Valentini Henr. Vogleri Sacra Phyſ. & Medic. ad Leu.* XII. qui ad ceremoniale potius attendi volunt, quàm ad Phyſicum, & *conduplicatum illud tempus partim ad Matrem, partim ad puellam recens editam pertinere.* Octauo die circumciſus infans maſculus Sanguinis proprii profuſione ſuſtinuit purgationis partem: Aſt pro fœmello partu luere debebat Mater duplo ſeparationis tempore. Finiebatur Purgatio intra binas hebdomadas, ſed durauit ſeparatio 66. dies. Satisfecit maſcula proles Legi ſimul & ſemel circumciſione: ſed adulta

RPJCB



LEVITICI Cap. XII. v. 6-8.
Puerperæ ſacrificium.

III. Buch Moſis Cap. XII. v. 6-8.
Opfer der Sechswochnerin.

*H. Sperling sculp.*

Puella ſingulis menſibus ſuſtinet & Purgationem & ſeparationem.

Sunt, qui myſticâ delectantur & Theologiâ & Philoſophia, & heic ex ſeptenario, bisque ſeptenario prolicere tentant Myſteria. Septem primorum dierum decurſu dicunt probari Hominis vitam; ſeptimi Menſis partum, vel *Hippocrate* teſte, eſſe vitalem, octauo exiſtente fatali: ſeptimum diem ſignum eſſe bonæ conceptionis, ex *Ariſt. Hiſt. Anim.* L. VII. c. ult. per ſeptenarios progredi Febres, & terminari: per ſeptem quosuis annos ætatem Hominis mutari: ſeptem diebus creatum Mundum, & ſeptimum diem inſtitutum pro Sabbatho. Et quæ hujus generis ſunt alia, quæ Numerorum myſticorum procis linquo. In horum claſſem referendus Diuus *Auguſtinus*, qui legatur in *octoginta tribus Quæſtionib. Qu.* 27. & 81. de numeris quaternario & quadragenario, in ſcirpo quærens nodum.

# TAB. CCLXVII.

## Leuit. Cap. XII. verſ. 6. 8.

6. Quumque exacti fuerint dies purgationis ſuæ, pro filio vel filia, adducet Agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbinum, aut Turturem pro hoſtia peccati, ad oſtium Tentorii conſtitutionis, & ad Sacerdotem.

8. Si verò facultas adferendi Agni ei defuerit, accipiat duos Turtures, aut duos pullos columbinos, unum pro Holocauſto, & alterum pro hoſtia peccati, & expiabit pro ea Sacerdos, & munda erit.

6. Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ, ſiue turturem, pro peccato ad oſtium tabernaculi teſtimonii, & tradet ſacerdoti.

8. Quod ſi non inuenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccato. Orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur.

SEcutus Interpres noſter *Hieronymum*, qui habet, *cum impleti fuerint dies*, & Græcos, ὅταν ἀναπληρωθῶσιν. Senſus nimirum, oblationes fuiſſe à puerperis factas poſt tempus à Legislatore definitum poſt 40. dies à partu Maris, & 80. à partu fœminæ. Hinc *Maimonides* Lib. *de iis, qui non egent ſacrificio expiatorio.* c. I. *Puerpera non offert oblationem ſuam die quadrageſimo pro mare, aut octogeſimo pro fœmina, niſi poſtquam ei occubuit Sol* (ultimæ diei, id eſt, poſt diem planè completum) *offert igitur oblationem ſuam poſtridie, id eſt, quadrageſima prima pro mare, & octogeſima prima pro fœmina.* De ipſis Animalibus in hoſtias oblatis vide alibi, ſpeciatim de Turturibus & Columbis ad Leu. I. 14.

# TAB. CCLXVIII.

## Leuit. Cap. XIII. verſ. 2 - 28.

2. Si fuerit in cute carnis alicujus Hominis Tumor, ſeu ſcabies ſerpens fuerit, ſeu candicans macula, ut ſit in cute carnis ejus macula Lepræ, ducetur ad Aharonem Sacerdotem, vel ad aliquem ex filiis ejus Sacerdotibus.

3. Tum inſpiciet Sacerdos maculam in Cute Carnis, ſi pilus in ipſa macula verſus eſt in candorem, & aſpectus maculæ ſubſidet, profundior ſcilicet quàm ſit cutis carnis ejus, macula hæc Lepra erit, & inſpiciet eum Sacerdos, & immundum eum pronuntiabit.

4. Si verò candicans macula fuerit in Cute Carnis ejus, & aſpectus ejus non fuerit profundior ipſa cute, nec pilus ejus verſus fuerit in candorem, occludet Sacerdos maculam ſeptem diebus.

5. Tum inſpiciet eum Sacerdos ſeptimo die, & ſi macula ſteterit ſpecie ſua, nec creuit macula in cute, occludet eum Sacerdos ſecundò ſeptem diebus.

6. Et tum inſpiciet eum Sacerdos ſeptimo die rurſus, & ſi obſcurior fuerit macula, nec creuit macula in cute, mundum pronuntiabit eum Sacerdos, ſcabies eſt ſerpens, lauabit igitur veſtimenta ſua, & mundus erit.

7. Quòd ſi ſcabies hæc ſerpens omnino creuerit in cute, poſtquam à Sacerdote inſpectus eſt, & mundus judicatus, debet denuò inſpici à Sacerdote.

8. Videns igitur Sacerdos, quod ſcabies illa ſerpens creuerit in cute, immundum pronuntiabit illum Sacerdos, quoniam Lepra eſt.

2. Homo, in cujus cute & carne ortus fuerit diuerſus color, ſiue puſtula, aut quaſi lucens quippiam, id eſt plaga lepræ, adducetur ad Aaron ſacerdotem vel ad unum quemlibet filiorum ejus.

3. Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipſamque ſpeciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua, plaga lepræ eſt, & ad arbitrium ejus ſeparabitur.

4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris priſtini, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus.

5. Et conſiderabit die ſeptimo: & ſiquidem lepra ultra non creuerit, nec tranſierit in cute priores terminos, rurſum recludet eum ſeptem diebus aliis.

6. Et die ſeptimo contemplabitur: ſi obſcurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia ſcabies eſt; lauabitque homo veſtimenta ſua, & mundus erit.

7. Quodſi, poſtquam à Sacerdote viſus eſt, & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit: adducetur ad eum.

8. Et immunditiæ condemnabitur.

9. Quum




LEVITICI Cap. XIII. v. 8-28.
Lepra.

III. Buch Moſis Cap. XIII. v. 8-28.
Auſſatz.

I. A. Friderich sculp.

RPJCB

9. Quum macula Lepræ fuerit in Homine, adducatur ad Sacerdotem.

10. Sacerdosque ipſe inſpiciat, & ſi tuberculum candidum fuerit in cute, mutaueritque pilum in candorem, viuacitas quoque carnis recentis fuerit in tuberculo illo.

11. Lepra erit inueterata in cute carnis ejus, immundumque pronuntiabit eum Sacerdos, & non includet eum, ſiquidem immundus eſt.

12. Si verò omnino floruerit Lepra in cute, & operuerit Lepra ipſa uniuerſam Cutem maculæ à capite ejus usque ad pedes ejus, quicquid cadit ſub obtutum oculorum Sacerdotis.

13. Inſpiciet eum Sacerdos, & en ſi operuerit Lepra ipſa totam carnem ejus, mundam judicabit hanc Maculam, eò quod tota verſa ſit in candorem, eritque ille mundus.

14. In die verò illa, quando viſa fuerit in eo viua caro, immundus erit.

15. Inſpicietque Sacerdos carnem illam viuam, & immundum eum pronuntiabit, caro enim illa viua immunda eſt, Lepra eſt.

16. Aut ſi reuerſa fuerit caro viua, & mutata eſt in candorem, veniet ille ad Sacerdotem.

17. Et inſpiciet eum Sacerdos, & ſi macula verſa fuerit in candorem, mundam pronuntiabit Sacerdos maculam illam, mundus enim eſt.

18. Et caro, in cujus cute fuerit ulcus, illudque fuerit ſanatum.

19. Si enatus fuerit in loco illius ulceris tumor albicans, aut macula candicans, ſubrufa tamen, inſpicietur à Sacerdote.

20. Et quum inſpexerit Sacerdos, fueritque aſpectus ejus profundior ipſa Cute, & pilus ejus mutatus

9. Plaga Lepræ ſi fuerit in homine, adducetur ad Sacerdotem.

10. Et videbit eum; cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aſpectum, ipſa quoque caro viua apparuerit.

11. Lepra vetuſtiſſima indicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum ſacerdos, & non recludet, quia perſpicuæ immunditiæ eſt.

12. Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite usque ad pedes, quicquid ſub aſpectum oculorum cadit.

13. Conſiderabit eum ſacerdos, & teneri lepra mundiſſima judicabit: eò quòd omnis in candorem verſa ſit, & idcirco homo mundus erit.

14. Quando verò caro viuens in eo apparuerit:

15. Tunc ſacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur; caro enim viua, ſi lepra aſpergitur, immunda eſt.

16. Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit.

17. Conſiderabit eum ſacerdos, & mundum eſſe decernet.

18. Caro autem & cutis in qua hulcus natum eſt, & ſanatum.

19. Et in loco hulceris cicatrix alba apparuerit, ſiue ſubrufa, adducetur homo ad ſacerdotem.

20. Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verſos in candorem, con-

fuerit in albedinem, immundum pronuntiabit eum Sacerdos, macula Lepræ eſt ex ulcere germinans.

taminabit eum: plaga enim lepræ orta eſt in hulcere.

21. Et ſi eam inſpexerit Sacerdos, nec fuerit in ea pilus albicans, nec ea fuerit humilior ipſa Cute, ipſa tamen obſcura eſt, includet eum Sacerdos ſeptem diebus.

21. Quod ſi pilus coloris eſt priſtini, & cicatrix ſubobſcura, & vicina carne non eſt humilior, recludet eum ſeptem diebus.

22. Et ſi omnino dilatata fuerit in ipſa Cute, immundum pronuntiabit eum Sacerdos, macula eſt.

22. Et ſi quidem creuerit, adjudicabit eum lepræ:

23. Si verò in ſeſe ſteterit macula illa, & non fuerit dilatata, cicatrix eſt ulceris, & mundum pronuntiabit eum Sacerdos.

23. Sin autem ſteterit in loco ſuo, hulceris eſt cicatrix, & homo mundus erit.

24. Quodſi caro aliqua fuerit, in cujus cute fuerit aduſtio Ignis, & viuum illud aduſtionis habuerit maculam candicantem, ſubrufam aut albam.

24. Caro autem & cutis, quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſiue rufam habuerit cicatricem.

25. Inſpiciet eam Sacerdos, & ſi verſus fuerit pilus in alborem in candicante illa macula, & aſpectus ejus fuerit profundior ipſa Cute, Lepra eſt in ipſa aduſtione effloreſcens, & ideò immundum illum pronuntiabit Sacerdos, macula enim eſt Lepræ.

25. Conſiderabit eam Sacerdos, & ecce verſa eſt in alborem, & locus ejus reliqua cute eſt humilior: contaminabit eum, quia plaga Lepræ in cicatrice orta eſt.

26. Si autem, quum inſpexerit eam Sacerdos, non fuerit in macula illa pilus ſubalbicans, neque ea fuerit profundior cætera cute, ſed fuerit ſubobſcurior, includet eum Sacerdos ſeptem diebus.

26. Quod ſi pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipſa lepræ ſpecies fuerit ſubobſcura, recludet eum ſeptem diebus.

27. Inſpicietque eum Sacerdos die ſeptimo, & ſi omnino dilatata fuerit in ipſa Cute, immundum pronuntiabit eum Sacerdos, eſt enim macula Lepræ.

27. Et die ſeptimo contemplabitur: ſi creuerit in cute Lepra, contaminabit eum.

28. Et ſi in ſeſe ſteterit macula illa candicans, nec dilatata fuerit in Cute, ſed fuerit ſubobſcura, tumor eſt aduſtionis, & Sacerdos pronuntiabit eum mundum, eſt enim cicatrix aduſtionis.

28. Sin autem in loco ſuo candor ſteterit non ſatis clarus, plaga combuſtionis eſt, & idcirco mundabitur, quia cicatrix eſt combuſturæ.

Capite

Capite XI. expoſuit Legislator Populo ſuo diſcrimen inter *Animalia munda* & *immunda*, imo, quod vidimus, Diætam præſcripſit, qua ſani viuere, & mundi ſimul, poſſent. In hoc Capite diſtinguitur *Homo* ipſe *mundus* ab *immundo*, Homo ab Homine, imò â ſeipſo, mutatus ab illo. Ubi attendendum ante omnia ad Examen rigoroſiſſimum, quod inſtitui debebat, ad cujus normam ſi obſeruaremus Noui Fœderis ſubditi ulcera fœda, pilos albos, maculas, cruſtas Mentis noſtræ corruptæ, Affectuum noſtrorum deprauatorum, ſi nos ipſos ſepararemus à corruptione Seculi, imo Balſamo Verbi Divini curaremus, major haud dubiè foret verorum Pietiſtarum numerus, id eſt, Chriſtianorum in cognitione & Timore DEI, in ſanctitate & charitate ambulantium, quàm reuera eſt. Eſt materia, quam nunc tractandam ſuſcipio, difficultatum & tricarum plena, quæ mirè hactenus torſit Interpretes. Deſiderabat DEUS in Veteri Oeconomia, ut præſcripſerat cultum mundiſſimum, etiam Populum mundum, quemadmodum in Noua vult ἐκκλησίαν μὴ ἔχȣσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤτι τῶν τοιȣτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος. Eph. V. 27.

Nullum eſt dubium, quin Judæi inprimis Sacerdotes in diagnoſi Affectuum, de quibus nunc ſermo, fuerint exercitatiſſimi, quia ex mandato DEI inſpectio ipſis fuit injuncta, & legale Judicium commiſſum. Et fortè ex Hebræorum Scriptis optima præſtolamur ſubſidia. Sanè *Maimonides*, unus ex Hebræorum doctiſſimis, integrum de *Lepra* ſcripſit tractatum. Numerant Recutiti Doctores *Lepræ* ſpecies ad 30. usque, ſed hoc nomine intellexiſſe videntur generatim Morbos quoſuis cutaneos, ſaltem impuriores, quorum omnium origo arceſſenda eſt ex materia ſalſa, acri, ad glandulas colatorii uniuerſalis, Cutim intelligo, amandata, per ramulos Arteriolarum extremos laterales ſecreta, ſub cuticula ſquamoſâ collecta, in Tubercula, veſiculas, cruſtas eleuata, nunc hoc nunc illo colore conſpicua. Hujusdem ſententiæ fuere quoque *Lutherus Gloſs. marg. ad Leuit. Cunæus*, *Valleſius*. Aliis *Lepræ Judaicæ* nomine intelligentibus *Elephantiaſis* ſingularem ſpeciem θεήλατον à Deo immediatè ut illatam, ita & ſanatam, *Bezâ*, *à Rejes*. &c.

Nec loci eſt, nec temporis, enarrare omnes ſeu Lepræ, ſeu cutaneorum morborum ſpecies, ſed animus, continere me intra Textus limites. Primus Morborum, qui heic memorantur, eſt v. 2. שְׂאֵת *ſeeth* LXX. ȣλὴ, *Cicatrix*. Vulgatæ *diuerſus color*, *Onkeloſo* עמקא *bameka*, quæ vox cauitatem notat. Noſtrates vertunt per *Tumorem*, *Geſchwulſt*. *Clerico* placet *macula*. Haud ita diſſentiunt hi omnes, quin conciliari facile poſſint. Non eſt Affectus ex cutaneis, non Tumor, qui non certo colore ſe prodat, certâ maculâ ſe diſtinguat, imo, ſi erodens ſit materia, cauitatem habeat, Tumores inprimis illi, qui in cruſtas leproſas abeunt.

Secundus Morbus vocatur סַפַּחַת *ſaphabbath*, LXX. ȣλὴ σημασίας τηλαυγὴς, *notæ ſplendens*, *Hieronymo Puſtula* aut *lucens quidpiam*: noſtra Latina habet *Scabies ſerpens*, Vernacula, *ein Geſchwär*, *Clericus*, *Impetigo*. Talmudiſtæ pro diagnoſtico ſigno agnoſcunt album, Gypſo, Calci, vel etiam membranæ interiori, quæ ſub oui cortice latet, ſimilem colorem. Qualem præ ſe ferunt *puſtulæ ſcabioſæ*, in Cuticula eleuatæ, pure cocto per ipſam hanc Cuticulam transparente refertæ. Tertius Morbus eſt בַּהֶרֶת *bahereth*, nobis *candicans macula*, *eine weiſſe Blater*, melius forſan *ein weiſſer Flecke*. Forſitan tres hi Morbi, vel ejusdem forſan Morbi variantes ſtatus, ita diſtingui poſſunt, ut שְׂאֵת ſit puſtula ſupra cutim reliquam eleuata, colore rubicunda, *ſaphabbath* סַפַּחַת eadem puſtula pure cocto plena, בַּהֶרֶת denique macula alba absque eleuatione tumoris, *Alphus*, *Vitiligo*, Arabibus *Morphea*: vel etiam poſſunt, ſi in eodem Morbo manere lubet, intelligi cruſtæ illæ ſeu ſcabioſæ, ſeu Leproſæ, ſeu etiam varioloſæ, quæ puſtulas maturas, apertas, vel ſponte exiccatas ſequuntur.

Morbum ſuſpicioni obnoxium ubi viſitationi ſubjecit Sacerdos, atque animaduertit, *pilum in ipſa macula verſum eſſe in candorem*, & *aſpectum maculæ ſubſidere profundiorem ſcilicet, quàm fuit cutis carnis ejus*, judicauit adeſſe צָרַעַת *tſaraath*, *Lepram*. Eſt hic, quem Moſes deſcribit cum ſuis ſignis diagnoſticis, Græcorum λεύκη, *Leuce*, & majorem indicat humorum ſalſorum acrimoniam, qua non ſolùm eleuatur Cuticula, ſed & ipſæ Glandulæ cutaneæ eroduntur unà cum ipſis vaſculis Cutis: hinc fit *Cutis carnis profundior*, hinc *pili* quoque *albi*, quia ſuo priuantur eroſæ ſæpe ad baſin, vel cruſta veluti gypſea conſtrictæ, alimento: hujus certè defectum in cauſa eſſe conſtat ex ipſa Senum canitie, deriuanda ex coarctatis cutaneis tubulis Cutis aliàs in illa ætate corrugari ſolitæ. In eadem mecum cogitata incidit *Joh. Clericus*, hujusue frater *Daniel* Med. & Senator Geneuenſis, *Diſs. de Lepra*, ubi Morbum, de quo nunc, vocat *Vitiliginem* ſeu *Leucen*. Quem ita, & graphicè deſcribit Latinus Hippocrates *Celſus* L. V. c. 28. *Vitiligo quamuis per ſe nullum periculum adfert, tamen & fœda eſt, & ex malo corporis habitu fit. Ejus tres ſpecies ſunt:* Ἄλφος *vocatur, ubi color albus eſt, fere ſubaſper, & non continuus, ut quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur, interdum etiam latius, & cum quibusdam intermiſſionibus, ſerpit.* Μέλας *colore ab hoc differt, quia niger eſt, & umbræ ſimilis, cætera eadem ſunt.* Λεύκη *habet quiddam ſimile Alpho, ſed magis albida eſt, & altius deſcendit, in eaque albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt, ſed in aliis celerius, in aliis tardius. Alphos & Melas in quibusdam variis temporibus oriuntur & deſinunt. Leuce*

*quem occupauit non facile dimittit.* Superuacaneum foret, vel exſcribere, vel allegare, quæ alii ex Veteribus Medicis, & Celſianis conſentanea, habent, nempe *Actuarius*, *Aetius*, *Oribaſius*, *Paulus*, *Galenus*, *Auicenna.*

*Si candicans macula* (v. 4.) *fuerit in Cute carnis ejus, & aſpectus ejus non fuerit profundior ipſa Cute, nec pilus ejus verſus fuerit in candorem, occludi debebat à Sacerdote macula ſeptem diebus. (Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris priſtini, recludet eum ſacerdos ſeptem diebus.)* Hucusque erat *Alphus*, & cutis eroſio haud fuit profunda, pilorum radices illæſæ. Hujusmodi ægro ſi elapſis bis ſeptem diebus *obſcurior fuerit macula, nec creuerit macula in cute, mundus* pronuntiabatur à ſacerdote. *Scabies* namque erat *ſerpens*, v. 5. 6. מִסְפַּחַת *mispachath*, quod vocabulum Latina noſtra reddit, *ſcabies ſerpens*, *Aquila* ἐξανάδοσιν, *puſtulam*, *Theodotion* ἔκβρασμα, *Scabiem*, vernacula noſtra *Grind*, commodius reddidiſſet *eine ſchæbichte Auſſchlechte oder Raud*, verti etiam potuiſſet *Herpes*, *Heerbrand. Tinea, der Grind*, propriè ita dicta eſt Capitis Affectus, non minus, quàm ipſa Leuce, immundus, eademque cum hac ferens ſigna.

De hoc Morbo, *Lepra*, ſciendum, à Moſe non deſcribi ut nouum aliquod malum, Iſraelitis in pœnam datum, ſed jam cognitum, in Oriente haud rarum, imo nec Septentrionali Europæ ignotum. Manebo, *Clerici*, quem nunc κατὰ πόδα ſequor, veſtigia premens, in Oriente. Sub finem *Prorrheticon Hippocratis* L. II. legas hæc verba. Γίνονται δὲ Λεῦκαι μὲν ἐκ τῶν θανατωδεστάτων νοσημάτων, οἷον καὶ ἡ νοῦσος, ἡ Φθινικὴ καλεομένη, αἱ δὲ λέπραι καὶ οἱ Λειχῆνες ἐκ τῶν μελαγχολικῶν. Ubi vetuſtiſſimi Hippocratis Interpretes legunt Φοινικὴ pro Φθινικὴ: ita *Galenus*, Φοινικίη νόσος ἡ κατὰ Φοινίκην, καὶ κατὰ τὰ ἄλλα ἀνατολικὰ μέρη πλεονάζουσα, δηλοῦσθαι δὲ κἂν ταῦτα δοκεῖ ἡ ἐλεφαντίασις. Ita proin vertendus noſter Senex. *Oriuntur quidem Leuce ex periculoſiſſimis* (grauiſſimis) *Morbis, qualis eſt Phœnicius dictus, Lepra verò & Lichenes ex melancholicis humoribus.* Ante tria quatuorue Secula Morbus, de quo nunc, à *Guidone Cauliaco* & aliis nuncupabatur *Tyria Lepra.* Haud raro nempe contingit, ut Morbi denominentur à Regionibus, ubi vel ſunt primigenii, vel endemii. Exemplo ſint *Lues Gallica*, ſeu *Morbus Neapolitanus*, *Plica Polonica*, *Sudor Anglicus*, *Noſtalgia* Heluetiorum, *la maladie des Suiſſes.* In *Ægypto* popularis eſt *Lepra*, imo *Ægypti peculiare hoc malum.* Plin. L. XXVI. c. 1. Idem teſtatur *Galenus Meth. med. ad Glauconem.* L. II. c. 12. ubi circa Alexandriam familiarem dicit Elephantiaſin, propter vitæ genus, & Climatis ardorem, rariorem contra in Germania & Mœſia, & apud Galactophagos Scythas. Locus ipſe dignus eſt, qui heic inſeratur. Κατὰ γοῦν τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐλεφαντιῶσι πάμπολλοι, δία δὲ τὴν δίαιταν, καὶ τὴν θερμότητα τοῦ χωρίου. Κατὰ δὲ τὰς Γερμανίας τε καὶ Μυσίας σπανιώτατα τοῦτο πάθος ὦπται γινόμενον. Καὶ παράγε τοῖς γαλακτοπόταις Σκύθαις σχεδὸν οὐδέποτε φαίνεται γινόμενον. Ἀλλ᾽ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παμπόλλη ἡ γένεσις αὐτοῦ δία τὴν δίαιταν ἐστιν. Ἀθάραν γὰρ ἐσθίουσι, καὶ φακὴν, καὶ κοχλίας, καὶ ταρίχη πολλά. Τινὲς δὲ καὶ ὄνεια κρέα καὶ ἄλλα τοιαῦτα παχὺν καὶ μελαγχολικὸν γεννῶντα χυμόν. Ubi proin Lepra proponitur non duntaxat tanquam Ægypto familiaris, ſed & cauſæ indicantur etiam Palæſtinæ applicabiles. Climatis æſtus, quo ſalia maſſæ ſanguineæ exaltantur, fluido lymphatico per copioſam Tranſpirationem auolante acriora reddita, acutim facile erodunt, diæta porrò, eſus Leguminum, Lentium, Teſtaceorum, muriaticorum, caro aſinina, alia, quæ craſſum gignunt, ſalſum & melancholicum humorem. Imo forte Diætetica illa Leu. XI. â Moſe tradita eò collimat ſpeciatim, ut ejus uſu Iſraelitæ à fœdis Lepræ eique cognatis morbis præcauerentur. In ſpecie quadrare huc poteſt Præceptum, quod carnem Porcinam, Serpentum & Lacertarum omne genus prohibet. Notum ſanè, vel ex *Liſtero Exercit. Med. de Lue Vener.* & *Diſs. de Humorib.* in Inſulis Americanis populariter graſſari Luem Veneream, ab eſu Iguanarum: neque hanc ipſam Luem ex Catalogo morborum immundorum, & in ipſam Lepram declinantium eradendam exiſtimo, quâ ex aliarum Gentium commixtione facile Judæi infici poterant. Et ipſam hanc Luem continuatione, eroſione tranſire poſſe in Lepram, Medicorum Annales referunt. Caſum notabilem recenſet *Dan. Fiſcher.* Med. Liptauienſis Hungarus in Cl. *Kanoldi Breſſlau. Sammlung.* VIII. *Verſuch* p. 733.

De *Ægypto* legimus apud *Lucretium* L. VI.

> Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
> Gignitur Ægypto in media, neque præterea uſquam.

Hinc forte nata *Appionis* illa fabuloſa de Judæis calumnia, ac ſi ex Ægypto fuerint propter Lepram pulſi, quam ſolidè diſcuſſam vide apud *Joſephum* L. I. & II. *contra App. Juſtinum* L. XXXVI. c. 2.

Non ſolis Judæis, ſed & Gentibus aliis *Lepra* fuit abominationi, haud dubiè, quia non ſolùm viſu fœda, infecto moleſta, ſed quoque contagioſa. *Herodotus* L. I. c. 12. Ὃς ἂν δὲ τῶν ἀστῶν λέπρην ἢ λεύκην ἔχοι, ἐς πόλιν οὗτος οὐ κατέρχεται, οὐδὲ συμμίσγεται τοῖς ἄλλοισι Πέρσοισι. Φασὶ δέ μιν ἐς τὸν ἥλιον ἁμαρτόντα τι ταῦτ᾽ ἔχειν. Ξεῖνον δὲ πάντα τὸν λαμβανόμενον ὑπὸ τουτέων πολλοὶ ἐξελαύνουσι ἐκ τῆς χώρας, καὶ τὰς λευκὰς περιστερὰς τὴν αὐτὴν αἰτίην ἐπιφέροντες *Si quis ciuium Lepra vel Leuce eſt affectus, ei aditus ad urbem haud conceditur, neque ut aliis ſe immiſceat Perſis. Perhibentur autem, qui tale quid habent, peccaſſe contra Solem. Peregrinos verò Leproſos multi finibus ſuis expellunt, & vel propterea ne Columbas quidem albas ſufferunt.* De

*Deliis,*

*Deliis*, qui κατὰ μῆνιν Ἀπόλλωνος, *irâ Apollinis*, omnes fuerint facti Leproſi, legere licet plura in *Epiſtola Æſchinis.* Non tamen delicatulus fuiſſe videtur *Artaxerxes*, qui propriam ſuam filiam, utut Leproſam, *Atoſſa* dictam, matrimonio ſibi junxit, ut videre eſt apud *Theophraſtum* in charactere Δυσχερείας. Leproſos fuiſſe inter Judæos usque ad tempora CHRISTI conſtat ex Matth. VIII. 2. X. 8. XI. 5. Inter Chriſtianos, ut caueatur σύμμιξις atque contagium, extructa ſunt ubique locorum, ſiue fundata piorum ſubſidiis, *Leproſoria.*

V. 9. & ſeqq. proponit Legislator Signum *Lepræ* completæ Pathognomonicum: in hoc Morbi ſupremo gradu materia acris peccans non ſolùm extimam Cutis ſuperficiem lædit, infixosque cuti pilos albos reddit, ſed profundius rodit, vaſcula omnia cutis furori ſuo obuia erodit, circulum ſanguinis peruertit, qui extrauaſatus in Pus abit, imo ipſæ fibræ ſiue tubulorum laciniæ luxuriantes unà cum pure concretæ in cruſtas ſeſe eleuant. Qui hunc attigit Morbi ſtatum, non amplius includebatur carceri docimaſtico, ſed declarabatur immundus, imò tanquam incurabilis è Societate Hominum, ut adhuc fieri ſolet, excludebatur.

Videntur, & multis ſunt, v. 12. & ſeqq. παράδοξοι. Pro immundo declaratur, qui hinc inde duntaxat Leprâ eſt affectus, uti efflorеſcere ſpeciatim ſolet in Genubus, Olecrano, Articulis aliis, Facie; mundus autem habebatur, qui totus nîl niſi erat Lepra, totâ cute fœdâ hac Scabie obductus: Vel, quî, quæſo, in myſtico ſenſu pro mundo declarari poterit, in quo *à Planta pedis ad Verticem usque nihil eſt integrum, omnia, vulnus, tumor, purulentaque plaga.* Jeſ. I. 6. *(A planta pedis usque ad verticem non eſt in eo ſanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens:)* Torſit hæc materia mirè Interpretes, ut euadendi haud videant viam. *Clericus Diſs. de Lepra* ſicco pede eam tranſit, & in *Comm.* fatetur, ſe ſibi ſatis non poſſe facere. *Mirum eſt, partim Leproſum pollutum cenſeri, toto verò corpore tetro illo morbo infectum haberi mundum. Fateor me nullam ejusmodi diſcriminis rationem comminiſci poſſe, non magis ac ſi Moſes dixiſſet, eum eſſe immundum, qui una ſpecie immunditiei laboret, mundum, qui omnibus. Crediderim itaque, aliud voluiſſe Legislatorem: nimirum, ſi cujus corpus totum canderet, ſignum hoc fuiſſe non Lepræ, quæ omnia peruaſiſſet, ſed melioris valetudinis, ideoque ejusmodi hominem mundum judicandum fuiſſe: contra verò ſi color toto corpore non conſtaret, ſed caro aliis in locis rubicundior eſſet, aliis verò præter modum canderet, indicium hoc haberi debuiſſe candoris à Lepra orti.*

Tentare licebit & mihi vadum, licet nemini promittam dubii ſolutionem plenariam. Si quando graui quodam ſuperato Morbo, Febre inprimis acutâ, in tota Cute conſpiciatur efflorеſcentia, ſeu ſcabioſa, ſeu Leproſa, indicio id nobis eſt, omnem materiam peccantem, acrem, ſalſam, foras eſſe amandatam, maſſam Sanguinis depuratam, & hujusmodi ægrum vel ſponte, cadentibus cruſtis, vel Balnei cujusuis dulcis uſu reſtitutum iri. *Criſin* hanc dicimus *perfectam*, qua ſæpe tota Corporis cuticula abſcedit, pili omnes excidunt, totus Homo alius fit ab illo, qui fuerat ante: *imperfectam* autem, ſi hinc inde duntaxat conſpiciantur vel maculæ, vel puſtulæ, vel cruſtæ, manentibus intra corpus humoris peccantis reliquiis, imo per poros paſſim tranſpirantibus, ac proximum quemque inficientibus. Erat hujusmodi Lepra munda non tam in Cutis vaſculoſa textura, quàm inter Cuticulam & Cutim: hæc non eroſa in cruſtas & carnem putridam excreſcentem eleuata, ſed integra, per quam Sanguis liberè circulare poſſet. Sed nec diffitendum, eſſe hujusmodi caſus, ubi tota Cutis candet, ex rariſſimè contingentibus, & multis λεπριάτροις ne ſemel quidem per Vitam viſos. Accedit, quod hujusmodi Hominibus pauciſſima ſit tranſpiratio, periculum proin contagii tantò minus. In myſtico ſenſu is declaratur pro mundo, qui ſe ipſum fatetur totum leproſum, immundum. Non malè Judæi Lepram comparant Flumini, quod in latum ſeſe effundens campum profunditatis habet parum, multum verò, ſi arcto claudatur alueo: ſic Lepram eſſe tantò corroſiuam magis, ſi uno aliquo, vel paucis efflorеſcat locis, minus, ſi ſeſe æqualiter diffundat per totum Corpus. Ita fere ratiocinatur *Lutherus Gloſs.* ad Leu. XIII. *Es iſt ein geſunder Leib, der ſich ſelbſt alſo reiniget, als mit Pocken, Maſern und Krätze geſchibet, da durch den gantzen Leib das böſe heraus ſchlägt, wie wir Teütſche ſagen, es ſeye geſund*, &c.

V. 18. & ſeqq. Subintelligenda veniunt omnia *Ulcera* & *Apoſtemata*, ſeu *phlegmonoſa* ea ſint, ſeu *eryſipelatoſa*, ſeu *gangrænoſa*, ſeu *cancroſa*, ſeu *phagedœnica. Apoſtematum* variantes ſpecies, *Therioma*, *Paronychia*, *Parotis*, *Carbunculus*, *Exulceratio radicis Unguium*, *Aphthæ*, *Variolæ*, *Bubones venerei & Peſtilentiales.* Subjiciebantur omnes hi Morbi viſitationi Sacerdotum, ut declarari poſſet æger mundus vel immundus, *mundus, ſi non fuerit pilus albicans, & in ſeſe ſteterit macula, nec fuerit dilatata:* immundus, *ſi aſpectus fuerit profundior ipſa Cute, & pilus mutatus in albedinem.* In priori nempe Caſu diſponebant ſe omnia ad curam, repletâ ſenſim à fibris recens ſuccreſcentibus cauitate, ſecretâ & excretâ vitioſa omni materia: in poſteriori nouus ſemper aderat materiæ vitioſæ ex Sanguine affluxus, vel ipſe Sanguis oſculis eroſis exudans continuò abibat in pus, manente *fiſtula* ſemper aperta.

Legitur v. 19. *ſi enatus fuerit in loco illius ulceris tumor albicans, aut macula candicans, ſubrufa tamen* בַּהֶרֶת לְבָנָה אֲדַמְדֶּמֶת. Torquet ultima vox אֲדַמְדֶּמֶת Interpretes. In Textu originali ſignificant tria hæc vocabula *ſplendorem album impensè rufum*, vel *ſummopere rufum.*

Videtur heic adeſſe παϱάδοξον τι, hinc eſt, quod LXX. verterint τηλαυγὴς λευκαίνεσα ἢ πυῤῥίζεσα, & *Hieronymus* habeat *cicatricem albam ſiue ſubruffam*, quod *ſiue* mutarunt noſtri in *tamen*, *jedoch*. *Bochartus* & *Clericus* ſoluunt nodum ex genuino vocis אָדָם *adam* ſignificatu, dicuntque eam non verti debere per *rutilare*, ſed per *ſplendere*, quod prædicatum albo non minus quàm rufo colori commune applicant albo Lepræ, volentes, intelligendum eſſe heic colorem album fulgentem ſiue ſplendentem fœdi hujus morbi. Mixtus ex albo & rufo color placet *Jonathani* in *Paraphraſi*, *Maimonidi de Lepra*, R. *Selomoni*, *Kimchio*. Quod ſi Textus noſter ſpectat ad omnis generis ſeu Ulcera, ſeu Apoſtemata, ſupra recenſita, conciliari facile poterunt partes diſſidentes. Soluit nodum *Furunculus* quiuis, qui initio eſt ex inflammata Cuti & eleuata in Tumorem rufus ſeu rutilans, imo fulgens ac ſplendens, propter læuorem, ſanguine ſeu ſtagnante, ſeu jam extrauaſato, plenus, mox verò, ſi maturus, albus fulgens, pure refertus: imo idem in apice albus, ad latera ſiue radicem rufus. Poterit proin placida ἐπικϱίσει Textus manere in eo, quo eſt ſtatu, & Interpres quiuis vel jungere colores iſtos, vel cum LXX. & *Hieronymo* mediante vocula ἢ, *ſiue*, disjungere.

V. 24. & ſeqq. pergit Moſes ad *Ambuſtionem*, aliud Morborum cutaneorum genus, quo vel Cuticula, vel Cutis ei ſubjecta ab Igne flammante, Aqua ardente, Oleo, aliaue materia feruida ita læditur, corroditur & corrugatur, ut Sanguinis circulus impediatur, tubuli extremi contrahantur, imo & à ſpiculis Ignis confodiantur, fluida paſſim extrauaſata in puſtulas eleuentur. Triſte hujusmodi Ambuſtionis conſectarium eſt *Gangræna* & *Sphacelus*, ubi Sanguis vel penè vel prorſus circulare definit, & pars illa vita privatur, enſe reſecanda, ne aliæ ſinceræ in periculi conſortium trahantur. Signa tum munditiei, tum immunditiei eadem ſunt cum ſupra expoſitis, ut αἰτιολογίαν repetere ſit ſuperuacaneum. Incluſionis equidem mentionem facit Legislator, non curæ, quæ haud dubiè durante incluſione ſuſcipi debebat. Medela ſanè, ſi ullibi neceſſaria eſt, in Ambuſtione ſuſcipi debet, ne ex remediorum neglectu malum pejus reddatur.

Illuſtrandæ huic toti de Lepra & congeneribus affectibus materiæ inſeruiunt Icones Microſcopiales, quas heic adjungo.

Fig. I. Pilos exhibet candidæ pelluciditatis de ſurgentes ex a b c. materia cryſtallinæ pelluciditatis & niueæ albedinis rupium figurâ.

Fig. II. Pilos exhibet itidem candidos pellucidos, ſed ut ordinariè ſunt, aſperos & veluti ſpinoſos, atque in extremitatibus fractos.

Videantur

*Joh. Clericus*, *Diſs. de Lepra Moſaica* Libris Hiſtoricis V. T. ſubjuncta.

*Jenkinus Thomaſius*, *Diſs. de Lepra Græcorum & Judæorum*. Baſ. 1708. 4.

*Maimonides de Lepra.*

# TAB. CCLXIX.

## Leuit. Cap. XIII. verſ. 29. ad 37.

29. Vir ſiue Mulier ſi habuerit maculam in capite vel barba.

29. Vir ſiue mulier, in cujus capite vel barba germinauerit lepra.

30. Inſpiciet Sacerdos maculam illam, & ſi aſpectus ejus profundior fuerit ipſa Cute, fueritque in ea (a) pilus ſubfuluus, judicabit illum ſacerdos immundum, eſt enim Pſora fœda, & Lepra Capitis aut Barbæ.

(a) Pilus aureus tenuis.

30. Videbit eos Sacerdos, & ſi quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus, ſolitoque ſubtilior: contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ eſt.

31. Si verò Sacerdos inſpexerit maculam ipſius Pſoræ, & aſpectus ejus non fuerit profundior reliqua Cute, nec fuerit in ea pilus niger, includet Sacerdos (eum qui habet) maculam Pſoræ ſeptem diebus.

31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eos ſeptem diebus.

32. Septi-



LEVITICI Cap. XIII. v. 29-37.
Psora, Tinea.

III. Buch Moſis Cap. XIII. v. 29 37.
Grind.

*G.D. Heüman sculps.*

RPJCB

32. Septimo die inſpiciat Sacerdos maculam, ſi non creuerit Pſora, nec fuerit in ea pilus fuluus, & aſpectus Pſoræ illius non fuerit profundior ipſa Cute.
33. Faciet ſe tonderi, ita tamen, ut Pſora non tondeatur, & includat Sacerdos, (eum qui habet) Pſoram ſeptem diebus, idque ſecundo.
34. Et ſeptimo die inſpiciat Sacerdos Pſoram illam: ſi Pſora ipſa non creuerit in carne, neque aſpectus ejus fuerit profundior cute, mundum pronuntiabit eum Sacerdos, lauabitque veſtimenta ſua, & erit mundus.
35. Quodſi Pſora in ipſa Cute creuerit poſt ejus emundationem.
36. Inſpiciat Sacerdos, & ſi macula ipſa in Cute creuit, non inquirat Sacerdos de fuluo pilo, immundus eſt.
37. Si autem Pſora in ſpecie ſua perſtiterit, & pilus niger in ea pullulauerit, ſanata eſt Pſora, & ille mundus erit, mundumque pronuntiabit eum Sacerdos.

32. Et die ſeptimo intuebitur: ſi non creuerit macula, & capillus ſui coloris eſt, & locus plagæ carni reliquæ æqualis.
33. Radetur homo absque loco maculæ, & includetur ſeptem diebus aliis.
34. Si die ſeptimo viſa fuerit ſtetiſſe plaga in loco ſuo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque veſtibus ſuis mundus erit.
35. Sin autem poſt emundationem rurſus creuerit macula in cute.
36. Non quæret amplius, utrum capillus in flauum colorem ſit commutatus, quia apertè immundus eſt.
37. Porrò ſi ſteterit macula, & capilli nigri fuerint, nouerit hominem ſanatum eſſe, & confidenter eum pronunciet mundum.

SUb præſentem conſiderationem venit *Scabies Capitis humida* & *ſicca*, quæ ſi mali eſt moris, *Tinea*, nobis der *Grind, Erbgrind*, appellatur. Quoad cauſas & ſigna morboſæ hujus excreſcentiæ nil ſuperaddi debet iis, quæ jam ſupra expoſuimus. Lepræ indicium erant præter profundam eroſionem *pili* fului ſeu *ſubfuluui*, ac *tenues*, ξανθίζοντα, Sanitatis verò, & decernendæ munditiei, *nigri*, ſimul ac malum non profundius ſerpſit. De quo colore *nigro* notandum, familiarem fuiſſe Judæorum pilis, & eſſe ſuffeni probique nutrimenti indicium, utpote quo cauitas pilorum expletur, ita ut radii liberè introeant & transeant. Verſio noſtra vernacula Græcum ξανθίζοντα tradidit v. 31. *falb*, clarior futura, ſi dediſſet per *ſchwarz*, quo ipſo prædicato utitur ipſa noſtra vernacula v. 37. & Latina in utroque allegatorum verſuum vocabulo *niger*. Leproſæ efflореſcentiæ ſignum fuit in prægreſſis morbis color *albus*, heic *fuluus*. Non prætereunda eſt heic αἰτιολογία. Sunt *Pili* tum capitis, *capilli*, tum Barbæ, craſſiores aliis, & expleti magis, hinc & longiores. Notum ex Motus Legibus, per Carotides internas ad Cerebrum pro fluidi neruei generatione mitti ſanguinem ſubtiliorem, per externas ad partes Capitis externas craſſiorem, partibus multis unctuoſis, oleoſis, ſebaceis fœtum, quæ ipſis Cruſtis conciliant colorem illum fuluum, ſic & pilis.

In mandatis dat ſuſpecto Sacerdos, ut *tondeatur, ita tamen, ut Pſora non tondeatur*, id eſt, tondeatur raſorio cultro usque ad puſtularum vel cruſtarum confinia, relictis in ipſa cruſta pilis, ut exacto ſeptiduo judicare poſſet inſpector de coloris & morbi ipſius mutatione.

# TAB. CCLXX.

## Leuit. Cap. XIII. verſ. 38 - 44.

38. Vir ſiue mulier ſi in cute carnis eorum maculæ fuerint, maculæ inquam candicantes.

39. Inſpiciat Sacerdos, & ſi in cute carnis eorum fuerint maculæ albicantes ſubobſcuræ, Lentigo eſt in Cute germinans, mundus eſt.

40. Si è capite alicujus Pili fuerint euulſi, caluus is & mundus eſt.

41. Si defluxerint Pili à fronte capitis ſui, recaluaſter eſt & mundus.

42. Si verò in recaluaſtri loco, aut occipite caluo macula fuerit alba ſubrufa, (a) lepra germinans eſt in caluitie ejus anteriori, ſeu caluitie poſteriori ejus.

(a) Ebræi per album & rufum purpureum ac permixtum colorem ſignificant, qui ex albo & rufo fit, quidam dicunt, luteus.

43. Inſpiciet autem eum Sacerdos, & ſi tumor maculæ albus ſubrufus fuerit in caluitie ejus anteriori, vel poſteriori caluitie ejus, cutiſque carnis fuerit ſecundum aſpectum Lepræ.

44. Is leproſus eſt & immundus, omnino immundum pronuntiabit eum Sacerdos, macula ejus eſt in capite ejus.

38. Vir ſiue mulier, in cujus cute candor apparuerit.

39. Intuebitur eos Sacerdos: ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

40. Vir, de cujus capite capilli fluunt, caluus & mundus eſt.

41. Et ſi à fronte ceciderint pili, recaluaſter & mundus eſt.

42. Sin autem in caluitio ſiue in recaluatione albus vel rufus color fuerit exortus.

43. Et hoc Sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubiè lepræ, quæ orta eſt in caluitio.

44. Quicunque ergo maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis.

Verſibus 38. & 39. quantum ego quidem perſpicio per בֶּהָרֹת בֶּהָרֹת לְבָנֹת *beharoth beharoth lebanoth*, *candores candores albos* intelligi debent Puſtulæ ſiue veſiculæ ſimplices, quales in *Scabie*, item *Variolis*: cuticulam duntaxat eleuant, quæ ſi reddantur כֵּהוֹת *cehoth*, *ſubobſcuræ*, id eſt, in cruſtas vertantur, indicium dant ſanationis proximæ, quapropter Sacerdos hujuſmodi Hominem mundis adnumerare & poterat & debebat. Obſcuræ heic ſunt Verſiones noſtræ, quæ habent *Lentiginem*, *einen weiſſen Grind*. *Lentigo*, φακὸς, *Lenticula*, nobis *Leberflecken*, *Sommerflecken*, eſt quidem etiam Affectus ex cutaneis, maculæ nempe Lentium colore & magnitudine, quibus cutis Soli expoſita conſpergitur, quæ ſanè non poſſunt dici *beharoth beharoth lebanoth*; *der weiſſe Grind*, vocabulum vernaculæ noſtræ, nullius eſt ſignificationis.

Quæ ſequuntur, *Caluitiem* attinent, ſeu Capillorum defectum, qui Græcis dicitur φαλάκρωσις, φαλάκρωμα, μαδάρωσις, μαδαρώτης, μάδισις, & ſine ulcuſculis adeſt, vel cum his. Illam mundam declarabat Legislator, hanc immundam. Ibi clauditur Cutis, cicatrizatione ſanata, ut pili propullulare amplius nequeant: ſed & excidunt ſponte pili poris dilatatis, nutrimenti defectu, graui morbo ſuperato. Quod ſi è contra erodatur Cutis, atque radices pilorum ſuffodiantur, tunc non excidunt duntaxat, ſed eleuant ſeſe tubercula ſcabioſa, leproſa, immunda.

TAB.



LEVITICI Cap. XIII. v. 38-44.
Ulcerosa Cutis asperitas.

III. Buch Moſis Cap. XIII. v. 38-44.
Unreine rauhe Haut.

*H. Sperling sculp.*

RPJCB

RPJCB



LEVITICI Cap. XIII. v. 47- ad fin.
Lepra Veſtium.

III. Buch Moſis Cap. XIII. v. 47-ad fin.
Kleider = Auſſatz.

G. D. Heüman sculps.

# TAB. CCLXXI.

## Leuit. Cap. XIII. verſ. 47. ad fin.

47. Veſtis, in qua fuerit macula Lepræ, ſiue lanea fuerit veſtis, ſiue linea.
48. Siue fuerit in ſtamine vel ſubtegmine lineo aut laneo, ſiue in pelle, ſiue in opere pelliceo.
49. Si, inquam, macula hujusmodi (a) lurida fuerit vel ſubrufa, in veſte aut in pelle, in ſtamine vel ſubtegmine, aut in quocunque Inſtrumento pelliceo, macula Lepræ eſt.

(a) Quidam pro lurida, liuida aut viridis legunt.

50. Sacerdos igitur inſpiciet maculam illam, & includet (eum qui habet) maculam ſeptem diebus.
51. Septimo die inſpiciet Maculam, quæ ſi dilatata fuerit in Veſte, aut in ſtamine, aut ſubtegmine, aut in pelle, aut in quocunque eo, quod conficitur ex pelle, Lepra eſt corrodens, & macula immunda.
52. Comburet itaque Veſtem, aut ſtamen, aut ſubtegmen, ſiue laneum fuerit ſiue lineum, aut quodcunque inſtrumentum pelliceum, in quo fuerit macula, quia Lepra corrodens eſt, igne comburetur.
53. Quod ſi Sacerdos viderit maculam non creuiſſe in veſte, aut in ſtamine, aut ſubtegmine, aut in quocunque inſtrumento pelliceo.
54. Præcipiet Sacerdos, ut lauent id, in quo eſt macula, includetque illud denuo ſeptem diebus.
55. Poſteaquam verò lotum fuerit, inſpiciet Sacerdos maculam ipſam, & ſi macula ſpeciem ſuam non mutauerit, nec ipſa macula creuit, immunda eſt, igne combures eam, corroſio eſt in caluitio occipitis, aut in recaluaſtri loco.

47. Veſtis lanea ſiue linea, quæ lepram habuerit.
48. In ſtamine atque ſubtegmine, aut certè pellis, vel quicquid ex pelle confectum eſt.
49. Si alba vel rufa macula fuerit, infecta lepra reputabitur, oſtenderturque Sacerdoti.
50. Qui conſideratam recludet ſeptem diebus.
51. Et die ſeptimo rurſus aſpiciens, ſi deprehenderit creuiſſe, lepra perſeuerans eſt, pollutum judicabit veſtimentum, & omne in quo fuerit inuenta.
52. Et idcirco comburetur flammis.
53. Quod ſi eam viderit non creuiſſe.
54. Præcipiet, & lauabunt id, in quo lepra eſt, recludetque illud ſeptem diebus aliis.
55. Et cum viderit faciem quidem priſtinam non reuerſam, nec tamen creuiſſe lepram, immundum judicabit, & igne comburet, eo quod infuſa ſit in ſuperficie veſtimenti, vel per totum, lepra.

56. Et ſi viderit Sacerdos maculam obſcuriorem redditam, poſtquam lota eſt, ſcindat eam à Veſte, aut à pelle, aut à ſtamine, aut à ſubtegmine.

57. Et ſi adhuc apparuerit in Veſte, aut in ſtamine, aut ſubtegmine, aut quocunque inſtrumento pelliceo (Lepra) repullulaſcens eſt, Igne exures maculam, quæ eſt in ea.

58. Et veſtis, ſiue ſtamen ſit, ſiue ſubtegmen, ſiue quodcunque inſtrumentum pelliceum, quæ laueris, ſi receſſerit macula ab eis, lauabitur ſecundò, & tunc mundum erit.

59. Iſta eſt Lex Plagæ Lepræ, in Veſte lanea vel linea, ſtamine, vel ſubtegmine, & in omni inſtrumento pelliceo, ad emundandum vel contaminandum ipſum.

56. Sin autem obſcurior fuerit locus lepræ, poſtquam veſtis eſt lota, abrumpet eum, & à ſolido diuidet.

57. Quod ſi ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga: debet igne comburi.

58. Si ceſſauerit, lauabit aqua ea, quæ pura ſunt, ſecundo, & munda erunt.

59. Iſta eſt Lex Lepræ veſtimenti lanei & linei, ſtaminis atque ſubtegminis, omniſque ſupellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

Textus, in quem nunc commentamur, & longus eſt, & clarus, ſed materia ex obſcuriſſimis. Adſunt omnia *Lepræ veſtium* ac *Pannorum* indicia, & tamen fatentur Interpretum doctiſſimi quique, ſe ignorare hunc Morbum. Audi ipſam Clariſſimi *Clerici* confeſſionem. *Nihil quidquam occurrit ſimile, aut adfine, in antiquis Scriptoribus, nec poterant, proprie ſi loquamur, Veſtes, aut muri, ſimili morbo laborare, ac Hominum Cutis.* Addit tamen is, ne nihil dixiſſe videatur, conjecturam, potuiſſe Lepram hanc oriri ab aura quadam peſtilentiali. Prætendunt alii, fuiſſe hanc, imo & alias Lepræ ſpecies, Nationi Judaicæ peculiares, in pœnam datas, imo, quod vult *Maimonides Tr. de Lepra* c. 16. miraculoſas. Proponam & ego, ſalua licet aliorum authoritate, cogitata mea. Voluit DEUS, ut populus ſuus eſſet & moraliter ſanctus, & corpore mundus; præcepit, ut non inquinaretur ulla re immunda, & vel hac ipſa Lege præſeruaretur à morbis variis. Injunxit ea propter, ut caueret ſibi ab omnibus Animalibus immundis, maleſanis, ab omni genere Lepræ, imo fere cutaneorum Affectuum, præprimis ulceroſorum, ne inficeretur per contagium. Nunc pergit Legiſlator ad *Lepram Veſtium*, ſeu laneæ fuerint hæ, ſeu lineæ, ſeu pelliceæ; & mihi quidem videtur hæc ipſa Lex cohærere cum prægreſſa proxime. Leproſi cujuſuis induſia atque veſtes inficiunt æque, mo magis adhuc, quam quoduis aliud cum Leproſis commercium: inficit ſanies illa purulenta pannis adhærere ſolita eos, qui corpora ſua hujusmodi veſtibus induunt, per contactum immediatum, affigit ſe glutinis inſtar, explet filamentorum interſtitia, imo acrimonia ſua ipſam texturam erodit, ut, quod Experientia nos docet, loturam ipſam vix abſque ruptura ſuſtineant, & maculæ ægrè expurgentur. Oſtentant hujusmodi varicolores maculas, flaueſcentes, vireſcentes, rubidas, quarum fit mentio in Textu, non ſolùm induſia *Leproſorum*, ſed quoque *Lue Venerea* infectorum, & *Gonorrhœa* inprimis virulenta laborantium. Voluit proin Legiſlator injungere attentionem ad Veſtes, curam circa eas: Ad quid enim juuiſſet, quæſo, cura Leproſi, ſi veſtes ſanie illa virulenta infectas denuò induiſſet? Imo verò ſollicita hæc Veſtium cura conuenit omni Medico. Si quos curamus Tineâ, eorum abjicimus, & in fruſta diſcindimus, pileos: ſi Lue Venereâ, Induſia: & procuramus noua, ne contactu priorum denuò inficiantur, ſicque patiantur recidiuas. Conjecturam hanc meam doctiorum judicio facilis ſubmitto, quàm & confirmant ea, quæ obſeruamus, tum circa contagium, tum circa curam *Peſtis* præſeruatoriam. Notum quippe, Luem illam ſæuam propagari inprimis per pannos, Lintea, veſtes, proinde ab omnibus Magiſtratibus prohiberi ſollicitè, ne quid vel lanei, vel linei, vel pellicei ex infectis locis aliorſum transferatur, eò quidem usque rigoris, ut ſi Epiſtolæ alicui inclulum

RPJCB



LEVITICI Cap. XIV. v. 4-7.
Leproſorum purgatio.

III. Buch Moſis Cap. XIV. v. 4-7.
Reinigung der Auſſätzigen.

G. D. Heüman sculp.

cluſum ſit vel unicum filum, continens cum contento comburi ſoleat ex præſcripto Sereniſſimæ Reip. Venetæ. Notum item, adhæreſcere ita firmiter Venenum, qualecunque id ſit, peſtilentiale filis & contextis inde pannis, ut Peſtis dudum extincta ex reproducto forte hujusmodi vel panno vel Veſte fuerit paſſim reſuſcitata, nouos de Mortalium familia actura triumphos. Et quod de lotione infectorum pannorum ſeptiduo elapſo repetenda præſcribit Moſaica Lex, adeò cautè obſeruatum fuiſſe recordamur in diriſſima illa Maſſilienſium Peſte, ut omnia lanea, bombycina, ſericea, linea, Aquæ & Lixiuiorum purgationem ante ſuſtinere debuerint, quàm extra limites potuerint deferri, vel uſui adhiberi. Dum hæc ſcribo, obſeruo, *Abarbanelem*, virum ex Judæis doctum, in easdem prope mecum incidere cogitationes, & in ea fuiſſe ſententia, quod incubuerit ſacerdotibus non ſolùm Leproſorum corpora inſpicere, ſed quoque Veſtes, id quod etiam clarum ex ipſo Textu.

V. 55. occurrunt voces בְּקָרַחְתּוֹ אוֹ בְגַבַּחְתּוֹ *bekarachtho o begabbachtho*, quas vertimus, *in caluitio Occipitis aut recaluaſtri loco*, proprie, *in caluitio occipitis ejus, aut in caluitio ſincipitis ejus:* figuratæ ſunt hæ Locutiones, deſumtæ ex caluitie capitis, ſignificantque partes Veſtium depiles: vertendæ autem ſunt adæquatè ad ipſa objecta, & loquendi morem; ad veſtem, ſeu pannum, cujus intelligitur utraque pars, ſuperior & inferior, recta & inuerſa. Nos commodè diceremus, *die rechte oder obere, und letzte oder untere Seite*, Galli, *le droit, & le revers*, v. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 45.

# TAB. CCLXXII.

## Leuit. Cap. XIV. verſ. 4. 5. 6. 7.

4. Præcipiet Sacerdos, ut tollat is, qui mundandus eſt, duas Auiculas viuas & mundas, & Lignum Cedrinum, & Coccum bis tinctum, atque Hyſſopum.
5. Et præcipiet Sacerdos mactari unam Auem, ſuper Aquis viuis.
6. Auiculam verò viuam accipiet cum Ligno cedrino, cocco bis tincto, & Hyſſopo, & intinget ea cum Aue viua in ſanguine Auis jugulatæ ad aquas viuas.
7. Et aſperget ſuper mundandum à Lepra ſepties, & emundabit eum, dimittetque Auem viuam in ſuperficie campi.

Mundabit, id eſt, mundum pronuntiabit, externa ſcilicet ceremonia mundum declarabit, qui prius mundus eſt.

4. Præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque, & hyſſopum.
5. Et unum ex paſſeribus immolari jubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes:
6. Alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco, & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati.
7. Quo aſperget illum, qui mundatus eſt, ſepties, ut jure purgetur, & dimittet paſſerem viuum, ut in agrum auolet.

In Ceremoniali Leproſorum purgatorio jubentur inter alia ſumi *duæ Auiculæ viuæ & mundæ*, δύο ὀρνίθια ζῶντα καθαρὰ. Vocem, quæ in Originali extat, צִפֳּרִים *tſipporim* explicat *Origenes in Leuit. Homil.* 8. per *Gallinas*, & per eas intelligit CHRISTUM, qui & in Euangelio cum Gallina ſe confert. Subſcribit Auctor *Epiſtolæ 39. de diuerſis Leprarum generibus* in Tomo IX. operum *Hieronymi.* Fuit nempe ὀρνίθιον vox Patrum æuo Gallinæ ſynonyma. Anſam opinioni dedit, quod ſcribit *Athenæus* L. IX. c. 4. ubi de Gallinaceo genere. Ἀλλὰ μὴν καὶ ὄρνιθας καὶ ὀρνίθια νῦν μόνον ἡ συνήθεια καλεῖ τὰς θηλείας. *Nunc quidem mos inualuit, ut Gallorum fœminæ ſolum* ὄρνιθες *&* ὀρνίθια *dicantur.*

Genuinus vocis צִפּוֹר *tſippor* ſignificatus eſt tum generalis, tum ſpecialis. Priore ſenſu comprehendit omnis generis *Auiculas*, poſteriori *Paſſeres*. *Schindler in Lex.* צפור *auicula circumuolitans, aut quæ in Aere gyratur. Comprehendit*

*hendit Aues minores, & harum frequentiorem hominibus Paſſerem, Auem communiſſimam. Philo Lib. quis rerum diuinarum ſit hæres. Sepphora* eſt ὀρνίθιον, *Auicula.* Imo *Kimchio* & *Pomario* צפור nomen eſt omni Aui commune. Hoc ſanè ſenſu ſumitur Deut. IV. 17. XIV. 11. XXII. 6. Pſal. VIII. 9. CXLVIII. 10. alibi. Heic tamen *Hieronymus tſippor* reddit per *Paſſerem*, & ſic interpres vetus Pſal. X. 1. LXXXIII. 4. CIII. 16. CXXIII. 7. Græcos ſequutus, qui exponunt per στρουθίον, quæ vox pro Paſſere occurrit, Matth. XII. 29. Luc. XII. 6. Syrus habet *tſipparin*, Arabs *atſaphiro*, *otſphur*; *Meninzki Lex.* habet *usfur.* Plur. *æſafir* p. 3275. *æsfur* p. 2394. & Turcis Paſſer luteus eſt *ſæfaryel* p. 2964. quæ voces omnes noſtræ צפור ſunt affines. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. I. c. 21.

De אֵזוֹב *ezob*, *Hyſſopo*, שְׁנִי תוֹלַעַת *cocco vermiculi*, & עֵץ אֶרֶז *ets erez*, *Ligno cedrino*, actum eſt alibi. τὸ τυπικὸν non mei eſt fori. Placet, Paſſerem jugulatum Typum fuiſſe CHRISTI crucifixi, Paſſerem alterum, qui viuus dimittebatur, ejusdem rediuiui; vel, hunc ſignificaſſe CHRISTI Animam, aut Naturam Diuinam, aut Barrabam, aut Humanum genus Morte CHRISTI ſeruatum. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 54.

# TAB. CCLXXIII.

## Leuit. Cap. XIV. verſ. 10.

Octauo die accipiat duos agnos integros, (a) & ouiculam unam anniculam integram, & tres decimas ſimilaginis pro cibario ſacrificio, quod permixtum ſit oleo, & unum Log Olei.


(a) Integra pecus dicitur, quæ omni vitio caret.

Die octauo aſſumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absque macula, & tres decimas Similæ in ſacrificium, quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei ſextarium.

OCcurrit heic ex Hebræorum menſuris cauis לֹג *log*, *Logus*, ex Rabbinorum traditione $\frac{1}{12}$. Hin, æqualis proin Sextario, item 6. ouorum teſtis. *Eiſenſchmid menſ.* p. 88. reducit ad $28\frac{1}{12}$. pollices cubicos Pariſinos. Ad menſuras Tigurinas reductio facta dat $\frac{19}{54}$. dimidiæ menſuræ ſiue $\frac{38}{54}$. quartæ menſuræ ruralis: $\frac{41}{48}$. quartæ menſuræ urbicæ. Extractio Radicis Cubicæ dat pro latere Cubi τȣ̃ לוג 36. Lineas Pariſin. ſiue 3. poll. & paulò plus. Per tres autem decimas ſimilaginis, quæ pro cibario ſacrificio adhiberi debebant, intelligi debent procul dubio tres decimæ Epha, ſiue tria עֹמֶר *omer.* Hanc in rem vide Comm. ad Exod. XVI. 36. ubi inuenies æquari Homer $202\frac{1}{5}$. poll. cub. Pariſ. proin $\frac{3}{10}$. Ephæ dabunt $606\frac{3}{5}$. Qui in cubi formam redigere cupit quantitatem hanc, inueniet pro latere $8''.\ 5'''$.

Propter ſpatii anguſtiam ſumſi loco 36. Linearum 18. Pariſinas pro latere Cubi.

TAB.




LEVITICI Cap. XIV. v. 10.
Sacrificium Leproſi purgatorium.

III. Buch Moſis Cap. XIV. v. 10.
Reinigungs-Opfer der Auſſätzigen.

G. D. Heüman ſculpſ.

RPJCB

RPJCB



LEVITICI Cap. XIV. v. 34-48.
Lepra ædium.

III. Buch Moſis Cap. XIV. v. 34-48.
Häuſer-Auſſatz.

*G. D. Heüman sculp.*

# TAB. CCLXXIV.

## Leuit. Cap. XIV. verſ. 34 - 48.

34. Quum veneritis in Terram Chanaan, quam ego do vobis poſſidendam, & dedero maculam Lepræ in domo Terræ poſſeſſionis veſtræ.

35. Veniet is, cujus eſt domus, & indicabit Sacerdoti hisce verbis, Quaſi macula (Lepræ) mihi videtur eſſe in domo.

36. Et jubebit Sacerdos, ut domum illam expurgent, priusquam Sacerdos eam ingrediatur, ad inſpiciendam maculam, ne immundum fiat, quidquid eſt in domo illa; poſt hoc debet ingredi Sacerdos ad inſpiciendam domum, & ut inſpiciat maculam.

37. Si macula fuerit in parietibus domus, foueæ ſcilicet luridæ, aut ſubrufæ, & aſpectus earum profundior erit ipſo pariete.

38. Exibit Sacerdos è domo ad oſtium domus, & occludet domum ſeptem diebus.

39. Die ſeptimo reuertetur ſacerdos, & ſi viderit creuiſſe maculam in parietibus domus.

40. Præcipiat Sacerdos, ut eruant Lapides, in quibus eſt macula, & projiciant eos extra ciuitatem ad locum immundum.

41. Et domum illam radant intus circumquaque, effundentque puluerem, quem abraſerint, extra ciuitatem ad locum immundum.

42. Et accipiant lapides alios, quos in locum iſtorum lapidum ſubſtituant, accipiatque alium puluerem, cum quo domui tectorium obducat.

43. Et ſi macula redierit, & pullulauerit in domo, poſtquam eruti fuerint lapides, & poſtquam ab-

34. Cum ingreſſi fueritis Terram Chanaān, quam ego dabo vobis in poſſeſſionem, ſi fuerit plaga lepræ in ædibus.

35. Ibit cujus eſt domus, nuncians ſacerdoti, & dicet: Quaſi plaga Lepræ videtur mihi eſſe in domo mea.

36. At ille præcipiet, ut efferantur uniuerſa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat utrum leproſa ſit, ne immunda fiant omnia, quæ in domo ſunt: intrabitque poſtea, ut conſideret Lepram domus.

37. Et cum viderit in parietibus illius quaſi valliculas pallore ſiue rubore de formes, & humiliores ſuperficie reliqua.

38. Egredietur oſtium domus, & ſtatim claudet illam ſeptem diebus.

39. Reuerſusque die ſeptimo, conſiderabit eam, ſi inuenerit creuiſſe Lepram.

40. Jubebit erui lapides, in quibus lepra eſt, & projici eos extra ciuitatem in locum immundum.

41. Domum autem ipſam radi intrinſecus per circuitum & ſpargi puluerem raſuræ extra urbem in locum immundum.

42. Lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum.

43. Sin autem poſtquam eruti ſunt lapides, & puluis elatus, & alia terra lita.

raſerint domum, atque tectorium abduxerint.

44. Veniet Sacerdos, & ſi viderit creuiſſe maculam in illa domo, Lepra corrodens eſt in illa domo, immunda eſt.

45. Diruet ergo domum illam, lapides ejus, Ligna ejus, & cunctum puluerem illius domus efferet extra ciuitatem ad locum immundum.

46. Et qui ingreſſus fuerit domum illam omnibus diebus, quibus clauſit eam (Sacerdos) immundus erit usque ad veſperam.

47. Qui jacuerit in domo illa, lauabit veſtimenta ſua, & qui comederit in domo illa, eluet veſtimenta ſua.

48. Et ſi Sacerdos venerit, videritque non creuiſſe plagam in domo, poſtquam oblita eſt domus, mundam pronuntiabit Sacerdos domum illam, quoniam ſanata eſt plaga illa.

44. Ingreſſus Sacerdos viderit reuerſam Lepram, & parietes reſperſos maculis, lepra eſt perſeuerans, & immunda domus.

45. Quam ſtatim deſtruent, & lapides ejus ac ligna, atque uniuerſum puluerem projicient extra oppidum in locum immundum.

46. Qui intrauerit domum, quando clauſa eſt, immundus erit usque ad veſperum.

47. Et qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lauabit veſtimenta ſua.

48. Quod ſi introiens Sacerdos viderit lepram non creuiſſe in domo, poſtquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita ſanitate.

SUperat facile hic Textus amplitudinem Commentarii, idque propter ſingularem materiæ raritatem. Morbus eſt deſcribendus, qui neque Homines adoritur, neque Bruta, neque Plantas, ſed corpora Inanimata, Saxa, Lapides, Muros: Debebat DEI Populus non viuere duntaxat juxta Regulas Diæteticæ, veſci cibis ſanis, non ſolùm mundis, nec infectis, indui veſtibus, ſed & inhabitare Ædes puras, ab omni contagio liberas. Ad Diætam namque non pertinent ſoli cibi, ſed & Veſtes, ſed & Ædes. Harum muri integri, è ſaxis integris conſtructi, perpendiculariter erecti, tectorio obducti, non ad decus duntaxat faciunt, & ſtructuræ firmitatem, ſed quoque conducunt ſanitati. Murus à particulis ſalinis, nitroſis, exeſus, ſulphureis inſuper & oleoſis, vel etiam Arſenicalibus eroſus, non ſolùm ruinæ eſt pronus, ſed & maleſanus: conuolat eò quicquid adeſt halituum impurorum, ut ſaxa ipſa veluti ab Herpete aut Carcinomate magis exedantur ac magis, & labes inficiat utenſilia, atque Homines. Exemplo ſunt *Latrinæ*, quarum parietes à ſale Urinæ armoniacali ita ſæpe corroſos videmus, ut duriſſima antea ſaxa tandem collabantur, & digitis confricari poſſint. Saxa noſtra cæmentitia, quæ ſemel à materia quadam ſalina arroſa absque profunda abraſione ſanari nequeunt; quia ſalinæ illæ particulæ Aere inprimis humido ſolutæ continuò pergunt per pororum interſtitia, & arenarum vincula relaxant. Teſtantur, quas de Peſte habemus, Hiſtoriæ, corripere Contagium non Veſtes duntaxat, laneas, lineas, pelliceas, ſed & parietes, muros, horum cauitates & ſcrobiculos, ibique diu reſidere. In *Pauli Warnefridi L. II. de Geſtis Longobardor.* legimus aliquid Lepræ domorum in Textu deſcriptæ haud abſimile. *Narſetis temporibus in Prouincia præcipuè Liguriæ maxima Peſtilentia exorta eſſe dicitur, & ſubito apparuiſſe quædam ſignacula per domos, oſtia, vaſa & Veſtimenta, quæ ſi quis voluiſſet abluere, magis atque magis apparuerint.* Hæc, quæ propoſui hactenus, è gremio Naturæ deduxi, haud ignarus, doctiſſimos fere quoſuis Scripturæ Interpretes ad Miraculum confugere, & pœnam populo DEI peculiarem, quam innuere videtur ipſe Legislator v. 34. *dedero maculam Lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ.* Sed eſt hæc Phraſis Scripturæ ſacræ admodùm familiaris. Dat DEUS, non iners Materia, non Chimærica quædam Natura, pluuiam, Rorem, Grandinem, fœcunda tempora: cur non & Lepram? Illuſtrandæ huic de Domorum Lepra materiæ inſeruit porrò, quod obſeruant Lapicidæ de Carbo-

RPJCB



LEVITICI Cap. XV. v. 2-18.
Purgatio Gonorrhæorum.

III. Buch Moſis Cap. XV. v. 2-18.
Reinigung vom Saamen = Fluß.

G. D. Heüman sculp.

Carbonis foſſilis quodam genere, *Steingalle* vocant, quaſi dicas, Saxorum Fel, ab eo facile ſaxa erodi, nimirum propter Sal Pyritæ, quod minerali huic eſt ut plurimùm ſociatum, Vitriolicum, quod Aere humido ſoluitur.

# TAB. CCLXXV.

## Leuit. Cap. XV. verſ. 2 - 13. 16 - 18.

2. Loquimini ad filios Iſrael, & dicite ad eos: Quicunque fluxum habuerit è carne ſua, fluxu ſuo immundus erit.

3. Hæc vero erit immunditia ejus in fluxu ſuo, ſi caro ejus fluxum ſuum expuit, aut ſi Caro ejus obſtructa fuerit à fluxu ſuo, hæc immunditia ejus eſt.

4. Omne ſtratum, ſuper quo jacuerit ſic fluens, immundum erit, & omnis res, ſuper qua ſederit, immunda eſt.

5. Et quicunque ſtratum ejus tetigerit, lauabit veſtimenta ſua in aquis, & immundus erit usque ad veſperam.

6. Et qui ſederit ſuper aliquo, ſuper quo fluens ſedit, eluet veſtimenta ſua, & lotus Aqua immundus erit usque ad veſperam.

7. Qui tetigerit carnem ejus, qui fluit, eluet veſtimenta ſua, & lauabit Aqua, eritque immundus usque ad veſperam.

8. Et ſi conſpuerit is, qui fluxum habet, in mundum aliquem, eluet ille veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus erit usque ad veſperam.

9. Quicquid ad equitatum aut vecturam pertinet, ſi is qui fluxum habet illud inſcenderit, immundum erit.

10. Et quicunque tetigerit rem quamlibet, quæ ſub eo eſt, immundus erit usque ad veſperam. Et qui geſtauerit ipſa, eluet veſtimenta ſua Aquâ, & immundus erit usque ad veſperam.

2. Loquimini filiis Iſrael, & dicite eis: Vir qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit.

3. Et tunc judicabitur huic vitio ſubjacere, cum per ſingula momenta adhæſerit carni ejus, atque concreuerit fœdus humor.

4. Omne ſtratum, in quo dormierit, immundum erit, & ubicunque ſederit.

5. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lauabit veſtimenta ſua, & ipſe lotus Aqua, immundus erit usque ad veſperum.

6. Si ſederit, ubi ille ſederat, & ipſe lauabit veſtimenta ſua: & lotus aqua immundus erit usque ad veſperum.

7. Qui tetigerit carnem ejus, lauabit veſtimenta ſua: & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

8. Si Saliuam hujuscemodi homo jecerit ſuper eum, qui mundus eſt, lauabit veſtimenta ſua; & lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

9. Sagma ſuper quod ſederit, immundum erit.

10. Et quicquid ſub eo fuerit, qui fluxum ſeminis patitur, pollutum erit usque ad veſperum. Qui portauerit horum aliquid, lauabit veſtimenta: & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

11. Et quemcunque tetigerit is, qui fluxum patitur, & manus ſuas Aquâ non abluit, eluet veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus erit usque ad veſperam.

12. Vas teſtaceum, quod tetigerit fluens, confringetur, & omne vas ligneum Aquâ abluatur.

13. Poſteaquam verò fluens à fluxu ſuo mundatus fuerit, numerabit ſibi ſeptem dies pro ſui emundatione, & lotis veſtimentis ſuis lauabit & carnem ſuam Aquis viuis, & ſic mundus erit.

16. Vir, de quo egreditur projectio Seminis, (a) lauabit totam carnem ſuam Aquâ, & immundus erit usque ad veſperam.

(a) Quidam legunt, ſomniale ſemen: hoc eſt, quod ſomno effluit.

17. Omnis veſtis, atque omnis pellis, in qua fuerit projectio Seminis, eluetur Aqua, & immunda erit usque ad veſperam.

18. Et mulier, cum qua dormierit vir, qui habet projectionem ſeminis, lauabunt (uterque) Aqua, & immundi erunt usque ad veſperam.

11. Omnis quem tetigerit qui talis eſt, non lotis antè manibus, lauabit veſtimenta ſua; & lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

12. Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lauabitur aqua.

13. Si ſanatus fuerit, qui hujuscemodi ſuſtinet paſſionem, numerabit ſeptem dies poſt emundationem ſui: & lotis veſtibus & toto corpore in aquis viuentibus, erit mundus.

16. Vir de quo egredietur ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum, & immundus erit usque ad veſperum.

17. Veſtem & pellem quam habuerit, lauabit aqua, & immunda erit usque ad veſperum.

18. Mulier cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit usque ad veſperum.

Videtur Legiſlator v. 2. loqui de omni *Ulcere* ſeu *Fiſtula* fluente, quia ſimpliciter mentio fit *fluxus è carne.* Verùm ſi attentè inſpiciatur Textus integer, patebit intelligi debere hac Phraſi *fluxum Seminis*, ſiue *Gonorrhœam.* Reddunt equidem & LXX. ῥῦσιν ἐκ τȣ̃ σώματος, ſed Vulgata clarius *fluxum Seminis*, & conueniunt omnes Interpretes, ſignificare בָּשָׂר *baſar* pudenda virilia, uti & Ezech. XXIII. 20. *Deperiit concubitores ſuos, quorum caro Aſinorum caro erat, & fluxus ſeminalis eorum fluxus Equorum. (Et inſaniuit libidine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt ut carnes aſinorum, & ſicut fluxus equorum, fluxus eorum.)* Ubi pro *Carne* adeſt בָּשָׂר. In *Ariſtophane* legitur κρέας μέγα.

Reddebat fœdus hic Morbus, fœdæ libidinis fructus, virum immundum, nec abs re: Semen ipſum, ſed & Liquor ille è Proſtatis fluens, ſeminis vehiculum, ſi contraxerit acrimoniam, ex contagio inprimis impuro, aucta hac acrimonia à particulis ſalſis quibuscunque ex Sanguinis maſſa in has ipſas partes depoſitis, veneni rationem habet, quod & proximum, & proximam, inficere valet. Teſtis eſt, eheu! Experientia, quàm facile ab uno Sexu transeat virus hocce ad alium: imò vel Lecto mediante, quo fortè decubuit Gonorrhœâ laborans. Hodie equidem non ita ſumus, ut Iſraelitæ fuerunt ex mandato DEI, delicati, ut immunditiei notâ afficiatur *omnis res, ſuper qua ſederit (Sic fluens)* v. 4. 6. *quicunque ſtratum ejus tetigerit* v. 5. *qui tetigerit carnem ejus, qui fluit* v. 7. *conſputus.* v. 8. *quidquid ad equitatum aut vecturam pertinet, quod is, qui fluxum habet inſcenderit.* v. 9. qui fuerit duntaxat *tactus* v. 10. *vas omne teſtaceum & ligneum, quod tetigerit fluens.* v. 12. Volebat, ut in omni Lege ceremoniali, ita & heic, docere DEUS populum ſuum, & inſinuare præcautionem ab impuritate quauis, imo vel à ſuſpicione & metu immunditiei. Sed obſeruandum inſuper, hujusmodi Morbos, de quibus heic ſermo, acriores longe eſſe, & virulentos magis, ſuique communicatiuos in Orientalibus illis, quam temperatioribus & Occidentalibus Regionibus: & inde fortè, vel ex parte, arceſſendam *Turcarum* ſummam, imo ſuperſtitioſam prorſus, munditiem, qui tantùm non lotionibus ſæpiſſimè repetitis onerantur, & juxta Mahometis præſcriptum lauari neceſſe habent, ſi vel guttula urinæ cadat.

Duplex

Duplex exprimitur Morbus v. 3. vel duplex ejusdem Morbi facies; *ſi caro fluxum ſuum expuit*, eſt *Gonorrhœa*, quæ ſubdiſtinguitur in *benignam & virulentam*, ſed & alias patitur diſtinctiones, prout vel magis profundè vel minus eſt radicata: *ſi caro obſtructa fuerit à fluxu ſuo*, *Gonorrhœa* vocatur *ſuppreſſa*, quò pertinet ipſa *Hernia ſeminalis*, pejus fluente Gonorrhœâ malum. Pertinebit ad immundos quoque Morbos *Lues* ipſa *Venerea*, *Gallica* dicta, quæ Gonorrhœam indiuulſum habet comitem. Accidit ſæpe Gonorrhœâ laboranti, ut per aliquot dies fluxus ceſſet, rediturus breui, ni ſit curatus radicitus, majori cum impetu. Hinc eſt, quod *fluens, ſi à fluxu ſuo fuerit mundatus, ſeptem dies*, quibus occludi debebat, *numerare* debuerit *pro ſui emundatione* v. 13.

Qui ſtrictas Capitis præſentis Leges ſpeciatim v. 16. & ſeqq. penitius, unam poſt aliam, introſpicit, is facile videt, non duntaxat pro ſcopo habuiſſe Legislatorem externam munditiem, in Orientalibus illis Regionibus apprimè neceſſariam, ſed & internam puritatem, ἁγιασμὸν, abſtinentiam ab operibus carnis, vel moderationem etiam circa licita. Vix ſanè aliter fieri poterat, quàm ut à peccatillis, ſi quæ ſunt in Veneris caſtris, abſtinere debuerit, qui tot lotionibus, ſeparationibus, occluſionibus Lege fuit poſt laſciuas actiones obnoxius. Sanè pudicam, puram, vitam agere debuit, qui honeſtam voluit & ſocialem, & res ſuas agere in commercio. Nam peccati pediſſequa fuit lotio, fuit ſeparatio, fuit ſacrificium. Omnia hæc ſuum poſcebant tempus, moleſtiam habebant comitem, ſæpe tædium.

Separationem quidem non ſemper intelligo à Societate Humana, ſed inprimis, & ſpeciatim, à cultu ſacro. Et per *projectionem Seminis* שִׁכְבַת־זֶרַע *ſchichbath Zæra* v. 16. non tam intelligi debet *pollutio nocturna*, vel *ſomniale ſemen*, quod exprimunt Gloſſæ marginales, vel non ſola, ſed omnis cum muliere coitus, quo projicitur ſemen. Fuerunt ſanè hujusmodi lotiones à coitu uſitatæ etiam Gentibus aliis, præſertim Orientalibus. De *Babyloniis* & *Arabibus* hæc legas apud *Herodotum* L. I. c. 198. Ὁσάκις δ' ἂν μιχθῇ γυναικὶ τῇ ἑωυτοῦ ἀνὴρ Βαβυλώνιος περὶ θυμίαμα καταγιζόμενον ἵζει, ἑτέρωθι δὲ ἡ γυνὴ τ' ὠὐτό τὸ τοῦτο ποιέει. Ὄρθρου δὲ γενομένου, λοῦνται ἀμφότεροι. Ἄγγεος γὰρ οὐδενὸς ἅψονται, πρὶν ἂν λούσωνται. Ταῦτά δε ταῦτα καὶ Ἀράβιον ποιέουσι. Quæ ita reddo. *Vir Babylonius quoties cum uxore ſua coiuerit cunque, thymiama Igni offert in ſacrificium: idem facit & Mulier. Diluculo verò uterque ſe lauant: non enim illis vas aliquod tangere prius licet, quàm loti fuerint. Idem obſeruant Arabes.* Et de *Ægyptiis* idem L. II. c. 64 τὸ μὴ μίσγεσθαι γυναιξὶ ἐν ἱροῖσι, μηδὲ ἀλούτους ἀπὸ γυναικῶν ἐς ἱερὰ εἰσιέναι, οὗτοί εἰσι οἱ πρῶτοι θρησκεύσαντες, quod nemini licitum fuerit *coire in Templo*, *nec Templum ingredi poſt commiſtionem absque lotione.* Mos idem obtinuit quoque apud *Græcos.* Hinc eſt, quod Sacerdotes Ægyptii, inſtantibus inprimis Feſtis ſacris, abſtinere debuerint inter alia & ante omnia, à commiſtione cum mulieribus, πρὸ δὲ πάντων ἀφροδισίων, καὶ ὁμιλίας γυναικείας Ita *Chæremon* apud *Porphyrium* de *Abſtinent.* L. IV. c. 7. De *Græcorum* Ritibus, qui huc pertinent, lege *Joh. Meurſium* in *Eleuſiniis* c. 7. De *Romanis* ita *Tibullus* L. II. *Eleg.* I.

Vos quoque abeſſe procul jubeo (diſcedite ab aris)
Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent Superis, pura cum veſte venite
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Tranſiere forſitan, quod multi volunt, hujusmodi Ritus ab ipſis Judæis ad Gentes. Contrarium prætendit *Clericus*, migraſſe has conſuetudines à Gentilibus ad Judæos, quia hujus generis Purificationes in uſu fuerint etiam ante Legem. Mihi videtur aliquid heic ſeſe immiſcere de ipſo Jure Naturæ, quod puritatem ut morum ita & externam corporis ſuadet. Quidquid ſit, habent inde quod diſcant Chriſtiani, illi inprimis, qui omnis generis immunditie tum morali, tum externa, ſeſe eheu! nimium quantum polluunt, à caſta puritate remoti. Non equidem eſt, quod ſupra jam innui, diffitendum, neceſſariam inprimis fuiſſe & eſſe munditiem, & ſanitati proficuam valde, in Climatibus illis calidioribus Orientis: ſed neque Medicos nos latet, plurimos generari Morbos ab immunditie in caſibus, de quibus nunc agimus.

# TAB. CCLXXVI.

## Leuit. Cap. XV. verſ. 19 - 28.

19. Mulier verò quæ fluxum habuerit, fueritque fluxus ejus ſanguis de carne ejus, manebit ſeptem dies in menſibus ſuis: quicunque eam tetigerit, immundus erit usque ad veſperam.

20. Et omne, ſuper quo illa jacuerit tempore ſeparationis ſuæ, immundum erit, & omne, ſuper quo ſederit, immundum erit.

21. Quicunque tetigerit lectum ejus, eluet veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus erit usque ad veſperam.

22. Et quicunque rem ullam tetigerit, ſuper qua illa ſederit, eluet veſtimenta ſua, lotusque Aquâ immundus erit usque ad veſperam.

23. Et ſi quiſpiam ſtratum, aut inſtrumentum aliquod, tetigerit, ſuper quo illa ſederit, immundus erit usque ad veſperam.

24. Et ſi omnino jacuerit vir cum ea, quæ (a) menſes ſuos habet, immundus erit ſeptem diebus, & omne ſtratum, ſuper quo jacuerit, immundum erit.

(a) Separatio, dies aut tempus ſeparationis, periphraſis eſt menſium muliebrium, nam tum ſeparatæ habitabant.

25. Mulier ſi multis diebus fluxu Sanguinis ſui effluxerit, quum non ſit tempus profluuii ſui, aut ſi fluit ſupra profluuium ſuum, omnes dies fluxus immundi judicentur, quemadmodum dies ſeparationis ſuæ, eritque ipſa immunda.

26. Omne ſtratum, ſuper quo jacuerit omnibus diebus fluxus ſui, ſit ei quemadmodum ſtratum ſeparationis ſuæ, & omne Inſtrumentum, ſuper quo ſederit, immundum erit, quemadmodum immunditia ſeparationis ſuæ.

19. Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxus ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad veſperum.

20. Et locus in quo dormierit vel ſederit diebus ſeparationis ſuæ, polluetur.

21. Qui tetigerit lectum ſuum, lauabit veſtimenta ſua; & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.

22. Omne vas ſuper quod illa ſederit, quisquis attigerit, lauabit veſtimenta ſua; & ipſe lotus aqua, pollutus erit usque ad veſperum.

Hic verſus 23. ex Hebræo deſideratur.

24. Si coierit cum ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus; & omne ſtratum, in quo dormierit polluetur.

25. Mulier quæ patitur multis diebus fluxum ſanguinis, non in tempore menſtruali, vel quæ poſt menſtruum ſanguinem fluere non ceſſat, quamdiu ſubjacet huic paſſioni, immunda erit, quaſi ſit in tempore menſtruo.

26. Omne ſtratum in quo dormierit, & vas in quo ſederit, pollutum erit.

27. Et



LEVITICI Cap. XV. v. 19 - 28.
Purgatio menstruatarum.

III. Buch Moſis Cap. XV. v. 19 - 28.
Monatliche Weiber-Reinigung.

*P. G. Harder sculps.*

RPJCB

JCB




Leviticі Cap. XVII. v. 7.
Τραγο-σατυρολατρεία.

III. Buch Moſis Cap. XVII. v. 7.
Bock-Affen- und Waldgötter-Dienſt.

*I. A. Fridrich sculps.*

27. Et quicunque aliquid iſtorum tetigerit, immundus erit, is eluet veſtimenta ſua, & lotus Aquâ immundus ſit usque ad veſperam.
28. Et ſi fuerit mundata à fluxu ſuo, numerabit ſibi ſeptem dies, deinde mundabitur.

27. Quicunque tetigerit eam, lauabit veſtimenta ſua; & ipſe lotus aqua, immundus erit usque ad veſperum.
28. Si ſteterit ſanguis, & fluere ceſſauerit, numerabit ſeptem dies purificationis ſuæ.

PRætendit *Clericus*, præcepiſſe DEUM onerofis his & aliis hujusmodi Legibus res opinione potius, vel Imaginatione, & conſuetudine, quàm in Natura fundatas, & huc, ſi benè memini, trahit illud Ezech. XX. 25. *Ego dedi eis ſtatuta non bona, & judicia, in quibus non viuent.* Id diffiteri nolim, oneri fuiſſe multa, tot lotiones, mundationes, ſeparationes, ex commercio Hominum excluſiones. Perſuaſiſſimus tamen ſum, ſcopum ex parte Legislatoris fuiſſe optimum, ſanctiſſimum, ſanitati & corporis & Animæ maximè proficuum. Erat peculium illud DEI non ſolùm ad Idololatriam, ſed & Laſciuiam, & omnis generis ἁμαρτήματα τῆς σαρκὸς pronum, nec aliter niſi rigore Legum frænari poterat, & in Rationis gyrum cogi. Et inficiari nemo poteſt, qui vel naturam rei ſubjectæ inſpicit, vel ad Climatis feruorem attendit, vixiſſe eò ſaniores, qui ſeſe ſubjecerant Legibus hoc ipſo Textu expreſſis, ab impuritatibus peccaminoſis remotiores, vixiſſe vitam honeſtam, ſocialem, DEO gratam. De Sanguine quouis extrauaſato, nemo non nouit, mox fermentari, putreſcere, mulieri eſſe oneri, viro præjudicio, utrique accerſere moleſtias & morbos, unde vel jure, ſeu inſtinctu Naturæ, Gentes non ſolùm moratiores, ſed quoque barbaras, videmus Legum heic præſcriptarum, ſaltem ex tanto, obſeruantes. Multa quidem circumferuntur de deleteria Menſtruorum qualitate, quæ plus in Imaginatione conſiſtunt, quàm in re. Sed ſunt alia, quibus fides negari non poteſt. Et ipſæ menſtruatæ non tractant facilè res fermentationi obnoxias. Audiamus *Plinium* L. VII. c. 15. *Nihil facile reperiatur mulierum profluuio magis monſtrificum. Aceſcunt ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina, & fructus Arborum, quibus inſedere, decidunt. Speculorum fulgor aſpectu ipſo hebetatur, acies Ferri præſtringitur, eborisque nitor: aluei apum emoriuntur: Æs etiam ac Ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus; & in rabiem aguntur guſtatu Canes, atque inſanabili veneno morſus inficitur. Quin & bituminum ſequax alioquin ac lenta natura in Lacu Judææ, qui vocatur Asphaltites certo tempore Anni ſupernatans, non quit ſibi auelli ad omnem contactum adhærens, præterquam filo, quod tale virus infecerit. Etiam Formicis, Animali minimo, ineſſe ſenſum ejus ferunt, abjicique guſtatas fruges, nec poſtea repeti.* Inde inprimis factum puto, quod Alpicolæ ad τυροποίησιν aliaque Lactaria opera non admittant niſi noſtri Sexus Homines remoto ſequiori.

# TAB. CCLXXVII.

## Leuit. Cap. XVII. verſ. 7.

Nec ultra ſacrificent ſacrificia ſua Satyris, (a) poſt quos ſcortati ſunt —

(a) Seirim piloſi ſunt & capri; quales Satyros fingunt: intelligit autem Dæmones, qui iſtis ſpeciebus illuſerunt Hominibus, & quos in ſyluis ac nemoribus coluerunt.

Et nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus cum quibus fornicati ſunt —

ESt vox שָׂעִיר *ſair*, P. שְׂעִירִים *ſeirim*, πολύσημος. In Hiſtoria Naturali notat ex piloſis Animalibus, ſeu pilis horridis (à שָׂעַר *ſaar, horrere, horreſcere*) *Hircum.* Hunc *Ægyptios* coluiſſe forte & Iſraelitas in caſtris, certum. En de Ægyptiis teſtimonia! *Herodot.* L. II. c. 46. Σέβονται δὲ πάντες τὰς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τοὺς ἔρσενας τῶν θηλέων. *Omnes autem Capras Mendeſii colunt, ſed mares plus quàm fœminas. Diodor.* L. I. p. 55. τὸν δὲ τράγον ἀπεθέωσαν, καθάπερ καὶ περὶ τοῖς ἕλλησι τετιμῆσθαι λέγουσι τὸν Πρίαπον, διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον *Hir-*

*Hircum autem deificarunt, ut apud Græcos Priapum coli dicunt, propter genitalem partem. Strabo* L. XVII. *Mendes ubi Panem colunt & viuum Hircum.* Imo Μένδης, *Mendes* & Oppidum, & Hircum, & Pana ſignificat. Eò autem progreſſa fuit Ægyptiorum impuriſſima libido, ſeu Fornicatio, ut & Mulieres Hircis ſacris ſe ſubmiſerint. *Pindarus.*

Μένδητα παρὰ Κρημνὸν θαλάσσης,
Νείλȣ κέρας, αἰγίβατοι
Ὅθι τράγοι γυναιξὶ μίσγονται.

Quod *Pindari* teſtimonium allegant *Strabo* & *Ælianus Hiſt.* L. VII. c. 19. Et fuit *Herodotus* impuriſſimæ hujus commiſtionis αὐτόπτης. In Hieroglyphicis frequens admodum Hircinum caput vel baculo, vel Aræ impoſitum, Fig. A. Ita fuit *Aſima Emathitarum* ſiue *Samaritanorum* Idolum Hirci figurâ effigiatum, τραγολατρία ab Ægyptiis ad Gentem illam translatâ. *Kircher. Oedip. Ægypt.* I. p. 369. *Baccho* caper omnibus Aris cæditur, & Veteres ineunt proſcenia Ludi. Quin & *Venus* πανδήμιος Hirco inſidet, *Scopæ* ſtatuarii opus apud *Pauſaniam Eliac.* II. ἐπιτραγία hinc *Plutarcho* in *Parallelis* cognominata. *Capram Ægyptiacam* in Jaſpide ſiſtit *Leon. Agoſtino Gemm. antich.* 177. Fig. B. *Venerem marinam* in Lazuli Lapide Caprâ vectam Id. P. II. T. 19. *Capram Junoni* Sacram à Victimario Aræ adductam exhibet Fig. C. in Numo *Pomponiæ Familiæ. Capram Vejoui* Sacram Fig. D. cui puerulus inſidet, cum Dioſcurorum pileis in Familia *Fonteja.* Aſpici quoque meretur Fig. E. Numus *Lucretiæ* Familiæ, ubi caput Junonis Deæ caprotinæ pelle amictum, & ex auerſa Columna inter duas Capras, ſupra quam figura ſtans dextrâ haſtam. Sed & datur in *Indiæ* Montibus, in *Africa*, item intra *Sierram Lionam* & *Promontorium Montis* aliud Animal *Orang-Outang* dictum, cujus quoque memini in Eſaui Hiſtoria, quod cum *Faunis* illis *Satyrisque* Veterum magis conuenit, quàm *Hircus*, imo & cum Textu noſtro propter laſciuiam, deſcriptum amplius & depictum in *Tulpii Obſ. Med.* L. III. c. 56. qui & Loca Sacra, quibus τῶν שְׂעִירִים mentio fit, ei applicat. Sanè apud *Juuenalem Sat.* 15.

Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Et in India Orientali *Simiarum* λατρείαν familiarem oſtendit *Andr. Bajerus* ad *Selden. de Diis Syris* p. 306.

Prohibet namque Legislator nomine שְׂעִירִים hirciformes omnes Imagines, quas colebant Ægyptii, *Panem*, quem pinxere τραγοπρόσωπον, καὶ τραγοσκέλεα, caprina facie, hircinis cruribus, ut legimus in *Herodoto*: *Jouem* Thebanum Κριοπρόσωπον arietina facie: *Anubin* caninâ: *Bubaſtin* ſiue *Dianam* felinâ. Hujusmodi Idola haud dubiè intellexerunt LXX. qui ita vertunt noſtrum Textum, ȣ̓ θύσȣσιν ἔτι τὰς θυσίας αὐτῶν τοῖς ματαίοις, vanis, i. e. Idolis, eſt ſanè nihil, ȣ̓δὲν, εἴδωλον ἐν κόσμῳ 1. Cor. VIII. 4. & Act. XIV. 15. ἀπὸ τῶν ματαίων ἐπιςρέφειν eſt, *conuerti ab Idolis.* Etiam 2. Par. XI. 5. in Græca Verſione legitur, Jeroboamum Sacerdotes excelſorum conſtituiſſe τοῖς εἰδώλοις καὶ τοῖς ματαίοις.

Imo & ſunt שְׂעִירִים ipſi *Dæmones*, culti in Idolis. Ita intelligunt Chaldæi, Syrus, Arabs uterque, *Hieronymus*, Hebræi omnes. Ita quoque Jeſ. XIII. 21. XXXIV. 14. Iidem ſunt *Aquilæ* τριχιῶντες. *Procopius.* τȣ́τȣς δὲ φασι τριχιῶντας Ἀκύλας ὠνόμασε, δηλῶν κάθυλον, καὶ ἐσκοτισμένον δαίμονα. Antiquiſſimis temporibus creditum, comparere Dæmones Hircorum ſpecie, & Satyrorum, & creditur adhuc, ſaltem à ſuperſtitioſo populo. Fortè & priſci Patres, ut Panum, Faunorum, Satyrorum cultum Neochriſtianis tantò confidentius diſſuaderent, Dæmonum eſſe illum eò fortius & frequentius inculcarunt.

Rectè proin שְׂעִירִים *Satyros* vertit Latina noſtra: ſiue intelligas naturales illos in India frequentes, proteruos adeò & ſalaces, ut mulieres ſaltus adeuntes haud rarò inſultent, ſiue Dæmones illorum forma apparentes. De illis legas apud *Plinium* L. VII. c. 3. *Animal eſſe quadrupes, in ſubſolanis Indorum montibus, perniciſſimum, humana effigie, ſed pedibus caprinis, toto corpore villoſum. Nihil habens moris humani, gaudens ſyluarum latebris, fugiens Hominum commercia.* In qua deſcriptione ſunt quidem nonnulla, quæ merentur correctionem.

TAB.

RPJCB



LEVITICI Cap. XIX. v. 19.
Ετεροζυγία prohibita.

III. Buch Moſis Cap. XIX. v. 19.
Ungleich = artige Vermiſchung.

I. A. Friderich sculp.

# TAB. CCLXXVIII.

## Leuit. Cap. XIX. verſ. 19.

—— Ne facias coire jumentum tuum mixtim, neque agrum tuum mixtim ſeras, veſteque ex Lana & Lino contexta (a) ne induaris.

(a) Non aſcendat ſuper te. Ebr.

Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non ſeres diuerſo ſemine. Veſte, quæ ex duobus texta eſt, non indueris.

QUodſi ad Literam intelligenda ſit hæc Lex, prohibita Judæis fuit Mulorum propagatio, Phaſeolorum & Braſſicæ in eadem Horti areola cultura, neque tolerari potuiſſet frequens hodie Pannorum ſemilaneorum & ſemilineorum fabrica. Hebræum כִּלְאָיִם *Cilbaim*, Græci vertunt ἑτερόζογον, *alterijuge*, *Hieronymus alterius generis Animantia*, Arabs uterque *duas ſpecies*: noſtra Verſio *mixtim*, quæ Syriacæ congruit, ſi nimirum duæ ſpecies in coitu miſceantur. Ita occurrit apud *Virgilium* L. VII. *Æneid.*

*Miſta Deo mulier* ——

Apud Judæos vapulabat non ſolùm, qui duplicis generis Animalia, ſeu domeſtica, ſeu fera, commiſit, ſed qui duntaxat prouocauit marem ad conſcendendam fœminam. Qui tamen videbat, in eodem ſtabulo, quo licebat ſimul claudere heterogenea, ea concumbere, non tenebatur illa ſeparare. Si mundus fuit uterque parens, licitus erat progeniti eſus. Applicatiua erat Lex non ſolùm ad ſpecies, ſed & ad Genera. Sic ex Canino non licebat Lupum miſcere cum Cane, ex Caprino Capreæ marem cum Capra, Equum cum Mula, Mulum cum Aſina, Aſinum cum Onagro. Sed quidem in eadem ſpecie licuit Bouem domeſticum committere cum fero. Plura & alia hujus generis habet R. *Moſes* in Tract. *Cilaim* c. 9. *Maimonides* Libri *Jad.* Tom. III. f. 72. 73. R. *Iſaac* in *Ammude gola* c. 163. *Philo Lib. de ſpecialibus Legibus*, qui inter alia. τράγον ὀδεὶς, &c. *Hircum nullus paſtor Judæus ſinet in ouem ſcandere, neque Bouem in Equam: aut ſi fecerit, dabit pœnas.* —— *Mulos jumentis omnibus quidam præferunt, quod benè compacta neruoſaque habeant corpora. Et in Equorum paſcuis ſtabuliſque Aſinos prægrandes alunt, quos Celones, id eſt, admiſſarios vocant, ut Equas ineant. Illæ autem mixtum Animal, mulum ſcilicet, pariunt, cujus genituram Naturæ contrariam eſſe cum ſciret Moſes, penitus interdixit.* Falluntur proin *Liranus*, *Cajetanus*, alii, qui Interdictum hoc ad literam intelligi negant.

De cauſis & ſcopo Mandati hujus prohibitorii non eadem omnibus mens eſt. Ad τὸ παρὰ φύσιν prouocat *Philo*, quæ expreſſio ambiguitate ſua haud caret. Si intelligas, præter ordinarium Naturæ morem ac conſuetudinem, admitti poteſt. Sunt quippe raræ ambigenæ commixtiones; nec frequentiores quàm inter Equos & Aſinas. Si dixeris, tranſcendere prorſus Naturæ ordinem, altè nimis euolas. Nam & hujus generis Generationes ſubſunt Naturæ Legibus, à DEO in Mundum introductis. Et conſequentiam nimiùm extendit R. *Menachem* in Leuit. tantùm non læſæ Majeſtatis reos pronuntians eos, qui hujuſmodi commiſtiones admittunt. *Si quis heterogeneorum generationem procurat, idem eſt ac ſi crederet, DEUM ſanctum benedictum non perfeciſſe quidquid neceſſe eſt, adeoque plures vellet Creaturas addere, atque ipſi adeſſe in Mundi Creatione.* —— *Qui mutat ſpecies, & miſcet heterogenea, Regii Numiſmatis typum adulterat.*

Morales cauſas, imo myſticas & Typicas, producunt alii. Deterreri Homines à promiſcuo & illicito concubitu; ὁμιλίᾳ ἐκνόμῳ vel ἐκθέσμῳ, juxta *Philonem*, παρανόμῃ μίξει, illegitima commixtione, juxta *Theodoretum Qu.* 27. *in Lev.* etiam fidelium cum infidelibus. Ita Apoſtolus 2. Cor. VI. 14. μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίςοις. *Heſychius*, ne Circumciſionem ſimul & Baptiſma ſectentur fideles. Allegorias alias formant alii, nam ἀλληγορηφίλοις nullus eſt Allegoriarum finis.

Prætendit *Spencer Leg. Moſ. Ritual.* L. II. c. 20. vetari duntaxat hac Lege Judæis conjunctionem Aſinini & buceri generis in Agricultura, uti Deut. XXII. 10. *Non arabis cum Boue & Aſino ſimul.* Sed & cultum Veneris & Priapi, omne genus inhoneſti, Dæmonis cultum, Idololatrarum morem, qui ſoliti fuerint ſub certis conſtellationibus conjungere Animalia diuerſorum generum. Refutat eum *Clericus Comm. in Lev.* qui Symbolica hac Lege vetari vult nefandos concubitus, & connubia

bia cum Idololatris, & objectiones, quæ contra explicationem hanc produci poſſent, diluit. Sed vidimus ſupra, non merè fuiſſe ſymbolicam hanc Legem, ſed quoque ad Literam debuiſſe obſeruari.

*Neque agrum tuum mixtim ſeras.* Sunt heic rurſus Phyſicorum qualeſcunque rationes friuolæ nimis, quàm ut ſatisfacere queant ex omni parte. Sunt equidem Plantæ, quæ in eodem ſolo juxta inuicem cultæ non lætè creſcunt, ut una alteram antipathico velut odio deſtruat: Sunt è contra aliæ, quæ velut ſympathico amore fauſto omine ſurgunt ſociæ. Braſſicam ſanè non in conſortio fert Vitis, quia illa ob pororum laxitatem omne huic alimentum ſurripit. Et adeò ſæpe ſcrupuloſi ſunt noſtrates, ut non ſolùm Braſſicam, ſed quoque Phaſeolos, Piſa, Olera alia & Legumina vineis excludant. Sed multum hac in re pendet à ſoli bonitate: ubi præpingue id eſt, vel etiam fimo probè ſaturatum, nil impedit, quò minus inter Vites aliæ Plantæ coli poſſint: id eſt, quod videre licet in Valle Tellina, Italia, Prouincia, Linguedocia. Opponit heic rurſus *Spencerus* hanc Legem conſuetudini Idololatrarum, qui Semina miſta Numinibus variis conſecrarint, uberiores inde ſegetes expectantes. Ita dicuntur *Zabii* ſeuiſſe ſimul *Hordeum* & *Uuas paſſas*, fortè in honorem *Cereris* & *Bacchi.* v. *Maimonid. More Neuoch.* P. III. c. 37. Sed idem fortè abſque ſuperſtitione fecere Zabii, quod hodie faciunt Galli & Itali. Propterea recurrit heic rurſus *Clericus* ad ſignificationem ſymbolicam, commercii euitationem cum alienigenis Idololatris.

Minus adhuc inuenit quod dicat Philoſophia Naturalis *de veſte ex Lana & Lino contexta* שַׁעַטְנֵז *Schaatnez*, nempe *ex Lana & Lino ſimul*, ut explicat Moſes Deut. XXII. 11. cujus nempe ſtamen ſit lineum, ſubtegmen laneum, vel vice verſa. Vertunt LXX. κίβδηλον, quod propriè notat Numum ſubæratum, ubi Æs argenteâ lamina eſt tectum. *Quæ res* (inquit *Clericus* in *Comm.*) *per ſe neque laudis neque vituperii capax eſt, ſed etiam ex uſu Pontificis maximi, qui Veſtes ex Lana, Lino & Auro miſtas gerebat.* Hinc de hac noſtra Lege ita *Joſephus* L IV. c. 8. μηδεὶς δ' ἐξ ὑμῶν κλωστὴν ἐξ ἐρίου καὶ λίνου στολὴν φορείτω, τοῖς γὰρ ἱερεῦσι μόνοις ταύτην ἀποδεδεῖχθαι. *Nemo ex vobis textam ex Lana & Lino ſtolam gerat, Solis enim Sacerdotibus eſt conceſſa.*

Hanc Materiam non ante dimitto, quàm Lectori notam reddam *Theodori Batti Diſſertationem de modis ſeminandi diuerſa Semina Hebræorum veterum ad illuſtranda commata Leuit.* XIX. 19. *Deut.* XXII. 9. Præſ. *Theod. Daſſouio* Witemb. 1695. 4. imò & ſuccum extraham. Diſpeſcebant Judæi *ſemina* in tres præcipue Claſſes. 1. *Tebbua*, *ſemina prouentus*, Tritici, Speltæ, Hordei, Auenæ, Secalis, verbo, Frumentorum. 2. Semina *Leguminum*, Phaſeoli, Piſi, Lentium, Oryzæ, Milii, Cicerum, Papaueris; ubi notandum, Oryzam & Milium potiori jure potuiſſe adjici primæ Claſſi, Papauer tertiæ. 3. Semina *Hortenſium*, Cepæ, Porri, Allii, Fœniculi, Rapi. כִּלְאַיִם vocabant, ubi vel diuerſarum Claſſium ſemina mixtim fuerunt Terræ tradita, vel non in diſtantia ſufficienti locata, ut una Planta alteri potuerit alimentum ſubtrahere. Si fortè caſu Semina fuere inuicem mixta, debebat unum genus ab altero ſeparari, ut illius vix remanſerit $\frac{1}{24}$. Hoc ſi effectui fuit datum, liberabat Hominem à transgreſſione Legis. Sed quoque attendi debebat certa & ſufficiens Seminum diuerſi generis ab inuicem diſtantia, in Agro 10. ulnarum undique, in Horto 6. Palmorum. Nec poterat ſeries Cucumerum poni juxta ſeriem Cucurbitarum, ſed debebant poni binæ Cucumerum ſeries, ac Cucurbitas inter & Cucumeres foſſula duci. Patebit id luculentius ex adjectis figuris.

# TAB. CCLXXIX.

Fig. A. Primus modus ex licitis, quo exhibentur 4. genera Seminum in ambitu, & quintum in medio.

Fig. B. Secundus exhibet nouem diuerſa Seminum genera, quorum ſingula ab inuicem diſtant $1\frac{1}{2}$. palmo.

Fig. C. Tertius, quo 13. ſiſtuntur Semina, ſingula $1\frac{1}{2}$. palmi diſtantiâ.

Fig. D. Quartus ex licitis, qui oſtendit 18. diuerſa ſemina, ſingula $1\frac{1}{2}$. palmi diſtantiâ.


Fig. E. Primus modus ex illicitis, Cilajim, ſi duo Seminum genera ſibi inuicem prope nimis erant adſita, commutandus facile in licitum per intermediam foſſulam.

Fig. F. Secundus repræſentat 5. diuerſa Semina, ultra lineam protenſa.

Fig. G. Tertius viſui offert 9. diuerſa Semina non $1\frac{1}{2}$. palmum ab inuicem diſtantia.

Fig. H. Quartus ex prohibitis, rurſus ſiſtit 9. diuerſa Semina ſpatio 28. Palmorum quadratorum Terræ condita, quæ juxta Legem includi debebant 27.

TAB.




LEVITICI Cap. XIX. v. 19.
Σποϱος licitus et prohibitus.

III. Buch Moſis Cap. XIX. v. 19.
Erlaubtes und verbottenes Säen.

*I. Stridbeck sculps.*

RPJCB

RPJCB

TAB. CCLXXX.



LEVITICI Cap. XIX. v. 35. 36.
Suum cuique.

III. Buch Moſis Cap. XIX. v. 35. 36.
Einem jeden das Seine.

*I. A. Friderich sculp.*

RPJCB



LEVITICI Cap. XXI. v. 18. 19. 20.
Sacerdotii incapaces.

III. Buch Moſis Cap. XXI. v. 18. 19. 20.
Untüchtige Prieſter.

*C. Sperlingin sculp.*

# TAB. CCLXXX.

## Leuit. Cap. XIX. verſ. 35. 36.

35. Ne feceritis quidpiam iniqui in judicio, in dimenſione, in pondere, & in menſura.
36. Bilanx juſta, Lapides juſti, Epha juſtum, & Hin juſtum ſit vobis. —

35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura.
36. Statera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, æquusque ſextarius: —

PRæcipit id DEUS, qui omnia fecit in Mundo certo Pondere, Numero, Menſura, & hoc ipſo ordine conſeruat, ut pro conſeruatione Societatis ſit certa in Commerciis norma, ſicque in emptione, venditione, permutatione, contractu omni cuilibet adjudicetur, quod ſuum eſt: Societas humana formatur ita ad regulam Rei illius publicæ totius Mundi. Ingreditur talis modi conſtitutio pomœria ipſius Juris Naturæ, ut vix offendas barbaram Gentem, quæ illa careat. Eſt מִדָּה *middah*, dimenſio, menſio, menſuratio, quæ fit pede, ulnâ, palmo, Geometriæ objectum: ſic menſurare ſolemus Agros Pannos, Lineas, Superficies, Corpora: מִשְׁקָל *miſchkal* pondus, pro examine rerum grauium: מְשׂוּרָה *meſurah* menſura caua tum pro ſiccis, tum pro fluidis, quâ metiri ſolemus Liquores, Vinum, Oleum, Frumentum, Legumina. Sunt hi termini generales, ſpeciales ſunt אֲבָנִים *abanim*, quæ vox propriè notat *Lapides*, forſan quòd cæſis Lapidibus ponderum loco uterentur. Eodem ſenſu nos ponderum exemplaria vocamus *Stein*, *Pfund-Stein*, *Lapides* quoque habet Latina, *Pfund* vernacula noſtra. Sequuntur הִין *Hin* & אֵיפָה *Ephah* menſuræ binæ determinatæ magnitudinis, prior pro fluidis, poſterior pro aridis, de quibus alibi.

# TAB. CCLXXXI.

## Leuit. Cap. XXI. verſ. 18. 19. 20.

18. Quicunque vitium habuerit, non debet appropinquare, ſi videlicet ſit cœcus, aut claudus, aut Naſum habens depreſſum, aut ſi monſtroſus ſit membris.
19. Aut qui contritum habet Pedem, aut Manum confractam.
20. Aut gibboſus (a), aut minutus (b), aut vitiato oculo, qui ſcabiem habet purulentam, aut aridam mordicantem, aut qui eſt teſticulo obligato. (c)

(a) Pro gibboſo quidam legunt, qui habet ſupercilia coeuntia. Gab enim ſupercilium ſignificat etiam.
(b) Pro Dak minuto quidam legunt pellem in oculo habens.
(c) Hernioſi aut rupti obligatos habent teſticulos.

18. Nec accedet ad miniſterium ejus: ſi cœcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo vel grandi vel torto naſo.
19. Si fracto pede, ſi manu.
20. Si gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel hernioſus.

Conueniebat inprimis Cultui Veteris Teſtamenti, ut mundities externa in rebus ipſis, ita grauitas in perſonis adminiſtrantibus, ne fortè horum vitio caderet in deſpectum ipſe Cultus divinus. Solet autem inprimis Plebs pro imaginario ſuo conceptu affici magis rebus, quæ in oculos incurrunt, quàm interna rei ipſius eſſentia. Hinc eſt, quod adhuc obtineant Leges non ſolùm circa pretioſum ornatum, ſed & Sacerdotum ac Monachorum ſanam conſtitutionem, à deformitate etiam alienam in Eccleſia Romano-Catholica. Imo verò offendimus hujus generis Ritus & Præcepta apud Gentes. Apud *Athenienſes* Lex fuit, θαλλοφόρους τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγεσθαι, *Senes Mineruæ Oleæ ramum Panathenæis geſtantes formoſos eligi.* Extat ea in *Xenophontis Sympoſio.* Alia Lex Sacerdotes integro corpore eſſe volebat. Auctor *Etymologici Magni* voce ἀφελής. ὁ ὑγιὴς τὸ σῶμα καὶ ὁλόκληρος. οὕτω παρὰ Ἀθηναίοις. *Sanus corpore & integer. Sic apud Athenienſes.* Deinde, οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο Ἀθήνηθεν, εἰ ἀφελεῖς καὶ ὁλόκληροι. *Reges* (Sacrorum cauſa creati) *& Sacerdotes examinabantur Athenis: num ſani eſſent & integro corpore.* Exin lucem accendit *Clericus Joſepho* L. III. c. 10. ubi ait, DEUM juſſiſſe *Sacerdotes* ἀφελεῖς εἶναι πᾶσαν ἀφέλειαν, *ſano prorſus corpore eſſe*, quibus opponit τοὺς μὴ ὁλοκλήρους. Et ſanè videtur Lex ipſa Naturæ præſcribere integritatem Corporis, ne deſpectui ſit ipſius cultus ſacri externa deformitas.

Sed videamus ſingillatim vitia illa Corporis, quæ Virum excludebant à Sacerdotio; quæ quidem aliàs non omnia ex æquo videntur excluſiuam dare: ſanè jure potiori arcetur עִוֵּר *Iuver* quàm פִּסֵּחַ *piſſeach, cœcus* quàm *claudus*, quia ille priuatur beneficio Senſus ad functiones obeundas abſolute neceſſarii, hic non eſt niſi deformis. חָרֻם *Charym*, LXX. vertunt Κολοβόριν, Vulgata *naſo paruo vel grandi*, Nos *Naſum habens depreſſum*, *Clericus Naſo mutilum*, Talmudici ſimum, hinc Romanis *Simia* à *Simitate.* Hebrææ voci affinis eſt Græca ἄριμος; *Heſychius* ἄριμος, πίθηκος. Quod vocabulum à Tuſcis deriuat *Strabo* L. XIII. τοὺς πιθήκους φασὶ παρὰ τοῖς τυῤῥηνοῖς ἀρίμους καλεῖσθαι. *Onkelos* habet חָרִים. Κολόβοριν, τῶν LXX. manifeſtè notat narem mutilum, κολώβωμα τοῦ ῥινός. שָׂרוּעַ *Sarua* LXX. ὠτότμητος, i. q. *aurem ſectam habens.* Vulgata, *torto naſo. Jonathan, cui luxatum eſt Femur. Clericus*, aliqua redundantia inſignis, quod ipſi videatur opponi voci חָרֻם, & quia varia deriuata Arabicæ radicis שרע res prælongas denotent, ut proin pertineat tum hæc vox, tum præcedens non ad Membrum aliquod ſpeciale, ſed in genere ad membra corporis vel exceſſu vel defectu deformia. Sic ſentit quoque utraque Tigurina de voce שָׂרוּעַ quam reddit, *monſtroſus membris, Glieder die ſich nicht ſchiken.* Etiam *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 46. ubi recenſet Ouium vitia, שָׂרוּעַ eſt Animal, cùm è partibus, quæ geminæ ſunt una eſt alterâ longior & extenſior.

v. 19. Excluſis accenſetur, qui *contritum habet pedem*, aut *manum confractam.* Exiſtimauerim heic, non tam intelligi Fracturam ſimplicem benè reſtitutam, & callo mediante ita ſolidatam, ut corporis inde nihil decedat vel formoſitati, vel robori: ſed Fracturam talem, quæ facta fuit cum contuſione, & ſubſequam habuit deformitatem, vel membri diſtortum ſitum, vel decurtationem, vel Fiſtulas, vel Cariem: hinc emphatica magis mihi videtur noſtra utraque Verſio, quæ habet *contritum pedem, manum confractam, einen zerbrochenen Fuſs oder Hand*, quàm *Clerici*, qui ſimpliciter habet *Pedem fractum*, aut *manum fractam.*

Reliqua Vitia recenſentur v. 20. גִבֵּן *gibben*, LXX. Κυρτὸς, Vulgata *gibbus.* Onkelos גִּבִּין *gibin*, Samaritanis גִּבִּי *gebi.* Obſcura eſt Chaldæorum quorundam Paraphraſis, *cujus palpebræ tegunt oculos.* Stamus pro *Gibboſitate*, vitio, quod incurrit in oculos, deſpectui exponit Hominem, imo gibboſo ipſi multum demit de ſuis viribus, ad cultum Leuiticum neceſſariis, ſæpe etiam Reſpirationem reddit difficilem. דַק *dak* LXX. ἔφηλος, qui ἐφηλίδας, *maculas habet in facie*, Vulgata *Lippus*, quaſi legiſſet רַק *rak.* Onkelos דוקא Samar. ננים *nanus.* Chaldæi nonnulli, *cui non ſunt pili in palpebris.* Sed propriè דַק notat *minutum*, quo Vocabulo utitur quoque Latina, aliis *tenuem & macilentum*, ut intelligitur Homo tantæ gracilitatis, quam propter deformis ſit, aut infirmus viribus. Ita ſumit *Clericus*, & Vernacula noſtra exprimit per vocem *rahn.* Starem ego potius pro *nano*, pygmæo, exiguæ ſtaturæ Homine, graciles ſanè & macilenti, ſi cætera benè ſint conſtituti, non recenſentur inter deformes, & functiones ſuas faciliùs longè obeunt, quàm obeſi, ventricoſi.

Sequitur תְּבַלֻּל בְּעֵינוֹ *theballyl beeno*, LXX. Πτίλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς, *Hieron. albuginem habens in oculo*, noſtræ verſiones, *vitiato oculo, der ein Fell auf dem Aug hat*, Onkelos חִילִין *Chiliz*, alii Chaldæi חילזין *Chilzin ſuffuſionem* interpretantur. A Chaldaico forſan eſt Græcorum χάλαζα, χαλάζιον, quod *Ægineta* definit ἄργου ὑγροῦ σύστασιν κατὰ τὸ βλέφαρον, *concretionem lenti aut albi humoris in palpebra: Galenus* in *Definitionibus* περιφερῆ τινα ἔνδοθεν τοῦ βλεφάρου ἐπάρματα γεγραμμένα, ἐοικότα τῇ χαλάζῃ, *rotunda quædam tubercula in interiori parte palpebræ impreſſa, Grandini ſimilia. Celſus vitium in Palpebris, quod digito mobile huc vel illuc impellitur, non diſſimile illi, quem* κριθὴν *vocant.* Intelligendum putem non tam ſpecialem hunc Morbum χάλαζα dictum, qui non incurrit in Oculos, niſi palpebra inuerſa, ſed potius *Albuginem* ipſam, aut etiam *Catarrhactam*, quæ quidem non tam offendit viſum aſpicientis, quam officit functionibus obeundis, imò oculum reddit cœcum.

RPJCB



LEVITICI Cap. XXII. v. 22. 23. 24.
Sacrificia rejicula.

III. Buch Moſis Cap. XXII. v. 22. 23. 24.
Verwerffliche Opfer.

*I. A. Fridrich sculps.*

גָּרָב *garabh* LXX. ψώρα ἀγρία, Vulgata *jugem habens Scabiem*, *Onkelos* גַּרְבּוֹן *garbon* : *Jonathanis* paraphraſis, *qui plenus eſt ſcabie ſicca* : Nobis, *qui ſcabiem habet purulentam.* Intelligitur, quantum quidem videtur, *Scabies humida*, in puſtulas pure plenas eleuata, *eine flieſſende Raud*, qui Morbus neceſſariò à puriſſimo illo cultu excludebat eo affectos: Uti quoque affinis huic יַלֶּפֶת *jallepheth*, LXX. λειχὴν, Vulgata *Impetigo*, nempe *Ægyptiaca* illa, de qua *Plinius* L. XXVI. c. 1. *Grauiſſimum ex his Lichenas appellauere, Græco nomine : Latinè, quoniam à mento fere oriebatur, joculari primùm laſciuia, mox & uſurpato vocabulo mentagram : occupantem in multis totos undique vultus, oculis tantùm immunibus, deſcendentem verò & in colla, pectusque ac manus, fœdo cutis furfure. Impetiginis* quatuor recenſet ſpecies *Celſus* L. V. c. 28. unam alterâ pejorem, quas nunc ſpecialius deſcribere non vacat. Latina noſtra habet pro יַלֶּפֶת *ſcabiem aridam mordicantem*; vernacula pro גָּרָב & יַלֶּפֶת, *der eine dürre oder grüne flieſſende Raud hat*, quæ videtur per priorem exprimere *Scabiem ſiccam*, nobis *der Mager* dictam, per poſteriorem *humidam.*

Agmen claudit מְרוֹחַ אָשֶׁךְ *meroach aſchech*, LXX. μονόρχις, Vulgata *hernioſus*, nobis, *qui eſt teſticulo obligato*, *der gebrochen iſt.* Videtur ſanè intelligi *Hernioſus*, ille in ſpecie, qui *Herniâ* laborat *inteſtinali* in Scrotum deſcendente, vel etiam ἐπιπλοκήλη : Imò & huc trahi poteſt ὀμφαλοκήλη, *Hernia* item *ſeminalis* & *carnoſa*; qui Morbi omnes abſcondi quidem poterant ſub Veſte Sacerdotali, ſed tamen impedimento fuere in functionibus ſacris.

# TAB. CCLXXXII.

## Leuit. Cap. XXII. verſ. 22. 23. 24.

22. Cœcum aut confractum, aut Labiis ſciſſum, aut verrucoſum, quod Scabiem habet purulentam, aut Impetiginem, iſta ne offeratis DOMINO, nec ignitum ſacrificium ponetis de illis ſuper Aram DOMINI.

23. Bouem aut Pecudem enormibus aut contractis membris facere poteris pro voluntario dono, at pro voto non erit acceptum.

24. Quod impulſu fractum eſt, aut contuſum, aut ruptum, aut exectum, ne ſacrificetis DOMINO, & in Terra veſtra ne feceritis.

22. Si cœcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens, ſi papulas, aut ſcabiem, aut impetiginem : non offeretis ea DOMINO, nec adolebitis ex eis ſuper altare DOMINI.

23. Bouem & Ouem, aure & cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex iis ſolui non poteſt.

24. Omne animal, quod vel contritis, vel tuſis, vel ſectis, ablatisque teſticulis eſt, non offeretis DOMINO, & in terra veſtra hoc omnino ne faciatis.

INſinuant três proximè præcedentes Verſiculi 19. 20. 21. in ſacrificium offerri debere, quæ ſunt τέλεια, ſine Vitio: imo ſuadet Ratio, DEO grata eſſe non poſſe, quæ nobis ſunt abjecta. Etiam Gentium hæc fuit attentio. *Herodoto* teſte L. II. c. 37. & 38. *apud Ægyptios* debebat Sacerdos *inſpicere*, *pecude cum ſtante & erecta, tum etiam reſupinata, Linguâ item exerta, an pura eſſet*, καὶ ὀρθοῦ ἑστεῶτος καὶ κτηνέος, καὶ ὑπτίου, καὶ τὴν γλῶσσαν ἐξειρύσας, εἰ καθαρή. Sic apud *Athenienſes* debebant Victimæ ἐκκρίνεσθαι, unde ἐκκρίτων ἱερείων, *delectarum hoſtiarum* meminit in Axonibus *Solon* apud *Plutarchum* in ejus *vita.* p. 91. Et bonæ victimæ κριτήρια ordine recenſet *Pollux Onomaſt.* L. I. c. 1. τὰ δὲ προσακτέα θύματα, ἱερεῖα, ἄρτια, ἄτομα, ὁλόκληρα, ὑγιῆ, ἄπηρα, παμμελῆ, ἀρτιμελῆ, μὴ κολαβὰ, μηδὲ ἔμπηρα, μηδὲ ἠκρωτηριασμένα, μηδὲ διάστροφα. Σόλων δὲ τὰ μὴ ἔμπηρα καὶ ἀφηλῆ ὠνόμασε. *Homerus Iliad.* A. v. 66. Capras Apollini mactandas vocat τελείας. Ubi Scholiaſtes. τὴν ἡλικίαν ἤτοι ὁλοκλήρων, λελωβημένον γὰρ οὐ θύεται, ἀλλ᾽ ὑγιὴς ἡ τῶν τελουμένων θυσία, *ætate aut membris, nam vitio laborans non mactatur, ſed ſana eſt ſacra rite facientium victima.* Hæc *Clericus* in *Comm.*

Ut autem ſcirent Judæi, qualia nam vitia Animal ab Aris excludant, enumerat ea diſtincte Moſes ex dictato Legislatoris Supremi. Ea videbimus ordine. 1. עִוֶּרֶת *auuæreth*, *cœcum* ſeu etiam *cocles*, utrumque enim vox illa vult. 2. שָׁבוּר *ſchabur*, *fractum*, ſcilicet in Femore aut Crure. 3. חָרוּץ *charuz*, *mutilum*, LXX. γλωσσότμητον, Vulg. *cicatricem habens*; *Jonathan*, *quibus palpebræ aut oculi contuſi ſunt.* *Ferrarienſes tajado*, i. e. mutilum. Noſtra Latina *labiis ſciſſum*, vernacula *wund*, quæ ab inuicem differunt, ut Genus à ſpecie. Optima eſt, quæ dat *mutilum* à חָרַץ *charats*, *abſcindere*, ut indicetur Animal, cui pars quædam corpore eſt reſecta, ut e. g. cauda. Sic Athenis κολȣ́ρȣς victimas mactare fuit nefas. *Ariſtophanes* in *Acharnenſibus*. v. 784.

Δ. 'Αλλ' ȣ̓δὲ θυσιμὸς ἐςιν αὐτηὶ. Μ. Σαμὰν,
Πᾶδ' ȣ̓χὶ θυσιμὸς ἐςι; Δ. Κέρκον ȣ̓κ ἔχει.

D. Verùm hæc ſacrificari nequit. M. Cedo,
Qui ſacrificari nequeat? D. Caudam non
habet.

4. יַבֶּלֶת *jabbæleth*, LXX. μυρμηκιῶντα. Eſt autem μυρμηκία, *Myrmecia*, Verrucæ ſpecies, quam ita deſcribit *Celſus* L. V. c. 28. *Myrmecia vocantur humiliores* (Verrucæ) *thymio*, *durioresque: quæ radices altius exigunt*, *majoremque dolorem mouent*, *infra lata*, *ſupra autem tenuia minus Sanguinis mittunt: magnitudine* vix unquam Lupini modum excedunt. *Onkelos* יַבְלָן *jablan*. Samaritanus חַבְלִי *chabli*. *Jonathan*, *cujus oculi percuſſi ſunt*, *miſto albo cum nigro.* Vulgata, *papulas habens*, quæ ſunt ψυδράκια. Pleriſque & optimis Interpretibus placent *Verrucæ*. Sic & noſtræ Verſiones, *verrucoſum*, *voller Wartzen*. 5. גָּרָב *garabh* eſt *ſcabies*, de qua ad Lev. XXI. 19. 6. יַלֶּפֶת *jallepheth*, ibidem memorata, eſt *Impetigo*, λειχὴν. *Porriginem* reddit *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 46. ex *Auicenna* L. IV. *Fen.* 7. *Tract.* 2. capp. 24. 25. quæ Græcis eſt πιτυρίασις, *furfures*, *tinea*: Sic & Vernacula noſtra, *grindig*, pro Impetigine.

7. שָׂרוּעַ *Sarua*, Animal *enormibus Membris*, *das ungleiche Glieder hat.* Ita Nos, ſed minus concordes nobiſcum: Latina exceſſiuam vult magnitudinem, vel, quod alii interpretantur, *ſuperfluum*: hæc intelligi poteſt de defectu æquè ac de exceſſu. Excuſari tamen poſſumus ex Idea de Relatione. v. Leuit. XXI. 18. 8. קָלוּט *Kalut*, LXX. Κολοβόκερκον, *abſciſſâ caudâ*, vel generatim, quum una pars breuior eſt & contractior. Sic & noſtræ Verſiones, quod *contractis eſt membris*, *das zu kleine Glieder hat.* De hac voce plura *Bochartus* l. c. qui obſeruat, *Kalaſſa* Arabibus dici *Canes Melitenſes.*

v. 24. memorantur וְכָרוּת וּמָעוּךְ וְכָתוּת וְנָתוּק LXX. habent θλαδίαν καὶ ἐκτεθλιμμένον, καὶ ἐντομίαν, καὶ ἀνεσπασμένον. Vulgata, *contritis*, *vel tuſis*, *vel ſectis ablatisque teſticulis.* Nos, *quod impulſu fractum eſt*, *aut contuſum*, *aut ruptum*, *aut exectum: Zerſtoſſenes*, *oder Zertruktes*, *oder Zerriſſenes*, *oder Aufgeſchnittenes.* His quatuor expreſſionibus excluditur, verbo, Animal caſtratum, imo indicatur ipſe caſtrandi modus. Græcis proprie מָעוּךְ *mauk*, *compreſſus* eſt θλιβίας, כָּתוּת *cathuth*, *contuſus*, θλαδίας, vel θλασίας, נָתוּק *nathuk*, *auulſus*, σπάδων, כָּרוּת *caruth*, *exciſus*, τομίας, ἐκτομίας. Nos in vernacula loco *aufgeſchnittenes*, commodius diceremus *verſchnittenes*. Illis autem quatuor modis caſtrari ſolent *Agni*, ut fiant *Verueces*, quod ex *Ariſtotele* & *Columella* patet. Sunt qui cum *Jonathane* & *Joſepho* verba ultima, *hoc in Terra veſtra ne feceritis*, ita interpretantur, ut Iſraelitis *caſtratio* omnis fuerit prohibita. Ita hic *Ant.* IV. c. 8: μὴ ἐξεῖναι ποιεῖν ἐκτομίας μήτε ἀνθρώπȣ, μήτε τῶν ἄλλων ζώων, *caſtrare nec Homines liceat*, *nec ullum aliud Animal.*

TAB.

RPJCB



Levitici Cap. XXIII. v. 10.
Primitiæ frugum.

III. Buch Moſis Cap. XXIII. v. 10.
Erſtling-Opfer.

I. Stridbeck sculps.

RPJCB

TAB. CCLXXXIV.




Levitici Cap. XXIII. v. 40.
Δενδροφορία Iudæorum.

III. Buch Moſis Cap. XXIII. v. 40.
Jüdiſches Laubhütten-Feſt.

*I. A. Fridrich sculps.*

# TAB. CCLXXXIII.

## Leuit. Cap. XXIII. verſ. 10.

— Quum veneritis in Terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem ejus, inferetis Gomer de primitiuis fructibus Meſſis veſtræ ad Sacerdotem.

— Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem.

Eſt oblatio primitiarum de Frugibus in gratum Diis ſacrificium Ritus ſine dubio antiquiſſimus, & forſan cum Ratione ipſa natus, quæ gratam pro beneficiis ſeruat memoriam. Sanè *Clericus* in *Comm. hunc morem neque Hebræos Ægyptiis, neque Ægyptios Hebræis acceptum referre debuiſſe credit, ſed utroſque progenitoribus ſuis:* Quicquid ſit, habemus heic expreſſam Summi DEI Legem, omnibus aliis & ritibus & Legibus anteferendam. Modum, quo oblatus fuerit *Gomer*, ſcilicet *Hordei*, nam hæc prima fuit Meſſis, & tempore *Joſephi*, ipſe deſcribit *Ant.* L. III. c. 10. φρύξαντες τῶν ςαχύων, &c. *poſtquam manipulum ſpicarum torruerunt, & pinſuerunt, aceribusque & glumis repurgarunt, Aſſaronem* (ἀσσάρωνα, i. e. Gomerum) *ad Altare DEO offerunt. Tum pugillum unum ex eo injicientes reliquum Sacerdotibus in uſum concedunt, & deinceps publicè & priuatim omnibus licet metere.* Apud *Ægyptios* frugum primitiæ conſecrabantur *Iſidi* ab antiquis temporibus, teſte *Diodoro Bibl.* L. I. p. 13. & ſuo æuo, ἔτι γὰρ ϗ νῦν κατὰ τὸν θερισμὸν τȣ̀ς πρώτȣς ἀμηθέντας ςάχυς θέντας τȣ̀ς ἀνθρώπȣς κόπτεσθαι πλησίον τȣ̃ δράγματος, ϗ τὴν Ἶσιν ἀνακαλεῖσθαι. *Nam etiamnum hodie Meſſis tempore homines oblatis primis ſpicis demeſſis, juxta manipulos plangere, & Iſidem inuocare.* Et videt nemo non, vel in hoc ſolo conſtitiſſe ditiſſimos Sacerdotum reditus. Teſtem habemus *Philonem Lib. de Præmiis Sacerdotum*, ubi, expoſitâ Lege de Primitiis, πολυανθρωποτάτȣ τȣ̃ δὲ ἔθνȣς ἀναγκαῖον ἐςὶ ϗ τὰς ἀπάρχας ἀφθόνȣς, ὡς ϗ τὸν ἀπορώτατον τῶν ἱερέων, ἕνεκα περιȣσίας τροφῶν, εὐπορώτατον δοκεῖν εἶναι, *cum populoſiſſima ſit Gens, neceſſe eſt Primitias quoque multas eſſe, adeò ut pauperrimus etiam Sacerdotum ob alimentorum copiam ditiſſimus eſſe videatur.*

# TAB. CCLXXXIV.

## Leuit. Cap. XXIII. verſ. 40.

Die primo accipite vobis fructum Ligni ſpecioſi, ramos Palmarum, & ramos Arboris denſæ, & Salices torrentis, lætabiminique coram DOMINO DEO veſtro ſeptem dies.

Ebr. manus pro frondibus aut ramis.

Sumetisque vobis de primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpathalasque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro.

Die primo, id eſt, ante diem primum (nam ille erat feriatus) Feſti Tabernaculorum jubebantur Iſraelitæ accipere פְּרִי עֵץ הָדָר *pri ets hadar*, LXX. Καρπὸν ξύλȣ ὡραίȣ, fructum arboris pulcherrimæ, nobis *fructum Ligni ſpecioſi*, ſcilicet de Arboribus præſtantiſſimis, & geſtare & comedere debebant fructus, in gratiarum actionem DEO præſtandam occaſione collectionis fructuum autumnalium. Tales e. g. ſunt Arbores *Citriæ*, quas intelligi vult *Onkelos*. Teſtem habemus *Joſephum Ant.* III. c. 10. Κελέυει —— ὁλοκαυςȣ̃ν τε ϗ θύειν τῷ ΘΕΩ τότε χαριςήρια, φέροντες ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνας Μυρσίνης, ϗ ἰτέας σὺν Κράδῃ

Κράδη Φοίνικος πεποιημένη τȣ̃ Μῆλα τȣ̃ τῆς Περσέας προσόντος. *Jubet — holocautomata offerre, & ſacram gratiarum actionem facere DEO ferentes manibus ramos Myrti & Salicis, cum ramo Palmæ ita parato, ut ex eo pendeant Mala Perſea,* hoc eſt, Citria. Porrò, & ſpeciatim ad tegenda tuguria, capiebant עֵץ עָבוֹת עֲנַף *ets aboth anaph*, LXX. κλάδȣς ξύλȣ δασȣ̃ς, Vulgata, *Ramos Ligni denſarum frondium*, Nos, *ramos Arboris denſæ, Meyen von diken Bäumen*, rectius *Aeſte von diken Bäumen.* Tales erant *Myrti*, הדסין *hadaſſin*, ut vult *Onkelos.* Confirmat id Nehemias VIII. 15. *Egredimini in Montem, & afferte frondes oleæ, & frondes Ligni pinguis, frondes Hadas, frondes Palmarum, & frondes denſæ Arboris, ut fiant Tentoria, ſicut ſcriptum eſt. (Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes Ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos Palmarum, & frondes ligni nemoroſi, ut fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.)* Quo loco ad explicandum noſtrum Textum nihil eſt clarius. Conſentit *Joſephus* l. c. Memorantur porrò כַּפּוֹת תְּמָרִים *cappoth Themarim, rami palmarum, Palmen-Zweige, Spathæ,* & עַרְבֵי נַחַל *arbe nachal, Salices Torrentis, Bachweyden;* oſfendimus hujusmodi quoque ritus, quibus populus ad hilaritatem diſponebatur, apud Gentiles. *Strabone* teſte L. X. δενδροφορίαι τε ϗ χορεῖαι ϗ τελεταὶ κοιναὶ τῶν θεῶν εἰσι τȣ́των, *ramorum geſtationes & choreæ & myſteria hiſce Diis*, Baccho, Apollini, Cereri, Muſis, *ſunt communia. Athenis* celebrabant ὠσχοφόρια in honorem Mineruæ, in quibus ferebantur ὦσχαι, h. e. τὰ μετὰ τῶν βοτρύων κλήματα, *palmites cum racemis*, de quibus *Suidas. Clericus Comm.* Conjectura eſt eruditiſſima plurimùm Rev. Viri *Joh. Baptiſtæ Ottii*, Archidiaconi & Canonici Tigurini, *Epiſtola de Numis quibusdam Samaritanis ad Relandum*, inſerta hujus de eodem argumento *Diſſertationibus* p. 59. exprimi hoc ipſum, de quo nunc, Judæorum לולב *lulaf*, ſiue Faſciculum Salicum in Numo Fig. A. & reſtitui eundem vult, uti extat Fig. B. De *Citrio* ſanè *Malo* dubium haud eſt, adeſſe ab una parte, ſicuti ab altera integra adeſt, ex qua ſpathas decerpſere, *Palma.*

# TAB. CCLXXXV.

## Leuit. Cap. XXV. verſ. 15. 16.

15. Juxta numerum annorum poſt Jubilæum compares à proximo tuo, & pro ratione annuorum prouentuum vendat tibi.

16. Juxta multitudinem annorum augebis pretium ejus, & juxta paucitatem annorum minues pretium ejus, quoniam numerum prouentuum ipſe vendit tibi.

15. Juxta numerum annorum Jubilei emes ab eo, & juxta ſupputationem frugum vendet tibi.

16. Quanto plures anni remanſerint poſt Jubileum, tanto creſcet & pretium; quanto minus temporis numeraueris, tanto minoris & emtio conſtabit, tempus enim frugum vendet tibi.

Lucem fœneratur huic materiæ doctrina de Proportionibus. Diſtinguit Legislator in hoc Capite, ſpeciatim v. 29. & 30. *Prædia* in *Urbana* & *Ruſtica*, quod & JCti faciunt *Leg.* 198. ff. *de Verb. Sign. Ruſtica* comparari debent cum *Feudis*, quæ absque conſenſu Domini alienari non poſſunt. Hujusmodi Prædia æſtimari debebant juxta numerum annorum, qui à tempore Contractus ad Jubilæum usque computabantur. Prædium e. g. cujus prouentus erat 10. *Stuk*, venditum primo poſt Jubilæum anno, ſubductis 7. Sabbathicis ex 48. annis utilibus pretio 410. modiorum, quot dant 41. anni: ſecundo 400. tertio 390. & ſic porrò in deſcendente Progreſſione Arithmetica.

410. 400. 390. 380. 370. 360. 350. &c.

Niſi fortè comparentur uſurarum uſuræ. Nam anno Jubilæo veluti poſtliminio reuertebantur Prædia illa ad priſtinos Dominos. Similem fere Contractum habuere Romani. Ita *Vitruuius* L. II. c. 8. §. 12. 15. *Noſtri celeritati ſtudentes, erecta coria locantes, frontibus ſeruiunt, & in medio farciunt fractis ſeparatim cum materia cæmentis, ita tres ſuſcitantur in ſtructura cruſtæ, duæ frontium, & una media ſtructuræ. Quæ ſunt è molli cæmento ſubtili facie venuſtatis, non eæ poſſunt eſſe in vetuſtatem non ruinoſæ. Itaque cum arbitraria communium parietum ſumuntur, non æſtimant*



LEVITICI Cap. XXV. v. 15 . 16.
Lex Iudæorum agraria.

III. Buch Moſis Cap. XXV. v. 15 . 16.
Kauff= und Land= Ordnung.

*G. D. Heüman sculps.*

RPJCB

RPJCB



LEVITICI Cap. XXVI. v. 16.
Morbi Rebellium poenæ.

III. Buch Moſis Cap. XXVI. v. 16.
Der beſtraffte Ungehorſam.

*J. G. Thelot sculps.*

*æſtimant eos, quanti facti fuerint, ſed cum ex tabulis inueniunt eorum locationes, pretio præteritorum annorum ſingulorum deducunt octogeſimas, & ita ex reliqua ſumma partem reddi jubent pro his parietibus, ſententiamque pronuntiant, eos non poſſe plus quàm annos 80. durare.* Alia fuit ratio *Prædiorum urbanorum* & *rerum mobilium:* illa alienari poterant ſub jure reluitionis intra Annum, quo præterito quaſi per uſucapionem, vel Præſcriptionem, acquiſita emptori manebant. Ad ſingulare hoc prædiorum urbanorum & Ædium jus ſpectare videtur Præceptum Decalogi. Exod. XX. 16. *Ne concupiſcas domum proximi tui*, ne ſcilicet per incrementa unius Familiæ altera redigeretur ad incitas. *Res mobiles* momento transibant ad venditorem. Prædium urbanum fuit Nabothi illa vinea, Palatio Regio vicina, quam proprietarius Ahabo Regi vendere vel permutare recuſauerat, & his quidem verbis: *Seruet me* DOMINUS, *ne dem tibi hæreditatem Patrum meorum.* 1. Reg. XXI. 3. *(Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.)* v. *Reyher Math. Moſ.* 522. Plura de hac re, & collatiuè cum *Legibus* Gentium, ſpeciatim *Agraria* Romanorum habet *Clericus* in *Comm.*

# TAB. CCLXXXVI.

## Leuit. Cap. XXVI. verſ. 16.

— Viſitabo vos Terrore, Tumore, & febri ardente, quæ oculos conſumant, & animum contabeſcere faciant. Semen veſtrum fruſtra ſeminabitis, quia hoſtes veſtri ipſum comedent.

— Viſitabo vos velociter in egeſtate & ardore, qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras: fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur.

EX Morbis grauioribus, qui rebelli populo interminantur, primus occurrit שַׁחֶפֶת *Schachepheth*, obuius quoque Deut. XXVIII. 22. De hoc non omnibus eſt eadem mens. Recutiti Doctores, *Selomo*, *de Pomis*, *Jarchi* definiunt ita, quòd carnem inflet, puſtulas gignens ut poma. Hinc fortè Nos *Tumorem*, *Geſchwulſt*, vertimus. Sed Tumores ſunt varii, diuerſis apud Medicos nominibus noti, Apoſtemata, Furunculi, Scrophulæ, peſtilentiſſimi omnium Bubones. *Kimchius* in *Lexico ex* R. *Jona* & Talmude Morbo hocce dicit eſſe מַתְנוּנָה *mathnunah*, *debilitatum*, *emaciatum*, *attenuatum*, proinde *Phthiſin* ſeu *Tabem* intelligit. Idem vult *Sochaph* Arabum, Hebraico noſtro affine. Suſpicatur *Bochart Hieroz.* P. II. L. II. c. 19. Græcos reddidiſſe ἀτροφίαν, quæ Tabis eſt ſpecies, licet ἀπορίαν habeant Exemplaria, unde *Hieronymus* interpretatus fuit per *egeſtatem*. Sed præualet *Tabes*. Sanè Hebræis שָׁחוּף *Schachuph* eſt *tabidus*, quod probat *Buxtorff* ex *Sota* f. 26. b. à שַׁחַף *ſchachaph* in Kal *tabere*, in Niphal *tabidum fieri*, in Piel *tabefacere*. Hinc & *Larus* leuiſſimæ molis Auis, valde emaciata, שַׁחַף *Schachaph*. Apud LXX. pro שַׁחֶפֶת legitur ψώρα. Poſſent conciliari omnes, ψώρα, Scabies, eleuatur quoque in Puſtulas, & aliquando diſponit ad maciem. Et Phthiſeos ultimum fere Symptoma, quod & morbo & vitæ coronidem imponit, eſt Pedum Oedema. קַדַּחַת *Kaddachath*, LXX. ἴκτερα, Vulgatæ *Ardor*, Nobis *Febris ardens*, *Fieber*. Videntur ſequentia proximè Verba, *quæ oculos conſumant*, & *animum contabeſcere faciant*, referri debere ad Morbos præcedaneos, tanquam effectus, potius quàm ut huc pertineat *Oculorum* ita dicta *imminutio*, de qua *Celſus* L. VI. c. 6. *Euenit etiam, ut oculi vel ambo, vel ſinguli, minores fiant, quàm eſſe naturaliter debeant.* In Phthiſi ut conſumuntur omnia, minores quoque redduntur oculi.

# SUPPLEMENTA IN LEVITICUM.

## Leuit. Cap. II. verſ. 11.

Omne donum, quod DOMINO adfertis, infermentatum ſit, nullum enim fermentum, nullumque Mel incendere debetis in Sacrificiis DOMINI, quæ Igne fiunt.

Omnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.

COmmendatur multoties *Mel* in Sacris ob inſignes & varios uſus ac proprietates, quas enumerare hujus loci non eſt. Et in ipſis Sacrificiis quotidianus fuit Mellis uſus. *Homerus* ſanè, vel alius, *Hymno in Mercurium* nobile hoc Naturæ γέννημα vocat θεῶν ἡδεῖαν ἐδωδὴν, *Deorum ſuauem cibum*, & in *Batrachomyomachia*.

Χρηςὸν Μελίτωμα, τὸ ϗ μάκαρες ποθέȣσιν.

*Optimum ex Melle dulciarium, quod etiam Dii deſiderant.*

Qui teſtes deſiderat plures, adeat *Pauſaniam* ejusque *Eliaca* priora, *Strabonem* L. X. alios. Sed heic Lege Diuina prohibitus Mellis in Sacrificiis uſus; Cauſam nemo dixerit facile. Intelligit heic R. *Selomo Mellis* nomine omnem fructuum dulcedinem nonnulli apud *Abenezram Dactylos*. Sed non diſcedendum volunt omnes alii Interpretes à proprio vocis ſignificatu. Et cauſas varias, ad myſticas usque, allegant varii. Apud *Philonem* legas, συναγαγὼν αὐτȣ̃ μέλιτταν ζῶον εἶναι ȣ̓ καθαρὸν, σήψεως ϗ φθορᾶς νεκρῶν, ὡς ὁ λόγος, βοῶν γεννώμενον, *ejus collectricem Apem Animal eſſe impurum, quodque ex mortuorum Boum putredine & corruptione naſci perhibent.*

Apud *Theodoretum*, quod fortè melius, *apem in locis impuris ſedere, & mellis conficiendi materiam undecunque colligere :* item, *Apis fructum à Labore noſtro non procedere : mellis nomine Voluptatem prohiberi.* Apud *Hieron. Epiſt.* 19. *ad Euſtochium, apud DEUM nihil voluptuoſum, nihil tantum ſuaue placere, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.* Apud *Plutarchum Sympoſ.* L. IV. c. 5. ὅτι δοκεῖ φθείρειν τὸν ὄινον κεραννύμενον, *quia vinum admixtum videtur corrumpere.* Probare nempe vult, Judæos coluiſſe Bacchum, eumque mixtura mellis irritare noluiſſe. Quum tamen ex profanis conſtet Scriptoribus, Baccho ipſi præter vinum oblatum quoque fuiſſe Mel. *Tibull.* L. I. *Eleg.* 8.

*Sic venias hodierne; tibi dem Thuris honores*
*Liba & Mopſopio dulcia melle feram.*

*Ouid. Faſt.* L. III. v. 735.

*Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus idem*
*Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.*

In tanta rei obſcuritate eò inclinat *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 13. DEUM ob id ipſum, quod in Dæmonum Sacris Mellis uſus penè perpetuus fuerit, pro impuro illud habuiſſe, & in Sacrificiis offerri noluiſſe.

## Leuit. Cap. III. verſ. 9.

Et ſacrificet de victima gratulatoria ſacrificium, quod Igne confit DOMINO, nempe Adipem ejus, integram caudam, quæ juncta eſt Spinæ dorſi, tollet, Adipem quoque, qui obtegit ventrem, & omnem Adipem, qui eſt ſuper Inteſtina.

Et offerent de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino : adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque uniuerſa vitalia.

*Vid. Exod. XXIX. 22.*

Leuit.

## Leuit. Cap. V. verſ. 11.

Si vero facultas adferendi duos Turtures aut duos columbinos pullos ei defuerit, adferat munus ſuum is, qui peccauit, decimam ſcilicet partem ſimilaginis Epha pro ſacrificio peccati: at oleum non ponet ſuper illud, neque etiam Thus addat, eſt enim ſacrificium pro peccato.

Quodſi non quiuerit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam: non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato eſt.

*Vid. Exod. XVI. 36.*

## Leuit. Cap. XI. verſ. 3.

Ad filios vero Iſrael dices his verbis: Tollite Hircum ex Capris pro hoſtia peccati, & vitulum, & Agnum, anniculos integros pro Holocauſto.

Et ad filios Iſrael loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculum, & ſine macula in holocauſtum.

EAdem eſt ratio *Agni* & *Vituli* anniculorum; non intelligendi ſunt præciſè δωδεκάμηνοι, ſed Vituli & Agni ab octauo die usque ad Annum completum. Hujusmodi *Agnus* vocatur ut heic & multis aliis locis כֶּבֶשׂ *Cebes*; Nam ſi anniculo major, vocatur אַיִל *ail.* Sic & diſtinguunt Doctores quidam Hebræi עֵגֶל *egel* à פַּר *phar*, Vitulum ſeu Bouem, anniculum à bimo. Hujusmodi & Vituli & Agni vocantur בְּנֵי שָׁנָה *bne ſchanah*, filii Anni. Sic & Mich. VI. 6. conf. *Boch. Hieroz.* P. I. L. II. c. 28. Cum Hebræo עֵגֶל conuenit modernorum Arabum *ygl*, *yggewl*, Plur. *ægiagil* & *ugiul.* fœm. *yglet*, Plur. *ygel.* Meninzk. Lex. 3218. 3222. 3225.

## Leuit. Cap. XI. verſ. 23.

Omne vero reptile alatum, quod quatuor pedes habet, abominandum eſto vobis: In iſtis polluemini.

Quicquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis.

*Vid. Leuit. XI. 23.*

## Leuit. Cap. XVII. verſ. 10 - 14.

10. Et quicunque de domo Iſrael, aut de incola, qui inter vos habitat, ullum Sanguinem comederit, ponam faciem meam contra Animam talem, & excindam eam de medio populi ſui.

10. Homo quilibet de domo Iſrael, & de aduenis, qui peregrinantur inter vos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.

11. Nam Anima Carnis eſt in Sanguine, & ego illam dedi vobis ſuper Aram, ad expiandum Animas veſtras:. Sanguis enim Animam expiabit.

12. Et ob id dixi filiis Iſrael: Nulla Anima ex vobis Sanguinem edat, deinde nullus incola, qui habitat inter vos, Sanguinem edat.

13. Quicunque ex filiis Iſrael, & incola, qui habitat inter vos, venatus fuerit venationem feræ aut volucris, quæ comedi poteſt, effundat ſanguinem ejus, & obruat eum puluere.

14. Nam anima omnis carnis ſanguis ejus eſt, pro Anima ejus eſt: ob id dixi filiis Iſrael: Nullius carnis ſanguinem comedetis, quia Anima omnis carnis ſanguis eſt, quicunque comederit, excindetur.

11. Quia anima Carnis in ſanguine eſt: & ego dedi illum vobis, ut ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.

12. Idcirco dixi filiis Iſrael: omnis anima ex vobis non comedet ſanguinem, nec ex aduenis, qui peregrinantur apud vos.

13. Homo quicunque de filiis Iſrael, & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram vel auem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat illum terra.

14. Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt, unde dixi filiis Iſrael: Sanguinem uniuerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt; & quicunque comederit illum, interibit.

EXpoſui Legem hanc, quæ una eſt ex δυσνοήτοις ad Gen. IX. 4. quæ repetere heic nolo, ne actum videar agere. Vidimus, cauſam præcepti hujus prohibitorii eſſe moralem potius & Typicam, quàm Phyſicam. Videtur Legiſlator ſummus reſeruaſſe ſibi, quod eſt in corpore Animato pretioſiſſimum, *Sanguinem*, à cujus conſtitutione & motu haud dubiè pendet vita: præuertiſſe, quæ ad crudelitatem & homicidia ducunt cunque. Ut fruſtra quærant in hac Lege Palladium *Metempſychiſtæ*, ne ſcilicet mediante ſanguine transeat Anima Brutorum in Hominem. De Anima hac Brutorum multa fantur Philoſophi, ſed parum certi. Vox eſt πολύσημος, quæ multas Philoſophiæ, easque inanes, induxit rixas. Multa illi de Anima Vitali, de ejus Ideis operatricibus, de ejusdem cum Rationali Harmonia in Homine, ſed quæ Imaginationem ſapiunt potius, quàm Judicium. *Anima* Moſi idem videtur quod *Vita*. Sanè verſio noſtra vernacula vocem נֶפֶשׁ *nepheſch* v. 11. reddit per ψυχὴν, *Animam*, *Seel*. v. 14. per ζωὴν, *vitam*, *Leben*.

## Leuit. Cap. XIX. verſ. 26.

Ne edatis cum Sanguine, nec Magigicam exerceatis, neque tempora obſeruabitis.

Non comedetis carnem cum ſanguine. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia.

*Vid. Deut. XVIII. 10. 11.*

## Leuit. Cap. XXII. verſ. 4.

Quicunque de ſemine Aharonis leproſus fuerit, aut fluxum patiens, de ſanctificatis non comedat, do-

Homo de ſemine Aaron, qui fuerit leproſus, aut patiens fluxum ſeminis, non veſcetur de his quæ

nec mundetur, & qui tetigerit quemcunque, qui ſuper mortuo immunditiam contraxit, vel (qui contigerit) aliquem, cui exierit, aut qui projecerit ſemen.

ſanctificata ſunt mihi, donec ſanetur. Qui tetigerit immundum ſuper mortuo, & ex quo egredietur ſemen quaſi coitus.

*Vid. Leuit. XV. 16.*

## Leuit. Cap. XXII. verſ. 19. 20.

19. (Adferatis hoc) ut grati ſitis, nempe marem integrum è bobus, ex ouibus aut Capris.
20. Quicquid vero vitium aliquod habet, illud ne adducatis, neque enim gratos vos redderet.

19. Ut offeratur per vos, maſculus immaculatus erit ex bobus, ex ouibus, & ex capris.
20. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

*Vid. Exod. XII. 5. Lev. I. 2. 3.*

## Leuit. Cap. XXII. verſ. 27. 28.

27. Quum Bos, aut Ouis, aut Capra nata fuerit, ſeptem diebus maneat ſub matre ſua, die vero octauo, & deinceps grata erit DOMINO, pro Sacrificio, quod Igne confit.
28. Bouem aut pecudem una cum fœtu ſuo ne mactetis eodem die.

27. Bos, ouis, & capra, cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ: die autem octauo, & deinceps, offerri poterunt Domino.
28. Siue illa Bos, ſiue ouis, non immolabuntur uno die cum fœtibus ſuis.

Conuenit cum puriſſimo ritu Gentium impuriſſimus. *Suis fœtus ſacrificio die quinto purus eſt, Pecoris die octauo, Plin.* L. VIII. c. 51. Lex noſtra eadem cum Exod. XXII. 30. *Sic quoque facies cum Boue tuo, & cum ouibus tuis: Septem diebus erit cum matre ſua, octauo die ipſum mihi dabis.* Pendet quidem hæc, ut aliæ hujusmodi Leges, à Legislatoris arbitrio, ſed tamen dari poſſunt rationes, quas allegat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 50. Recens nata tenella adeò ſunt, ut de certo vitæ ſucceſſu non ſimus ſecuri, & ante diem octauum vix in Animantium numero reponi poſſint: ſpurcitie ex Amnii liquore adhuc veluti incruſtata, nondum munda, depuranda ante diem octauum. Nouimus etiam, hujusmodi Animalia ante diem octauum comedi vix poſſe propter viſcoſam ſuam laxitatem. Adde, ante hoc tempus vix, niſi ſummo incommodo ex Judæa tota ad unum locum ferri potuiſſe. Altera Lex, quæ extat v. 28. arcebat Judæos à crudelitate.

## Leuit. Cap. XXIII. verſ. 10.

— Quum veneritis in Terram, quam ego do vobis, & meſſueritis meſſem ejus, inferetis Gomer de pri-

— Cum ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpica-

mitiuis fructibus meſſis veſtræ ad Sacerdotem.

rum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem.

*Vid. Exod. XVI. 36.*

## Leuit. Cap. XXIII. verſ. 13.

Cibarium autem ſacrificium ejus fiet ex duabus decimis ſimilaginis, quod commixtum ſit oleo, ut fiat ſacrificium Igne DOMINO in odorem ſuaueolentem, & libatio ejus ſit de vino, nempe quarta pars Hin.

Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo in incenſum Domini, odoremque ſuauiſſimum: liba quoque vini, quarta pars Hin.

*Vid. Exod. XXIX. 40.*

## Leuit. Cap. XXIV. verſ. 2.

Præcipe filiis Iſrael, ut adferant ad te Oleum Oleæ purum & contuſum ad Luminare, ad *(a)* incendendum Lucernam *(b)* jugiter.

*(a)* Ebr. ad aſcendendum, vel ad faciendum aſcendere.
*(b)* Jugiter, tota ſcilicet nocte, à veſpera usque ad auroram.

Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum de oliuis puriſſimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter.

*Vid. Exod. XXVII. 20.*

## Leuit. Cap. XXIV. verſ. 5.

Tolles quoque ſimilaginem, & pinſes ex ea duodecim placentas, duæ decimæ erunt in una Placenta.

Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes, qui ſinguli habebunt duas decimas.

D*Uæ decimæ* ſcilicet τῦ *Ephah*, ſiue Gomeri duo, ingrediebantur Panes ſacros, qui proinde ſat fuere magni. Gomer unius capacitas eſt $202\frac{1}{5}$. digitorum Pariſinorum, proin Panis unius farina fuit $404\frac{2}{5}$. Reductio ad noſtrates menſuras dat pro Gomer $1\frac{351}{425}$. modioli, *Mäßlein*, duplum proin erit $3\frac{277}{425}$. modioli. *Vid. Exod. XVI. 36.*

## Leuit. Cap. XXVI. verſ. 19.

Et frangam ſuperbiam roboris veſtri, faciamque Cœlum veſtrum veluti Ferrum, & Terram veſtram veluti Æs.

Et conteram ſuperbiam duritiæ veſtræ; daboque vobis cœlum deſuper ſicut Ferrum, & terram æneam.

RPJCB




NUMER. Cap. I. v. 45. 46.
Numeroſa Iacobi poſteritas.

IV. Buch Moſis Cap. I. v. 45. 46.
Jacobs Zahlreiche Nachkommen.

M. Tyroff sculp.

ITa quoque Deut. XXVIII. 23. *Erunt tibi Cœli ſuper caput tuum æreí, & Tellus, quæ ſub te eſt, ferrea. (Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra, quam calcas, ferrea.* Ego, non inane Idolum Natura, Ego Creator æternus & potentiſſimus, Naturæ Author & DOMINUS, *faciam cœlum veſtrum*, ſcilicet æreum, quod uſui veſtro accommodaui præciſè, ratione Grauitatis ſuæ, Raritatis & Denſitatis, Elaſticitatis, aliarum Qualitatum, quodue pro bono Plantarum veſtrarum & Animalium conſtitui diues Aquarum promptuarium, i. e. Atmoſphæram, *veluti Ferrum, & Terram veſtram veluti Æs*, tunc nempe, ſi, quod accidit 1. Reg. XVII. 1. juſtiſſimo DEI judicio per totius Anni decurſum *nec Ros fuerit, nec Pluuia;* omnia proin Vegetabilia præ ſiccitate nimia areſcunt, Fontes ſiccantur, Animalia Hominesque præ ſiti contabeſcunt, Terra induratur adeò, ut nemo eam arando vincere poſſit: ubi notandum, in Orientalibus Regionibus, ſpeciatim ſub Zona torrida quotannis in Menſibus æſtiuis exiccari & indurari ordinariè ita, ut coli non poſſit, & Plantæ omnes areſcerent, niſi Terra fuiſſet Menſibus hybernis à continua fermè Pluuia ſufficienter & veluti prouiſionaliter humectata.

## Leuit. Cap. XXVII. verſ. 25.

— habet autem Siclus viginti Gera. — Siclus viginti obolos habet.

*Vid. Exod. XXX. 13.*

# TAB. CCLXXXVII.

## Num. Cap. I. verſ. 45. 46.

Fuerunt autem omnes cenſi ex filiis Iſrael, juxta domos patrum ſuorum, ex his qui viginti annos & ſupra nati erant, & qui ex Iſraele ad bellum apti erant.

Omnes, inquam, cenſi ſexcenta millia, atque triginta millia, quingenti & quinquaginta.

Fueruntque omnis numerus filiorum Iſrael, per domos & familias ſuas, à viceſimo anno & ſuprà, qui poterant ad bella procedere.

Sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta.

OCcurrunt in Moſaicis Scriptis tres populi Iſraelitici numerationes, haud multùm ab inuicem diſcretæ.

| | |
|---|---|
| Egrediente populo ex Ægypto Exod. XII. 37. | 600000. |
| Nunc, Anno poſt | 603550. |
| Circa ingreſſum in Canaan | 601730. |

Quæ tanti numeri Familia quomodo à 70. Animabus cum Jacobo Ægyptum ingreſſis ad tantam ſummam excreſcere potuerit, docuimus ad Locum Exodi citatum. Quod ſi numero

| | |
|---|---|
| præſenti | 603550. |
| addamus Leuitas Num. III. 39. | 22000. |
| prodibit ſumma omnium Iſraelitarum | 625550. |

Prodit autem, quæ genuina eſt Additionis proba, eadem collectis in unam ſummam Tribubus omnibus ſingulatim expoſitis. Non prætereundus eſt, qui per incuriam in Latinam noſtram Verſionem irrepſit error, ubi pro *tria millia* legas *triginta millia*.

Haud, opinor, ingratum erit Lectori, mecum deſcendere ad particularem Tribuum enumerationem, & ex ſinubus Patrum ſuorum formationem, ut pateat tum DEI Abrahamo factæ promiſſionis impletio, tum Matheſeos ad ſacras literas applicatio. Siſtam autem ante omnia Tabulam Familiæ benedictæ Genealogicam, ſubjuncturus dehinc Tribus ſingulas, easque ad calculum ſpecialem, quem habet *Reyherus Math. Moſ.* p. 222. reducturus, ubi patebit, quartam ſemper Generationem cum tertia producturos eſſe numerum in Textu expoſitum.

Patre Jacobo ſeu Iſraele geniti

- ex Lea Gen. XLVI. 15.
  - Ruben: Hanoch, Pallu, Hezron, Charmi — 46500. Num. I. 21.
  - Simeon: Jemuel, Jamin, Ohad, Jachin, Zohar, Saul — 59300. Num. I. 23.
  - Leui
    - Gerſon: Libni, Simei — 7500. Num. III. 22.
    - Kahath: Amram, Jezehar, Hebron, Uſiel — 8600. Num III. 28.
    - Merari: Maheli, Muſi — 6200. Num. III. 34.
  - Juda: Sela, Perez (Hezron, Hamul), Sera — 74600. Num. I. 27.
  - Iſaſchar: Thola, Phua, Job, Semron — 54400. Num. I. 29.
  - Sebulon: Sered, Elon, Jahleel — 57400. Num. I. 31.
  - Dina.
- ex Silpa Gen. XLVI. 18.
  - Gad: Ziphion, Haggi, Suni, Hezbon, Eri, Arodi, Aroli — 45650. Num. I. 25.
  - Aſſer: Jemna, Jeſua, Jeſui, Bria (Heber, Malchiel) — 41500. Num. I. 41.
- ex Rahel Gen. XLVI. 22.
  - Joſeph: Manaſſe 32200. Ephraim 40500.
  - Benjamin: Bela, Becher, Asbel, Gera, Naaman, Ehi, Ros, Mupim, Hupim, Ard — 35400. Num. I. 37.
- ex Bilha Gen. XLVI. 25.
  - Dan.: Huſim. — 62700. Num. I. 39.
  - Naphthali: Jahzeel, Gumi, Jetzer, Sillem — 53400. Num. I. 43.

I. RU-

### I. RUBEN 46500.

Deſcendamus ad Tribus ſingulas! RUBEN genuit 4. filios: pone, unum 7. reliquorum trium quemlibet genuiſſe filios 8. obtinebis pro Generatione Ægyptiaca I. 32. Si cuilibet horum aſſignes 5. erit Generatio II. 155. hi multiplicati per 15. dabunt pro Generatione III. 2325. & hi per 19. pro quarta 44175. & III. cum IV. dabunt 46500. Quod idem productum prodibit, ſi datam ſummam 46500. diuidas per probabilem liberorum numerum e. g. 19. ſic obtinebis pro III. Generatione 2447. hanc ſi à ſumma totali ſubtrahas, remanebunt pro IV. Generatione 44053. quæ prodit, ſi multiplices 2440. ex tertia Generatione per 18. & reſiduos 7. per 19. Quod ſi lubeat eandem hanc operationem proſequi ad Generationes præcedentes, diuidendo per probabiles numeros, obtinebis eaſdem, vel tales, quæ ſequuntur.

| | |
|---|---|
| Rubenis filii - - - - - - - - - | 4. |
| Generatio I. - - - - - - - - - | 23. |
| - - - II. - - - - - - - - | 215. |
| - - - III. - - - - - - - | 2583. |
| - - - IV. - - - - - - - | 43917. |

### II. SIMEON 59300.

Simeon filios habuit 6. Pone ſingulos ex 3. prioribus genuiſſe 6. ex tribus poſterioribus 7. obtinebis pro I. generatione 39. Horum 31. multiplicatis per 9. & 8. per 10. prodibit II. Generatio 359. Horum 355. multiplicatis per 11. & 4. per 12. prodibit III. Generatio 3953. Et horum 3948. multiplicatis per 14. & 5. per 15. obtinebimus pro IV. 55347. III. autem & IV. additæ dabunt 59300.

### III. LEVI 22300.

Leui primus *Gerſon* binos habuit Filios: Da uni horum 16. alteri 17. filios: obtinebis pro II. Generatione 33. Horum 28. multiplicati per 15. & 5. per 16. dabunt III. 500. Horum ſinguli multiplicati per 14. dabunt 7000. III. & IV. ſimul 7500.

Alter Filius *Kahath* 4. habuit filios, qui primam dant Lineam. Aſſigna uni 10. tribus 11. habebis pro II. Generatione 43. Hi multiplicati per 10. dant III. 430. Hic per 19. IV. 8170. III. & IV. junctæ erunt 8600.

Tertius *Merari* 2. habuit Filios. Da ſingulis 10. obtinebis pro II. Generatione 20. Dimidiæ parti tribue 15. alteri medietati 16. prodibit III. 310. qui multiplicati per 19. dabunt IV. 5980. Duæ hæ ultimæ additæ 6200.

Sic erunt

| | Gerſonitæ. | Kahathitæ. | Meraritæ. |
|---|---|---|---|
| I. Gen. | 2. - - - - | 4. - - - - | 2. |
| II. - | 33. - - - - | 43. - - - | 20. |
| III. - | 500. - - - | 430. - - - | 310. |
| IV. - | 7000. - - - | 8170. - - - - | 5890. |
| | 7500. | 8600. | 6200. |

Leuitarum ſumma 22300.

### IV. JUDA 74600.

*Judæ* Filii fuere *Sela*, *Perez* & *Sera*: Nepotes ex *Sela*, *Hezron* & *Hamul*. *Hezron* genuit 2. Filios; da uni 6. habebis 12. pro I. Generatione. Horum 8. ſi dabis 8. & 4. reliquis 9. obtinebis pro II. Generatione 100. Horum 92. concede 18. & 8. reliquis da 19. prodibunt pro III. Generatione 1808. 1800. ex hiſce tribue 18. & 8. reliquis 19. prodibit IV. Generatio 32552. III. & IV. Hezronis Generationes dabunt 34360.

*Hamul* in prima Linea habet 2. Hi multiplicati per 10. dant II. Generationem 20. hi per 20. dabunt III. 400. hi per 25. 10000. III. & IV. junctæ 10400.

*Perezio* & *Sera* ſi dabis uni 5. alteri 6. habebis 11. pro I. Generatione. Tribus horum ſi des 10. & 8. reſiduis 11. prodibit II. 118. Horum 113. da 14. 5. reſiduis 15. habebis III. 1657. Horum 1643. da 17. & 14. reliquis 18. habebis pro IV. 28183. III. & IV. junctæ 29840

| | | |
|---|---|---|
| Sic erunt | Hezronitæ | 34360. |
| | Hamulitæ | 10400. |
| | Perezitæ & | |
| | Seritæ - - | 29840. |
| | | 74600. |

### V. ISASCHAR 54400.

Iſaſchari 5. fuere filii: fac tres horum genuiſſe 5. duos ſex filios: obtinebis pro I. Generatione 27. Horum 19. ſi genuere 9. 8. reſidui autem 10. filios, erit Generatio II. 251. Horum 241. multiplicati per 12. dabunt 2892. 10. reſidui per 13. 130. ſic erit III. Generatio 3022. Ex his 3018. ſi genuerint 17. & 4. reliqui 18. erit IV. Generatio 51378. III. & IV. additæ 54400.

### VI. SEBULON 57400.

Sebuloni erant 3. filii. Da duobus ex illis 14. uni 6. filios, erit I. Generatio 20. II. 143. multiplicatis 17. per 7. & 3. per 8. III. 2296. multiplicatis 135. per 16. & 8. per 17. IV. 55104. multiplicatâ III. per 24. binæ poſtremæ additæ 57400.

### VII. GAD 54650.

Habuit filios 7.

| | |
|---|---|
| I. Generatio, multipl. 3. per 9. & 4. per 10. - - - - - - - - | 67. |
| II. mult. 61. per 7. & 6. per 8. - - | 475. |
| III. mult. 471. per 8. & 4. per 9. - | 3804. |
| IV. mult. 3802. per 11. & 2. per 12. - | 41846. |
| III. & IV. | 54650. |

### VIII. ASSER 41500.

Jemma, Jeſua, Jeſui multiplicati per 8. dant

| | |
|---|---|
| pro I. Linea - - - - - - - - - | 24. |
| pro II. mult. 24. per 8. - - - - | 192. |
| pro III. mult. 182. per 11. & 10. per 12. - | 2122. |
| pro IV. mult. 2118. per 12. & 4. per 13. - | 25468. |
| III. & IV. | 27590. |

Heber & Malchiel nati ex Bria.
Hi multiplicati per 5. dant,

| | |
|---|---|
| pro I. Generatione | 10. |
| II. mult. 10. per 11. | 110. |
| III. mult. per 9. | 990. |
| IV. mult. per 12. | 11880. |
| III. & IV. | 12870. |

Alius ex Bria filius habet in

| | |
|---|---|
| I. Generatione | 1. |
| II. mult. per 8. | 8. |
| III. mult. per 10. | 80. |
| IV. mult. per 12. | 960. |
| III. & IV. | 1040. |

Hæ Generationes omnes additæ dant 41500.

IX. JOSEPH.

| MANASSE 32200. | EPHRAIM 40500. |
|---|---|
| I. Gener. - - - 10. | I. - - - - 16. |
| II. 6. mult. per 13. & 4. per 14. - 134. | II. mult. per 10. - 160. |
| III. 132. mult. per 12. & 2. per 13. 1610. | III. 152. mult. per 12. & 8. per 13. - 1928. |
| IV. mult. per 19. 30590. | IV. 1916. mult. per 20. & 12. per 21. 38572. |
| III. & IV. 32200. | III. & IV. 40500. |

X. BENJAMIN 35400.

Filii 10. Horum 2. per 9. 8. per 10. multipl. dant

| | |
|---|---|
| I. Generationem | 98. |
| II. 95. multipl. per 9. 3. per 10. | 885. |
| III. mult. per 5. | 4425. |
| IV. mult. per 7. | 30975. |
| III. & IV. | 35400. |

XI. DAN 62700.

| | |
|---|---|
| I. Generatio | 11. |
| II. mult. per 12. | 132. |
| III. mult. per 19. | 2508. |
| IV. mult. per 24. | 60192. |
| III. & IV. | 62700. |

XII. NAPHTHALI 53400.

Filii 4. quorum una medietas per 7. altera per 6. multipl. dant

| | |
|---|---|
| I. Generationem | 26. |
| II. 16. mult. per 11. & 10. per 12. | 296. |
| III. 288. mult. per 12. & 8. per 13. | 3560. |
| IV. mult. per 14. | 49840. |
| III. & IV. | 53400. |

Tribus omnes redactæ in ſummam.

| | |
|---|---|
| I. RUBEN | 46500. |
| II. SIMEON | 59300. |
| III. LEVI | 22300. |
| IV. JUDA | 74600. |
| V. ISASCHAR | 54400. |
| VI. SEBULON | 57400. |
| VII. GAD | 54650. |
| VIII. ASSER | 41500. |
| IX. MANASSE | 32200. |
| EPHRAIM | 40500. |
| X. BENJAMIN | 35400. |
| XI. DAN | 62700. |
| XII. NAPHTHALI | 53400. |
| Summa | 625850. |
| Eſt namque Iſraelitarum numerus, Leuitis exceptis. Num. I. 46. | 603550. |
| LEVITÆ. Num. III. 39. | 22300. |
| Summa ut ſupra. | 625850. |

# TAB. CCLXXXVIII.

## Num. Cap. II. verſ. 1 - 32.

1. Loquutusque eſt DOMINUS ad Moſen & Aharonem in hanc ſententiam.

2. Quisque ex filiis Iſrael caſtra figat ſub vexillo ſuo, & ſub ſignis domus patrum ſuorum, è regione circum Tentorium conſtitutionis caſtra figant.


3. Ponent autem Caſtra Orientem verſus ad exorientem Solem, qui ſunt ſub vexillo caſtrorum Jehuda per exercitus ſuos, & Princeps filiorum Jehuda fuit Nahaſon filius Aminadab.

1. Locutusque eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens.

2. Singuli per Turmas, ſigna atque vexilla, & domos cognationum ſuarum caſtrametabuntur filiorum Iſrael, per gyrum tabernaculi fœderis.

3. Ad Orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus ſui: eritque princeps filiorum ejus Nahaſſon, filius Aminadab.

4. Exer-




NUMER. Cap. II. v. 1-32.
Vexilla Tribuum.

IV. Buch Moſis Cap. II. v. 1-32.
Pannier der Stämmen.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

4. Exercitus autem ejus & cenſus eorum 74600.

5. Juxta hunc Caſtra ponent, qui ſunt de Tribu Iſaſchar, fuitque Princeps filiorum Iſaſchar Nethaneel filius Zuar.

6. Exercitus ejus atque cenſus ejus, 54400.

7. Tribus Zebulon, & Princeps filiorum Zebulon Eliab filius Helon.

8. Porrò Exercitus ejus & cenſus 57400.

9. Uniuerſi autem cenſus caſtrorum Jehuda 186400. per Exercitus ſuos, & primi ipſi proficiſcantur.

10. Vexillum Caſtrorum Ruben verſus Auſtrum ſit per Exercitus ſuos, Princeps autem filiorum Ruben fuit Elizur filius Zedeùr.

11. Porrò Exercitus ejus & cenſus ejus 46500.

12. Et juxta eum caſtrametabuntur Tribus Simeon, Princeps verò filiorum Simeon Selumiel, filius Zuri Sadai.

13. Porrò Exercitus ejus & cenſus eorum 59300.

14. Tribus quoque Gad, & Princeps filiorum Gad fuit Eliaſaph filius Rehuel.

15. Porrò Exercitus ejus & cenſus eorum 54650.

16. Uniuerſi qui cenſi ſunt ex Caſtris Ruben 151450. per Exercitus ſuos, & hi ſecundo loco proficiſcentur.

17. Tentorium vero Conſtitutionis proficiſcetur cum turba Leuitarum in medio Caſtrorum, & ſicut

4. Et omnis de ſtirpe ejus ſumma pugnantium, ſeptuaginta quatuor millia ſexcentorum.

5. Juxta eum caſtrametati ſunt de tribu Iſaſchar: quorum princeps fuit Nathanaël filius Suar.

6. Et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadringenti.

7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab, filius Helon.

8. Omniſque de ſtirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta ſeptem millia quadringenti.

9. Uniuerſi qui in caſtris Judæ annumerati ſunt, fuerunt centum octoginta ſex millia quadringenti: & per turmas ſuas primi egredientur.

10. In caſtris filiorum Ruben ad Meridianam plagam erit Princeps Eliſur filius Sedeur.

11. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quadraginta ſex millia quingenti.

12. Juxta eum caſtrametati ſunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel, filius Suri - Saddai.

13. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quinquaginta nouem millia trecenti.

14. In tribu Gad princeps fuit Eliaſaph, filius Duel.

15. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati ſunt, quadraginta quinque millia ſexcenti quinquaginta.

16. Omnes qui recenſiti ſunt in caſtris Ruben, centum quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta per turmas ſuas; in ſecundo loco proficiſcentur.

17. Leuabitur autem tabernaculum teſtimonii per officia Leuitarum, & turmas eorum: quomodo eri-

Caſtrametantur, ſic etiam proficiſcantur, unusquisque in loco ſuo ſub vexillo ſuo.

18. Vexillum Caſtrorum Ephraim cum Exercitibus ſuis ad Occidentem (caſtrametetur) & Princeps filiorum Ephraim Eliſchama filius Amihud.

19. Exercitus ejus & cenſus eorum 40500.

20. Juxta hunc erit Tribus Manaſſe & Princeps filiorum Manaſſe Camliel filius Pedazur.

21. Exercitus ejus & cenſus eorum 32200.

22. Tribus quoque Benjamin, & Princeps filiorum Benjamin Abidan filius Gideoni.

23. Exercitus ejus & cenſus eorum 35400.

24. Uniuerſi, qui cenſi ſunt è Caſtris Ephraim, 108100. per exercitus ſuos, & hi tertio loco proficiſcentur.

25. Vexillum verò Caſtrorum Dan cum Exercitibus ſuis Aquilonem (tenebit), fuitque Princeps filiorum Dan Ahiezer filius Ami-Sadai.

26. Exercitus ejus & cenſus eorum 62700.

27. Juxta eum caſtrametabuntur Tribus Aſer, & Princeps filiorum Aſer Pagiel, filius Achran.

28. Exercitus ejus & cenſus eorum 41500.

29. Tribus quoque Naphthali, & Princeps filiorum Naphthali Ahira filius Enan.

30. Et Exercitus ejus atque cenſus eorum 53400.

31. Uniuerſi, qui cenſi ſunt è Caſtris Dan, 157600. & poſtremo loco proficiſcentur cum vexillis ſuis.

getur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines ſuos proficiſcentur.

18. Ad occidentalem plagam erunt caſtra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Eliſama, filius Ammiud.

19. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quadraginta millia quingenti.

20. Et cum eis tribus filiorum Manaſſe, quorum fuit Gamaliel, filius Phadaſſur.

21. Cunctusque exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, triginta duo millia ducenti.

22. In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan, filius Gedeonis.

23. Et cunctus Exercitus pugnatorum ejus, qui recenſiti ſunt, triginta quinque millia quadringenti.

24. Omnes, qui numerati ſunt, in caſtris Ephraim, centum octo millia, centum, per turmas ſuas: tertii proficiſcentur.

25. Ad Aquilonis partem caſtrametati ſunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahieſer, filius Ammi-Saddai.

26. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, ſexaginta duo millia ſeptingenti.

27. Juxta eum fixere tentoria de tribu Aſer: quorum princeps fuit Phegiel, filius Ochran.

28. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati ſunt, quadraginta millia & mille quingenti.

29. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira, filius Enan.

30. Cunctus exercitus pugnatorum ejus quinquaginta tria millia quadringenti.

31. Omnes, qui numerati ſunt in caſtris Dan, fuerunt centum quinquaginta ſeptem millia ſexcenti: & nouiſſimi proficiſcentur.

32. Hic eſt cenſus filiorum Iſrael juxta domos patrum ſuorum, univerſi ſcilicet, qui cenſi ſunt caſtrametantes juxta Exercitus ſuos 603550.

32. Hic numerus filiorum Iſrael, per domos cognationum ſuarum & turmas diuiſi exercitus, ſexcenti tria millia quingenti quinquaginta.

Qui conceptum ſibi format de DEO, ejus eſſentia & proprietatibus genuinum, is perſpiciet facilè, Ens hoc ſupremum & infinitum id ſemper velle & exequi, quod infinita decernit Sapientia, verbo, eſſe DEUM Ordinis DEUM, *Mathematicorum Principem*, quo titulo cluet in Oratione Inaugurali Cl. *Joh. Caſpari Funccii*, Ulm. hoc ipſo quo ſcribimus anno Mathematicorum commodis erepti. Prolucet τάξις hæc, & perfectiſſima Tactica in ordinatiſſima Mundi totius compage, in Terræ noſtræ ſtructura, ubi omnia certo ordine, numero, pondere, menſura ſunt elaborata, imo in corporibus omnibus & corpuſculis. Et quicquid à DEO in Artem ipſam emanat, infinitam illam Sapientiam ubique ſpirat. Eſt ſanè *Arca Noachi* perfectiſſimum Exemplar *Architecturæ Naualis*, *Templum Solomoneum* & *Ezechielis Ciuilis*. Præſenti nunc conſiderationi ſubjicitur Diuina *Tactica* in populi Iſraelitici Caſtrametatione & progreſſibus.

Exercitus Iſraelitici fuere tres inprimis partes primariæ: prima extenſione minima, ſed intenſione maxima, & potentiſſima, ſitu intima, fuit ipſa DEI Sedes, Tabernaculum: ſecunda, quæ hanc cingebat, Sacerdotum & Leuitarum: tertia & extima Tribuum reliquarum Iſraelis, quæ quidem quadrante milliaris diſtabant à Tabernaculo: nam ex Joſ. III. 4. colligere licet, quod vacante cultu ad Arcam non propius accedere auſi fuerint, quàm 2000. ulnarum ſpatio. Diſtantiam ſanè amplam poſcebat non duntaxat reuerentia erga DEUM, ſed quoque ſpatium Exercitui numeroſiſſimo neceſſarium, quem componebant non ſolùm 600000. Viri milites, ſed hi cum totis ſuis Familiis, ut numerus haud minor fuerit 3000000. Hæ Familiæ omnes non ſparſæ & ſine ordine caſtra ſua metabantur, pecorum ad inſtar, vel, prouti ſolent Turmæ illæ Tartaricæ, & Orientalium Populorum Exercitus, ſed in exquiſitiſſima τάξει. Neque eſt dubium, quin ante per Ingeniarios quoſdam, vel viros Geometriæ peritos fuerint omnia in campis delineata, ſtationes ſingulis partibus & Tribubus adſignatæ, quàm caſtra fuerint de nouo poſita, ut quilibet & locum ſibi proprium, & viam ad Tentoria quæuis alia ſtatim inuenire potuerit.

Ambitum totius Exercitus conſtituebant quatuor Acies ad quatuor Mundi plagas diſpoſitæ, ſingulæ cum ſuis vexillis. Ad ortum nempe fuit *Juda*, ſub quo ſtabant *Juda*, *Iſaſchar* & *Sebulon*. Versùs Meridiem *Ruben*: ſub eo *Ruben*, *Simeon* & *Gad*: ad occaſum *Ephraim*, ſub eo *Ephraim*, *Manaſſe* & *Benjamin*: Boream versùs *Dan*, ſub eo *Dan*, *Aſer* & *Naphthali*. Sunt qui non ſolùm quatuor his Aciebus primariis, ſed ſingulis quoque Tribubus, ſua propria adſignant Vexilla; de quibus multa legere licet apud Talmudiſtas, qui & Colores definiunt, & Icones ſeu ſigna. In Vexillo *Judæ* volunt depictum fuiſſe *Leonem*, cum hac Epigraphe: *Surge DOMINE, & diſſipentur hoſtes tui, & fugiant, qui te oderunt, à facie tua*. Num. X. 35. Hoc Judæ ſignum colligunt ex Gen. XLIX. 9. *Iſaſcharo* tribuunt *Aſinum* ex Gen. XLIX. 14. *Sebuloni navem* ex Gen. XLIX. 13. *Rubeni Flumen* ex Gen. XLIX. 4. alii *Hominem*: *Simeoni Gladium* ex Gen. L. 5. *Gad Leonem* ex Deut. XXXIII. 21. *Ephraimo Unicornu* ex Deut. XXXIII. 17. *Manaſſe Bouem* l. c. *Benjamino Lupum* ex Gen. XLIX. 27. *Dani Serpentem* ex Gen. XLIX. 17. alii *Aquilam*. *Aſeri manipulum Spicarum* ex Gen. XLIX. 20. *Naphthali Ceruum* ex Gen. XLIX. 21. Sunt ex Doctoribus Chriſtianis, qui quatuor primarias Acies, harumque Principes referunt ad quatuor Evangeliſtas. Hos omnes ſibi & aliorum judiciis linquimus, uti & Vexillorum colores, quos eosdem volunt Judæi cum Gemmarum illis, quæ fulgebant in Aharonis Pectorali; progreſſuri ad alia intentioni noſtræ magis adæquata.

Additionis proba eſt, ſi ſummæ partiales junctim ſumptæ coincidant cum totali. Exemplum dat Textus. In Caſtris

| | |
|---|---|
| Judæ fuere - - - - - - | 186400. v. 9. |
| Rubenis - - - - - - - | 151450. v. 16. |
| Ephraim - - - - - - | 108100. v. 24. |
| Dan - - - - - - - - | 157600. v. 31. |
| | 603550. v. 32. |

ubi inter alia obſeruanda eſt Tacticorum Regula, quod Acies Anterior & poſterior (l'Avantgarde & Arrieregarde) numero ſuperent intermedias.

Eſt munditiés unum ex Caſtrorum benè ordinatorum requiſitis: hoc ſi ullibi, certè in ordinatiſſimo hoc Iſraelis Exercitu occurrit. Ad bina interiora, Tabernaculi, & Leuitarum, Caſtra non patuit aditus menſtruatis, non ulceroſis, aliiſque ad immundorum Claſſem relegatis. Ab intimo excluſi erant, qui ex contactu mortui immunditiem contraxerant: limitibus omnium trium Caſtrorum ejecti Leproſi. Ita explicat *Lundius Leuit. Prieſterth.* p. 215. illud Num. V. 2. 3. *Præcipe filiis Iſrael, ut ejiciant è Caſtris* (omnibus tribus) *omnem Leproſum, &* (ex binis interioribus) *omnem, qui*

 *fluit*,

*fluit*, & (ex intimo Sanctiſſimo) *quicunque mortui contactu contaminatus eſt*, & *marem* & *fœminam ejiciatis: extra Caſtra, inquam, ejiciatis eos, ne contaminent Caſtra ſua, in quorum medio ego habito. (Præcipe filiis Iſrael, ut ejiciant de caſtris omnem leproſum,* & *qui ſemine fluit, pollutusque eſt ſuper mortuo. Tam maſculum quam fœminam ejicite de caſtris, ne contaminent ea, cum habitauerint vobiscum.)* Ex Deut. XXIII. 10. &c. patet adhuc clarius, quo usque ſeſe extenderit Caſtrorum Iſraeliticorum mundities. *Si fuerit in te vir, qui non ſit mundus, ex euentu aliquo nocturno, is egrediatur extra Caſtra* (intima), *nec reuertatur in Caſtra, ſed ſub veſperam lauet ſe Aqua,* & *poſt Solis Occaſum ingrediatur iterum in Caſtra: Locus quoque ſit tibi extra Caſtra, ad quem foras egrediaris, lignumque præacutum in baltheo, cum quo foris ſedens fodias, conuerſusque operias excrementum tuum. (Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra Caſtra. Et non reuertetur, priusquam ad veſperam lauetur aqua;* & *poſt ſolis occaſum regredietur in caſtra. Habebis locum extra Caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ. Gerens paxillum in baltheo: cumque ſederis, fodies per circuitum,* & *egeſta humo operies, quo releuatus es.)* Notum eſt iis, quibus Sanitas Hominum & integrorum Exercituum curæ eſt, Morbos facilè generari poſſe ex fœtidis Excrementorum halitibus, Febres Caſtrenſes, Peſtilentiales, Dyſenterias, quapropter hodienum in caſtris prouidetur, ut Militum Latrinæ ſeparatæ ſint à Caſtris & Tentoriis, imò & Milites fortè decumbentes ſeparati à ſociis ſanis tractentur in certis Noſodochiis.

In *Tactica* occurrit *Alarum* diſtinctio, *dextræ* & *ſiniſtræ*. Has Exercitus noſter habuit non verſus unam duntaxat, ut communiter, Plagam, ſed verſùs omnes quatuor. Ad Ortum Ala dextra fuit Tribus Iſaſchar, ſiniſtra Sebulonis, corpus medium Judæ. Ad Auſtrum Alam dextram formauit Simeon, ſiniſtram Gad, Corpus Ruben: Ad occaſum dextram conſtituit Manaſſe, ſiniſtram Benjamin, corpus Ephraim: Verſùs Septentrionem in dextra Ala ſtetit Aſer, in ſiniſtra Naphthali, in medio Dan. Neque tamen tenuis fuit Acies, ut perfringi potuerit facilè, ſed formarunt ſingulæ Tribus, ut numeroſæ fuerunt, lineas unam poſt alteram, ut primâ perruptâ ſecunda potuerit reſiſtere, ſecundâ fractâ ſiue debilitatâ tertia obicem ponere, & ſic deinceps.

Ubi tanta, quanta in Exercitu numeroſo, populi adeſt multitudo, oportet præſtò ſint, vel venum proſtent omnia victui neceſſaria. Heic, in Iſraelitico, nîl horum defuit. Panis pluebat cœlo. Alia, etiam ad pompam facientia, ſuppetebant abundè: aderant, ſi *Joſepho* fides, Fora publica, Tabernæ variæ. Ita ille *Ant.* L. III. c. 11. πηγνύντες δὲ τὴν σκηνὴν, &c. *Compacto igitur Tabernaculo, in medium Caſtrorum illud receperunt, tribus Tribubus per latera, ſingula tendentibus, inter quas viæ,* ὁδὸι, *intercedebant. Forum* κόσμος ἀγορᾶς, *quoque rerum venalium eſt propoſitum,* & *merces ſuo quæque loco diſpoſitæ: aderantque opifices omnium Artium, in ſuis officinis,* ἐργαστηρίοις, *ut planè ciuitas,* πόλις, *videretur huc atque illuc commeans.* Mentio quoque fit Exod. XXXII. 27. Portarum Caſtrenſium. *Ponite quisque gladium ſuum ſuper femur ſuum, tranſite* & *redite de Porta ad Portam in Caſtris.* Inde ſanè inferre licet, egiſſe Iſraelitas in Portis iſtis excubias, imo fortè, ſi ſubſtiterint, vallo ſi non cinxiſſe caſtra, ſaltem Portas muniiſſe; atque prætendit *Sagittarius de Jan. Vet.* c. 18. §. 10. excubias habuiſſe Leuitas non duntaxat ad Tabernaculum, ſed quoque ad ingreſſum in caſtra Iſraelis in Portis illis.

Amplitudinem Caſtrorum Iſraeliticorum ſi conſideremus, non poſſumus non eam extendere ad longum ſpatium, ſi conferamus cum hodiernis Exercituum etiam maximorum Caſtris, qui ad 100000. vel etiam 150000. aſſurgunt milites. Judæi ambitum faciunt 12. milliarium, quod fidem haud excedit, ita Latus ad quamuis Plagam foret 3. Milliarium. Peramplo certè ſpatio opus fuit tum ad Tentoria pro Militibus & horum Familiis numeroſis, tum pro jumentis, pecoribus, & ſuppellectili. Adornare poterit, qui volet, Schematiſmum ex Hypotheſi *Reyheri Math. Moſ.* p. 568. qui ponit pro

*Tribu Juda.*

Latitudinem $298\frac{2}{5}$. cubitorum.
Longitudinem 250.

74600. cubit. quadrat.

ubi probè notandum, hoc ſpatio opus fuiſſe, ſi ſteterint omnes hujus Tribus milites clauſi juxta inuicem in ſuis Ordinibus, neque pro viro plus poni quàm ulnam quadratam, proinde ampliori longè ſpatio opus fuiſſe pro hujusdem Tribus metatione, Tentoriis, Plateis, Familiis, Jumentis, Suppellectili, quæ omnia Reyherus indefinita linquit. Porrò

pro *Tribu Iſaſchar.*

Latit. $217\frac{3}{5}$.
Longit. 250.

54400.

pro *Tribu Sebulon.*

Latit. $229\frac{3}{50}$.
Longit. 250.

57400.

pro *Tribu Ruben.*

Latit. $143\frac{1}{3}$.
Longit. 325.

46500.

pro *Tribu Simeon.*

Latit. $182\frac{6}{13}$.
Longit. 325.

59300.

pro

pro *Tribu Gad.*
Latit. 140½.
Longit. 325.
45650.

pro *Tribu Ephraim.*
Latit. 202½.
Longit. 200.
40500.

pro *Tribu Manaſſe.*
Latit. 161.
Longit. 200.
32200.

pro *Tribu Benjamin.*
Latit. 177.
Longit. 200.
35400.

pro *Tribu Dan.*
Latit. 156¾.
Longit. 400.
62700.

pro *Tribu Aſer.*
Latit. 103¾.
Longit. 400.
41500.

pro *Tribu Naphthali.*
Latit. 133½.
Longit. 400.
53400.

Qui hoc fundamento nixus delineare cupit Ichnographiam Caſtrorum, vel etiam Scenographiam, is in Centro pro Atrio Tabernaculi format primò Parallelogrammum 100. Cubitorum in longitudine & 50. in latitudine, circum quod circa ſpatium linquit vacuum 50. Cubitorum in Latitudine, dehinc verſùs Occaſum Caſtra ponit Leuitarum, nempe

*Gerſonitarum* Num. III. 22. 23.
Latit. 30.
Longit. 250.
7500.

verſùs Meridiem *Kahathitarum* Num. III. 28. 29.
Latit. 86.
Longit. 100.
8600.

ad Septentrionem *Meraritarum* Num. III. 34. 35.
Latit. 62.
Longit. 100.
6200.

Ad ortum ponenda ſunt Tentoria pro Moſe, Aharone, & filiis ejus. Num. III. 38.

Ubi ſeſe terminant Caſtra Sacerdotalia, aliud ſpatium vacuum linquitur latum in omnes Plagas 2000. Cubit. ultra quod metanda ſunt 12. Tribuum Caſtra.


Specioſa ſunt hæc, fateor, ſed Ichnographiam dant contractam nimis, ut quoque ſpecioſa ſunt, quæ pinguntur paſſim & ſculpuntur, inter Icones Biblicas obuia, oculos magis paſcentia quàm animum. Quapropter ex defectu Commentarii, qui mihi ſatis poſſit facere, tentare ipſe volui, quid poſſint Caſtrametationis, etiam modernæ, Leges Sacræ Scripturæ applicatæ, ut formari poſſit Idea Caſtris DEI omnium & maximis & perfectiſſimis, quæ fuere unquam, magis accommoda. Rem autem quomodo fuerim aggreſſus proponam diſtinctè, & quibus fundamentis nixus adornauerim figuras. Legitur Exod. XVIII. 21. Deut. II. 15. Jethronis conſilium Moſi Genero datum, & Politico Regimini & Militari diſciplinæ ſalutare. *Ex omni populo tu proſpice viros fortes, timentes DEUM, viros veraces, odientes auaritiam, & præfice illos Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, atque Decuriones.* Poſſunt hi *Tribuni*, potius *Chiliarchæ*, conferri commodè cum noſtris *Colonellis*, *Centuriones* ſeu *Hecatontarchæ* cum *Ducibus* ſeu *Capitaneis*, *Quinquagenarii* ſeu *Pentecontarchæ* cum *Locotenentibus*, *Decuriones* tandem ſeu *Decarchæ* cum *Excubitoribus*, quos Sergeants, *Wachtmeiſter*, nuncupare ſolemus. Sumebantur hi ſeu Magiſtratus ſeu Officiarii ex ſuis Tribubus ſinguli, ut non admiſſi fuerint ἀλλόφυλοι. Quod dirimi aut terminari non poterat per Decarcham, deferebatur ad Pentecontarcham, quod ab hoc non, ad Hecatontarcham, cui & hic impar erat, ad Chiliarcham: ab hoc tandem ad Moſen, à Moſe ad DEUM, Exercitus DOMINUM. Diuide numeris jam expoſitis integrum Iſraelitarum, qualis Ægypto egreſſus eſt, Exercitum, inuenies Chiliarchas 600. Hecatontarchas 6000. Pentecontarchas 12000. Decarchas 60000. Officiarios in uniuerſum 78600. Specialius adhuc determinat *Joſephus* præpoſitos numerans ſuper 10000. 1000. 500. 50. 30. 20. 10. Occurrit Textus *Ant. Jud.* L. III. c. 4. τὸν ςρατὸν ἐξετάσεις ἀκριβῶς, ϗ κατὰ μυρίȣς τȣ́των κεκριμένȣς ἄρχοντας ἀποδείξεις. εἶτα κατὰ χιλίȣς. διαιρήσεις δὲ μετ᾽ αὐτȣ̀ς πεντακοσίȣς, ϗ πάλιν ἐς ἑκατὸν, εἶτ᾽ εἰς πεντήκοντα. Ἄρχοντάς τε ἐπὶ τȣ́τοις τάξεις οἱ κατὰ τριάκοντα μεριθέντας διακοσμήσȣσι, καὶ κατὰ εἴκοσι ϗ δέκα συναριθμȣμένȣς. ἔσω δέ τις ἐπὶ τȣ́τοις εἰς τὴν προσηγορίαν ἀπὸ τȣ̃ τῶν ἀρχομένων ἀριθμȣ̃ λαμβάνων. *Exercitum perfectè diſpone per dena millia viros, deinde per mille, ita poſt hæc diuides eos per quingentos, & rurſus in centum, deinde in quinquagenos, & judices conſtitues ſuper eos. Qui per triginta rurſum diuiſi, & per vicenos & denos, habebunt proprios Judices eorum negotia finientes. Sit autem aliquis ſuper illos unus, vocabulum à principio numeri ſumens.* Hinc *Zonaras* Juriſconſultus καὶ κατὰ μυρίȣς ἄρχοντας ἀποδεικνύειν τὸν γαμβρὸν συνεβȣ́λευεν ὁ Ραγȣὴλ. Εἶτα κατὰ χιλίȣς, ϗ κατὰ πεντακοσίȣς ἑτέρȣς ἐφιςᾶν. Καὶ ἐπὶ τȣ́τοις ἑκατοντάρχȣς ϗ πεντηκοντάρχȣς ποιεῖν, ϗ ἐν τριάκοντα ϗ εἴκοσι, καὶ δέκα ἐφιςᾶν τȣ̀ς διακοσμήσαντας.

Silentio heic prætereunda non eſt Diuiſio decadica, nam bis 10. dant 20. ter 10. 30. quinquies 10. 50. decies 10. 100. decies 50 500. decies 1000. 10000. Ad eundem modum Exercitum diſtribuiſſe dicitur *Magnorum*, uti vocan-

vocantur, *Chamorum* primus *Cangio*, & poſt eum *Tamerlanes*, nempe in 10. 100. 1000. 10000. Videre id eſt apud *Alhazen.* c. 5. Et mutuati fortè ſunt Tartari illi hunc Caſtrametationis ordinem ab ipſis Hebræis. Antiquior ſanè non eſt, quàm quem Scriptis ſuis tradit Moſes. Poteſt ita hæc, ad diſtinctionem *Græcæ* & *Romanæ*, jure vocari *Caſtrametatio Hebraica*, vel, ſi ita appellare lubeat, *Diuina*, & eo ipſo omnium perfectiſſima. Et denariam illam Progreſſionem, quæ ipſi Arithmeticæ dat fundamentum, haud turbat, quòd Moſes ponat Pentecontarchas medios inter Hecatontarchas & Decarchas, ſiue 50. inter 100. & 10. & *Joſephus* 1000. inter 500. & 10000. 30. & 20. inter 10. & 50. Fuerunt hi officiarii intermedii pariter & commodi & neceſſarii, uti hodie multitudo officiariorum haud turbat ordinem, imo vero duplicata ſæpe militiam tantò melius in ordine ſeruat. Ita occurrent in militia moderna poſt Imperatores, ſiue Duces ſupremos, les Generaux del' Armée, qui præficiuntur Exercitui integro, Camporum Mareſcalli, Brigardiers, qui proponuntur militibus 5000. Inter Chiliarchas ſeu *Colonellos* & Hecatontarchas ſeu Capitaneos, Colonellos Locotenentes, *Colonels Lieutenants*, inter Hecatontarchas & Decarchas, Capitaneos Locumtenentes, *des Capitains Lieutenants*, infra hos Locumtenentes, *des Lieutenants*, & Vexilliferos, des *Enſeignes.*

Habet ſanè decadica Exercitus diſtributio, & hac fundata Caſtrorum metatio, præ Græca, Romana, & quæ celebres olim cunque fuerunt aliæ, prærogatiuas inſignes, quas vel in Compendio ſiſtere operæ erit pretium. Δαδȣ̃χος ſit *Simon Steuinus Caſtrametat.* c. 1. *Art.* 1. & c. 4. *Art.* 3. *Oper. Math.* p. 574. 596. Juxta hanc partitionem Milites, vel, ſi mauis, Patresfamiliàs in ſerie rectæ lineæ per Decades diſpoſiti facile potuerunt nominari omnes, primus, ſecundus, &c. Centenarii quiuis ſua habere vexilla minora, millenarii majora, decies mille maxima: Quilibet officiarius ab infimi generis Excubitoribus ad usque Præfectos Campi Generales, & ſi velis Generaliſſimos inſpectionem habet duntaxat 10. Hominum, commodam & facilem, Decarcha 10. militum, Hecatontarcha 10. Decarcharum, Chiliarcha 10. Hecatontarcharum, Præfectus cujusque Tribus in Chiliarchas, qui denarium numerum nullibi attingunt. Ita ſi quiuis officio ſuæ inſpectionis fungitur, omnia in campo etiam ampliſſimo erunt optimè diſpoſita. Par ratio eſt vel litium componendarum inter Milites, vel aliarum rerum foro officiariorum ſubjectarum: laborum ſuſcipiendorum, pro caſtrorum mutatione, operibus defenſiuis extruendis, foſſis cauandis: Memoria retineri poterat facile hæc partitio, ubique eadem, in Codicillis conſignari nomina tum Officiariorum, tum Militum, ſtipendia diſtribui, eorumque exacta teneri ratio: ad omne temporis momentum ſciri numerus, quid deficiat, quid exundet: quilibet officio ſuo alligari, in ſerie ſua, ne limites excedat, retineri, ſi fortè fugitiuus fiat, aut in auia diſcedat, obſeruari, caſtigandus pro ſuo meritò; vexillis per numeros notatis quilibet militum illicò inueniri, cognitâ, de qua fuit, cohorte: ipſa Arma certis inſigniri, vel diſtingui, notis, ut ſtatim poſſet enuntiari, cujusnam præciſè eſſet militis, & e. g. 8. 2. 7. 3. denotaret octauum ſeu militem, ſeu patremfamiliâs in ſecunda ſerie ſeptimæ cohortis, de tertia Chiliade. 7. 3. 5. haſtam Decurionis ſeu Excubitoris ſeptimæ ſeriei in tertia cohorte quintæ Chiliadis: 5. 8. Hecatontarchæ ſeu Capitanei quintæ cohortis in octaua Chiliade. 7. Chiliarchæ ſeu Colonelli ordine ſeptimi. 0. denique Præfecti totius Militiæ generalis. Sic quoque præueniri poteſt alienationi vel ſuffurationi armorum. Porrò poſſunt breui tempore Milites informari in Armorum exercitio, quia quælibet Decas ſuum habet Excubitorem pro Informatore: currus ſeu vehicula alia commode diſpartiri, decem ſub Decurione, 100. ſub Hecatontarcha, & ſic porro, iisdem, quibus ſupra, numeris ſignata; imo & in ordine teneri.

RPJCB





NUMER. Cap. II. v. 1-32.
Castra pro 200 Israelitis.

IV. Buch Moſis Cap. II. v. 1-32.
Lager vor 200 Iſraeliten.

M. Tyroff sculp.

RPJCB




NUMER. Cap. II. v. 1-32.
Castra pro 2500. Israelitis.

IV. Buch Moſis Cap. II. v. 1-32.
Lager vor 2500 Iſraeliten.

*I. Stridbeck sculps.*

# TAB. CCLXXXIX.

NUnc agitedum rem aggrediamur ipſam, poſituri ob oculos ejusmodi Schematismos, qui claram dabunt haud dubiè Caſtrametationis Iſraeliticæ Ideam. Heic majori ſcalæ Geometricæ modulo ſiſtuntur milites, ſeu potius, Patresfamiliâs 200. totidem nempe Tentoria, quorum unum eſt J a b c. In hujusmodi tentoriis hodie locantur 8. incirca milites, unde hæc Figura contineret 1600. milites; heic vero in uno Tentorio loco patremfamiliâs cum ſua Familia, nunc majori, nunc minori, & filiis nunc majorennibus arma portantibus, nunc minorennibus armorum jure nondum donatis. Tentoria ſingula latus habent 8. pedum, aream proin 64. pedum quadratorum. J K. ſeriem exhibet Tentoriorum 10. His præpoſitus eſt Decarcha in ſuo Tentorio B d e f, ſpatio interjecto 8′. a g h i. viam deſignat inter duas Tentoriorum ſeries: hodie vocant *eine Compagnie Gaſs*. g h l k. ſunt duæ Tentoriorum ſeries dorſatim junctæ: ſingulis ſemper præfiguntur ſui Decuriones, juxta lineam B. A. ſeriatim poſiti. Poſt Militum Tentoria ſeriatim ſequuntur ſpatio interjecto 8′. F. F. Icoſiarchæ, 20. nempe Familiis præpoſiti, & rurſus poſt 8′. ſpatium Pentecontarchæ G G. 50. Tentoriis à K. ad m. præfixi. Rurſum interuallo 12. pedum interjecto ſequantur in amplioribus Tentoriis in linea H H. bini Hecatontarchæ, ſinguli 100. Tentoriis à K. ad n. præfecti, quorum latus 16′. omne hoc ſpatium A B L H. quod poſcunt 200. Patresfamiliarum commodè locandi eſt 38400. pedum quadratorum.

# TAB. CCXC.

IN hac Tabula juxta minoris ſcalæ modulum diſpoſitos en patresfamiliâs 2500. nempe in ſpatio H H I I. 500. in linea A B. Decuriones K K. Icoſiarchas L L. Pentecontarchas. Inter E. & B. ſpatium adeſt 100. Pedum, commodum pro ſeparandis 500. quibusuis Tentoriis, locandis altioris ordinis officiariis, adornandis foris. C. Tentoria ſunt Præfectorum pro Tentoriis 500. M. pro Chiliarcha ſiue Colonello. N. pro Præfecto Campi hujus Generali. Horum Caſtrorum longitudo eſt F O. 456½′. Latitudo A F. 1300′. A F O E. ſpatium integrum pedum 593450. quadr. quod juxta priorem calculum poſceret 485000′. Rotundo numero poni poteſt, & ponetur in ſequentibus calculis 500000′.

Qui volet, delineabit Caſtra pro ſingulis Tribubus, minori adhuc adhibita ſcalâ, inuenietque pro

| | |
|---|---|
| Ruben - - - - - - - - - | 9300000′. |
| Simeone - - - - - - - - | 11886000. |
| Leuitis. Gerſonitis - - - - - | 1500000. |
| - - Kahathitis - - - - - - | 1720000. |
| - - - - - Meraritis - - - - - | 1240000. |
| Juda - - - - - - - - - | 14920000. |
| Iſaſchar - - - - - - - - - | 10880000. |
| Gad - - - - - - - - - - | 9120000. |
| Aſſer - - - - - - - - - - | 8300000. |
| Manaſſe - - - - - - - - - | 6440000. |
| Ephraim - - - - - - - - | 8100000. |
| Benjamin - - - - - - - - | 7080000. |
| Dan - - - - - - - - - - | 12540000. |
| Naphthali - - - - - - - - | 10680000. |

# TAB. CCXCI.

Lubet tandem in unica Tabula ſiſtere tota Iſraelitarum Caſtra, prouti quidem ea videntur commoda. Hunc in finem opus habeo, ex ſpatiis præexpoſitis extrahere Radices Quadratas, ut ſingulis Tribubus adſignari queant vel Areæ quadratæ, vel Rectangula parallelogramma. Invenio autem ſequentes, pro

| | |
|---|---|
| 1. Ruben | 3049. |
| 3. Simeon | 3443. |
| 13. Gerſonitis | 1224. |
| 14. Kahathitis | 1311. |
| 15. Meraritis | 1113. |
| 4. Juda | 3862. |
| 5. Iſaſchar | 3298. |
| 6. Sebulon | 3388. |
| 2. Gad | 3019. |
| 7. Aſer | 2880. |
| 10. Manaſſe | 2537. |
| 11. Ephraim | 2846. |
| 12. Benjamin | 2660. |
| 8. Dan | 3541. |
| 9. Naphthali | 3268. |

In centro omnium Caſtrorum colloco Tabernaculum 100. cubitos longum, 50. latum: in diſtantia 840′. Caſtra Leuitarum, eo, quo deſcribuntur in Sacris, ſitu. Spatium Caſtrorum integrum inuenio 259600000. Caſtrorum autem ſupra definitorum pro ſingulis Tribubus ſummam inuenio pedum 125210000. Erit proin ſpatium inter Caſtra medium 134390000. Quod ſi cum *Eiſenſchmidio* pro Milliari antiquo Romano ponam 766. hexapodas Gallicas & 2. pedes, adeoque pro tali Milliari quadrato 21141604. pedes quadratos, continebit Exercitus Iſraeliticus 12. Milliaria Romana quadrata, & quod excurrit.

# TAB. CCXCII.

## Num. Cap. III. verſ. 39. 43.

39. Omnis autem cenſus Leuitarum, quos recenſuit Moſes & Aaron juxta juſſionem DOMINI per familias ſuas, omnes mares ab eo, qui fuit unius Menſis, & ſupra, fuerunt viginti duo millia.

43. Fueruntque omnia primogenita maſcula, juxta numerum nominum, ab eo, qui erat unius Menſis, & ſupra, juxta cenſum eorum viginti duo millia, ducenta & ſeptuaginta tria.

39. Omnes Leuitæ quos numerauerunt Moyſes & Aaron, juxta præceptum Domini, per familias ſuas in genere maſculino, à menſe uno & ſuprà, fuerunt viginti duo millia.

43. Et fuerunt maſculi per nomina ſua, à menſe uno & ſuprà, viginti duo millia ducenti ſeptuaginta tres.

Occurrit heic nodus tantùm non inextricabilis. Supra


| | |
|---|---|
| v. 22. Gerſonitæ numerantur | 7500. |
| v. 28. Kahathitæ | 8600. |
| v. 34. Meraritæ | 6200. |
| qui ſummam conficiunt | 22300. |
| quæ ſanè non congruit cum v. 39. | 22000. |

v. 43. extat numerus primogenitorum, nempe extra Tribum Leuiticam, DEO ex Lege deuotorum 22273. debebat proin juxta v. 46. à ſuperabundantibus 273. peti λύτρον, quod juxta v. 50. pro ſingulis perſonis 5. Sicli, faceret ſummam Siclorum 1365. ſiue Florenorum 1023. crucigerorum 35. Aſt ſi connumeres Leuitarum ſpecies, videbis 27. eſſe, qui redundant ſupra primogenitos, ut proin haud opus fuiſſet λύτρῳ, cujus tamen expreſſa ſit mentio.


Nodum hunc ſeu ſoluunt, ſeu ſecant, Interpretes duplici fere modo. Non diſplicet *Clerico Comm.* in h. l. Interpretum explicatio, *in*

*Leui-*

PJCB




NUMER. Cap. II. v. 1-32.
Tactica Israelitarum.




IV. Buch Moſis Cap. II. v. 1-32.
Iſraelitiſche Lager-Ordnung.

*I. Stridbeck sculps.*

RPJCB




NUMER. Cap. III. v. 39-43.
Numerus Levitarum.

IV. Buch Moſis Cap. III. v. 39. 43.
Zahl der Leviten.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

RPJCB



NUMER. Cap. V. v. 17. 26-28.
Δοκιμασία ſuſpectarum.

IV. Buch Moſis Cap. V. v. 17. 26-28.
Prüfung verdächtiger Weiber.

*B. S. Sedlezkÿ sculp.*

*Leuitica Tribu 300. fuiſſe primogenitos, aut Sacerdotes, qui ſingulari jure DEO jam ſacri erant, ac proinde aliorum* λύτρα *eſſe non poterant, ut ii ex Leuitis, qui redimendis Iſraeliticis primogenitis apti erant, numero pauciores fuerint, quàm primogeniti reliquarum Tribuum.* Alii mendum in Codicem irrepſiſſe contendunt, & legendum v. 28. pro שֵׁשׁ מֵאוֹת *ſcheſch meoth.* 600. שָׁלוֹשׁ מֵאוֹת *ſchaloſch meoth.* 300. Hanc opinionem ſuſtinet inprimis *Lud. Capellus*, quum contra *Joh. Buxtorffius* in *Anticritica ſacra* P. II. & Orthodoxi alii illis tantùm non crimen Sacrilegii imputent, qui vel punctum in codice ſacro mutare contendunt. *Moderationem Chriſtianam viris doctis ſuadet Ludolfus Comm. in Hiſt. Æth.* p. 83. *ne illicò damnent, aut ſacrilegii accuſent alios, ſi alicubi mendum Librarii interueniſſe putent, in cæteris autem integritatem & Sinceritatem S. Scripturæ in rebus Fidei & morum agnoſcant & defendant, quia ſcimus, nos autographa Prophetarum non habere, ſed apographis Hominum ab erroribus non immunium uti.* Sed tutius eſt, vel ad redimendam vexam, in quauis alia, vel probabili, explicatione acquieſcere, quàm in Textus mutatione Aſylum quærere.

# TAB. CCXCIII.

## Num. Cap. V. verſ. 17. 26. 27. 28.

| | |
|---|---|
| 17. Sumat inſuper Sacerdos Aquas ſacras in vaſe fictili, & de puluere, qui fuerit in pauimento Tabernaculi tollat Sacerdos, & ponat in Aquam. | 17. Aſſumetque Aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. |
| 26. Apprehendat quoque Sacerdos ex iſto Sacrificio cibario volam plenam ad monumentum ejus, incendetque in Ara, & poſthac det mulieri potum illius Aquæ. | 26. Pugillum ſacrificii tollat de eo quod offertur, & incendat ſuper altare: & ſic potum det mulieri aquas amariſſimas. |
| 27. Quum verò Aquas potauerit ſi fuerit polluta, & ſcelus deſignauerit aduerſus maritum ſuum, ingredientur in eam Aquæ iſtæ execrantes, ut amaricent, & intumeſcet venter ejus, cadetque femur ejus, erit Mulier illa execrata in medio populi ſui. | 27. Quas cum biberit, ſi polluta eſt, & contempto viro adulterii rea, pertranſibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computreſcet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. |
| 28. Si verò polluta non fuerit mulier hujusmodi, ſed munda, noxæ eximetur, & (a) fœcunda reddetur. | 28. Quod ſi polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos. |

(a) Seminabitur ſemine.

Eſt, quod negari nequit, Imaginationis vis ingens, Affectuum Animi major. Exempla multa allegare haud opus: non tamen ea omittam, quæ ad rem faciunt præſentem. Perſuaſi ſunt multi, & è fæce populi, & ordinis altioris, poſſe Magiæ ope fures in certis ſaltem caſibus detegi, & angariari ita, ut res ablatas etiam in ſudorem acti reſtituere cogantur. Nec poſſunt non quos furti accuſat propria conſcientia, ſimulque de certitudine memoratarum modò operationum conuincit ſaltem Imaginatio, extra tranquillitatem poni, corde ſuo angi, imò ad ſudores diſponi, ut non degant prius ſecurè, quam reſtituerint ablata, perſuaſi ſcilicet, artibus illis, ſi fortè adhiberentur, & magis adhuc, ſi certò nouerint adhiberi, vel fuiſſe adhibitas, ſe poſſe reuocari & cogi ad reſtitutionem in priſtinum locum. Et noui, ſudaſſe ex hoc principio, qui res etiam leuiculas abſtule-

ſtulerunt alteri, præſente tertio, qui per jocum ſaltem ſe jactabat Artis hujusmodi reuocatoriæ magiſtrum. In hoc fortè artificio conſiſtit Capucinorum illa, ſi vera eſt, ablatorum manifeſtatio: Magiæ enim accuſare religioſos Patres non audeo, ſed nec perſuaderi poſſem, fieri, quæ de illis narrantur, per Miracula verè ita dicta. Ita, dicet quis, potuit vel ſola repræſentatio Proceſſus inſtituendi cum ſuſpecta, vel Proceſſus ipſe inſtitutus ita terrere Imaginationem, ut vel ante confeſſa fuerit crimen, quàm ad rem fuerit ventum, vel ex cauſis naturalibus ſequi funeſti illi, de quibus in Textu, effectus.

Confirmari facilè poterit in hac ſententia, qui Ceremoniale ipſum conſiderat, prouti id recutiti deſcribunt, in omnibus ſuis circumſtantiis. A prima Juris ſeu Tribunalis inferioris inſtantia mitti Hieroſolymam, Diuini Cultus, imo DEI ipſius ſedem; ſiſti coram Synedrio magno; blandis ibi verbis ad confeſſionem ſpontaneam diſponi; duci ab hoc ſupremo & formidando Tribunali ad Atrium exterius verſùs Nicanoris Portam; imo non rectâ viâ, ſed per ambages circumduci; in ipſa via ab integro Comitatu angariari & laſſari, in loco ipſo diræ Executionis coram populo uniuerſo à Sacerdote denudari pectoretenus, veſtibus diſciſſis, velo Capitis orbari, & omni Capitis tegumento, crinibus expanſis inſtar Megæræ ſiſti, vel atra veſte, vel turpi & lacerâ indui; Inauribus aliisque ornamentis priuari; circa Ventrem loro ex ſaliceo vimine cingi; Zelotypiæ ſacrificium ex ipſius Mariti, forſan falſo Zelo abrepti, manibus recipere, idque oleo & Thure orbum, diu in conſpectu populi retinere; à Sacerdote de inſtanti proximè judicio Aquæ Amaræ admoneri; diris tandem, ſi rea fuerit, imprecationis verbis onerari: omnium adeò ludibrio, maledictionibus, criſi, Ignominiæ exponi. Hæc omnia, inquam, debebant in triſtiſſimam conſternationem dejicere vel conſtantiſſimam, imo & innocentiſſimæ Imaginationem & Affectus turbare ita, ut non mirum ſit, ſi rea, vel cujuscunque infidelitatis conſcia præ angore & terrore tantùm non conciderit, ſeu ſyncopica, ſeu mortua. Omnia hæc, ſi generatim conſiderentur, valent pro cauſis effectus naturalibus, & ſubſcribet, qui non ignorat Paſſionum Mentis ſtupendas in Corpus vires, & præterea conſiderat, vel ſolam conſtitutionem eſſe proſtitutionem.

Nihilominus cum aliis Interpretibus in ea ſum ſententia, interueniſſe heic aliquid, quod ſupra vires eſt Naturæ; Judicium diuinum, hujusque manifeſtationem ἀπὸ μηχανῆς. Colligo id tum ex Aquæ Maledictæ ingredientibus, tum ex Potus ipſius effectibus. Ingredientia fuere *Aqua Sacra* propinanda *una cum puluere, qui fuerit in pauimento Tabernaculi in vaſe fictili.* Pone etiam, quod Judæi nonnulli volunt, immiſcuiſſe Sacerdotem amari quid ex Abſinthio, vel abraſo Atramento ex charta pergamena, cui diræ maledictionis votum fuerat inſcriptum: harum cauſarum nondum video nexum cum inſecuta *Ventris intumeſcentia*, & *femoris caſu*, vel, quod Judæi addunt, ſubitanea Faciei & Oculorum intumeſcentia, corporis totius corrugatione, Hydrope, Lapſu, aut putreſcentia gangrænoſa uteri (nam יָרֵךְ *jarek* non ſemper notat Femur, ſed & partes genitales, vel Uterum, ut Gen. XLVI. 26. Exod. I. 5. Num. V. 22. *Bochart Hieroz.* P. II. L. V. c. 15.) Non equidem extra omne eſt dubium, quid intelligi debeat per *Femoris*, ſi hoc denotet יָרֵךְ *caſum*, an Luxatio & facilis ex Acetabulo prolapſus, vel Atrophia, & ex hac illaue cauſa orta Claudicatio? Naturales cauſæ ſuos in corpora naturalia habent naturales effectus, ſeu rea ſit criminis, ſeu innocens perſona. Et ſanè ludibrio fuiſſet expoſita ipſa DEI Lex, ſi vel non habuiſſet, quos interminatus fuit Legislator, Aqua maledicta in reis effectus, vel exercuiſſet in innocentibus. Stringeret adhuc magis hæc argumentatio, ſi etiam in rea caruiſſet potus ſuo effectu, marito ipſo ejusdem criminis conſcio. vid. *Miſchna Sota* c. 4. *Sect.* I. 2. 3. 4. 5. cum *Wagenſeilii notis* in ejusdem not. 2. ad *Miſchna Sota* c. 1. *Sect.* I. *Selden uxor. Hebr.* L. III. c. 13. & de integro hocce Proceſſu *Lund. Levit. Prieſter.* L. III. c. 55.

Redeo iterum ad cauſas Phyſicas, non coacturus nebulas, ſed diſſipaturus, præeunte Cel. *Mich. Frid. Lochnero* Tract. erudititiſſimo *de Nerio* p. 83. Poſſet quis conjectare, fuiſſe Aquas illas docimaſticas amaras redditas per *Hirdophnen*, ſiue *Ardiphnen*, *Rhododendron*, quæ Planta Herbis quoque Paſchalibus addita iis inſuper prædita ſit qualitatibus vere deleteriis, quæ Symptomata recenſita cauſari potuerit. Audiamus *Santen Ardoinum de Venen.* L. III. c. 21. *Natura Oleandri ſiue Nerii eſt valde reſolutiua, & mordicatiua & inciſiua, cum venenoſa proprietate, adeò ut bibere Aquam, in qua naſcitur, aut ab ipſo obumbratur, aut in ipſa balneari, aut bibere de Aqua calefacta cum ipſo, aut balneari in Aqua, ſeu balneo calefacto cum eo, aut comedere aliquid aſſatum in veru ex eo facto, & diu morari; & præſertim dormire ſub umbra ejus, inducat accidentia infra ſcripta: nempe anguſtia vehemens, rugitus, inflatio ventris, dolor ventris, alienatio mentis, æſtuatio & inflammatio, & Ventris fluxus, & Syncope & Mors, niſi ſuccurratur.* Nerii vulgaris Icon quia alibi eſt expoſita, impræſentiarum ſiſto ex Illuſtris *Sloane Hiſt. Nat. Jamaic. Vol.* II. p. 62. Tab. 186. Fig. 2. *Nerium arboreum folio latiore obtuſo flore luteo minore* Fig. A. Et Venenum Aquis iſtis immiſtum fuiſſe prætendit R. *Solomon Zirza* in explic. Comment. Abenezræ in Pentateuch. *Fons vitæ* inſcript. fol. 91. Conjecturam hanc ſubruit præter ſilentium Scripturæ, & Optimorum quorumcunque Interpretum authoritatem vel id, quod nondum, vel ſuppoſitâ Nerii commiſtione,

RPJCB



NUMER. Cap. VI. v. 2. 3. 4.
Leges Naziræorum.

IV. Buch Moſis Cap. VI. v. 2. 3. 4.
Geſetze der Naſireer.

G. D. Heŭman sculps.

ne, exinde deduci queant Symptomata, quorum expreſſa in Sacris ſit mentio, & heic rurſum miraculoſus fuiſſet effectus tam in rea, quàm in innocenti. Placet *Lochnero*, Amico dum viueret conjunctiſſimo, *Auguſti Varenii* ſequens ἐπίκρισις. *Non equidem gratus palato poterat eſſe confectus de ſordido puluere, & abluto atro charactere potus, juxta facultatem naturalem, quam habiturus erat, ex confectione ſuperiori æſtimatus: dubium tamen, an propterea amariſſimus. Nihil obſtabit intelligere Aquas illas nec ex facultate naturali, nec ex indita ſupernaturali abſolute, ſed indita per verbum reſpectiue, nonniſi in ſubjecto reo exercenda dici, prout* מאררים *ſeu execrationem inducentes, ita &* מרים *id eſt amaras ratione ſcilicet exiſtentiæ in applicatione ad ream. Cum contra innocenti bibenti nec eſſent amaræ, nec execrationis inductiuæ, pro quo facit vehementer poſitus vocis* למרים *in v. 24. & 27. & præcedens hic Paſchta accentus.* Sed ego capere nequeo, quid ſit, *nec ex indita ſupernaturali abſolute, ſed indita per verbum reſpectiue facultate.*

Occurrunt docimaſiæ ſuſpectorum non duntaxat in Judaismo, ſed quoque in Gentiliſmo, imo medio Chriſtianismo, ſed hæ ſuperſtitioſæ, quibus non tam veritas elicitur, quàm DEI potentia tentatur atque irritatur. Aquæ Zelotypiæ ſimia fuit ὕδωρ τοῦ ἐλέγχου, *Aqua redargutionis*, quâ in perjurii ſuſpicione utebantur Gentiles, teſte *Philoſtrato vit. Apollon.* L. I. c. 6. Aqua nempe juxta *Thiana Asbamœa* dicta, *quæ Juramenti fidem præſtantibus aſpectu placida & guſtu dulcis, at perjurii reis palam aduerſatur. Epota namque oculos pedesque ac manus pejerantis inuadit: puſtulis ac vomicis totum corpus inquinans.* Qui idem *Philoſtratus* L. III. c. 15. ex *Porphyrio* meminit λίμνης δοκιμαστηρίου, *Lacus probationis* apud Indos. In *Macrobii Saturnal.* L. V. c. 19. memorantur porrò Aquæ in Sicilia Furti ſuſpicionem dirimentes. Et apud *Pauſaniam.* L. VII. Sacerdotiſſæ Græcorum ſcortationis inſimulatæ, quæ Taurini Sanguinis hauſtu probari ſolebant; *eo epoto*, inquit, *ſi legi* (de caſtitate colenda) *fraudem fecerit*, αὐτίκα ἐκ τούτου τὴν δίκην ἔχει, *flagitium è veſtigio morte luit.* In mediis tandem Seculis innumera proſtant Exempla Probationum per Ignem, & modos alios, quæ nunc, diſſipatâ prorſus, vel fraude, vel Ignorantia, ceſſant.

# TAB. CCXCIV.

## Num. Cap. VI. verſ. 2. 3. 4.

| | |
|---|---|
| 2. Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos, Vir ſiue mulier ſi diſerte vouerint votum Naſir, *(a)* ut ſeparent DOMINO.<br>*(a)* Naſir, ſeparatus, conſecratus, ſegregatus. | 2. Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: Vir ſiue mulier cum fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare. |
| 3. A vino & Sicera abſtineat, Acetum Siceræ & vini non bibat, imo quicquid reliquum eſt ex uuis non bibat, præterea nec recentes uuas nec paſſas comedet. | 3. A vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia portione, & quicquid de uua exprimitur, non bibent, uuas recentes ſiccasque non comedent. |
| 4. Idque toto tempore, quo ipſe Naſir eſt: Nihil denique edat, quod ſit è Vite vinifera, ſiue acini ſint, ſiue vinacea. | 4. Cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur, quicquid ex vinea eſſe poteſt, ab uua paſſa usque ad acinum, non comedent. |

MEum non eſt, integram explicare *Naziræorum* Hominum DEI ſeruitio deuotorum Hiſtoriam, imo nec licet eſſe diffuſiori in iis, quæ mei ſunt fori, abſtinentia nempe à Vino, & omni eo, quod è Vite prodit, quandoquidem hanc materiam ex profeſſo tractaui ad Leuit. X. 9. Res paucis huc redit: Debebat votum, quo ſe quispiam DEO mancipauit, memoriâ nunquam excidere, vitari omni cura omne id, quod perennem hanc commemorationem & voti & officii quouis modo interturbare poſſet: talia autem ſunt, ex rationibus allegatis, Vinum, Acetum, & omne, quod ex almæ vitis fructibus conficitur. Eò autem ſeſe extendit rigor, ſi rigor eſt, Legis, ut non ad

ad Acetum duntaxat deſcendat, ſed quoque ad ipſas uuarum baccas, imò Uuas paſſas. Debebat quippe Naziræus euitare, quod ad Ebrietatem diſponere, vel ſtimulare poterat cunque, quaslibet cauſas occaſionales, quemadmodum Chriſtiani ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθαι. 1. Theſſ. V. 22. Ita Simſonis Genitrici injunctum erat, ne in imprægnationis ſtatu *vinum biberet aut Siceram, & nihil, quod immundum eſt comederet.* Jud. XIII. 4. Extendebant Karræi ſiue Sadducæi, & jure, hoc Præceptum ad Hydromel, Pomacea & Pyracea, reliquis Judæis manentibus in Vite, de qua, an fuerit Scientiæ Boni & Mali Arbor illa, ſicque Naziræi debuerint fatalem illum Generis Humani Lapſum & ſibi & aliis ſiſtere ob oculos, aliis vel judicandum, vel ſomniandum linquo.

v. 3. מִשְׁרַת עֲנָבִים *miſchrath anabim*, LXX. vertunt, ὅσα κατεργάζεται ἐκ σταφυλῆς, Vulgata, *quidquid exprimitur*, Latina noſtra, quidquid *reliquum eſt ex uuis*: indiſtincte melius Vernacula noſtra, *was aus Weinbeeren gezogen wird*, omne id nempe, quod Arte ſeu Pharmaceutica, ſeu coquinaria, ex Uuis poteſt confici, omnia Electuaria, Tincturæ, Condita.

# TAB. CCXCV.

## Num. Cap. VII. verſ. 84. 85. 86.

84. Hæc fuit initiatio Aræ in die, quo fuit inuncta, à Principibus ſcilicet Iſraelis, catini argentei duodecim, phialæ argenteæ duodecim, cochlearia aurea duodecim.

85. Centum & triginta (Siclos habuit) catinus unus, phiala vero una ſeptuaginta, omniaque vaſa argentea bis mille, & quadringentos, juxta Siclum Sanctuarii.

86. Cochlearium verò aureorum duodecim fuerunt plena ſuffitus, ſingula verò decem (fuerunt Siclorum) juxta Siclum Sanctuarii: Porrò uniuerſum Aurum cochlearium fuit centum & viginti (Siclorum).

84. Hæc in dedicationem Altaris oblata ſunt à principibus Iſrael, in die, qua conſecratum eſt: acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim; mortariola aurea duodecim.

85. Ita ut centum triginta Siclos argenti haberet unum acetabulum, & ſeptuaginta Siclos haberet una phiala: id eſt, in commune vaſorum omnium ex argento Siclis duo millia quadringenti pondere Sanctuarii.

86. Mortariola aurea duodecim plena incenſo, denos ſiclos appendentia, pondere Sanctuarii: id eſt, ſimul auri Sicli centum viginti.

Continetur his Verſiculis ſumma Donorum, quæ ſponte offerebant Tribuum Principes, quiuis nempe catinum argenteum 130. Siclorum, qui reducti ad pondus Medicinale faciunt uncias 61. drachmas 4. ſcrup. 1. gran. 17. porro phialam 70. Siclorum, qui dant

- - - 33. - - - 5. - - 0. - - - 3.

tandem cochlear aureum 10. Siclorum, qui efficiunt

- - - 4. - - - 1. - - 0. —— 9.

Omne proin Argentum à Principibus 12. allatum fuit Siclorum Argenteorum 2400. aureorum 120. Summa

Catinorum 12. unc. 738. dr. 7. ſcrup. 1. gr. 4.
Phialarum 12. - - 400. - 4. - - 1. - 16.

Argenti Summa - 1139. - 4. - - 0. - 0.
Cochlearia 12. aurea 49. - 5. - - 2. - 8.

Siclo nempe computato pro drachmis 3. ſcrup. 2. gr. 8, 90.

TAB.



NUMER. Cap. VII. v. 84. 85. 86.
Principum Iſraelis donaria.

IV. Buch Moſis Cap. VII. v. 84. 85. 86.
Geſchencke der Iſraelitiſchen Fürſten.

I. G. Thelot sculpſ.

RPJCB

RPJCB



NUMER. Cap. XI. v. 1, 2, 3.
Θεσπιδαὲς πῦρ.

IV. Büch Moſis Cap. XI. v. 1, 2, 3.
Himliſches Rachfeüer.

G. D. Heüman sculp.

# TAB. CCXCVI.

## Num. Cap. XI. verſ. 1. 2. 3.

1. Contigit autem quum populus moleſtiam & dolorem quendam cauſaretur, ut ea res diſpliceret in auribus DOMINI. Quumque DOMINUS audiret, exarſit furor ejus, & incenſus eſt Ignis DOMINI in eos, deuorauitque partem Caſtrorum.
2. Et clamauit populus ad Moſen, orante autem Moſe ad DOMINUM reſedit Ignis.
3. Et vocatum eſt nomen illius loci Tabera, eò quod Ignis DOMINI in eos deflagraſſet.

1. Interea ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt; & accenſus in eos Ignis Domini, deuorauit extremam Caſtrorum partem.
2. Cumque clamaſſet populus ad Moyſen, orauit Moyſes ad Dominum, & abſorptus eſt Ignis.
3. Vocauitque nomen loci illius, incenſio: eo quod ſuccenſus fuiſſet contra eos Ignis Domini.

MUrmurat Populus, vel ob viæ moleſtiam, vel, quod ex v. 4. colligere licet, cibos, qui non aderant, concupitos. Et en, DEUS promptè adeſt, juſtiſſimus murmuris omnisque Rebellionis vindex, in promptu eſt totum Naturæ Armamentarium, è quo jubetur vindictam exſerere Ignis. *Exarſit furor ejus* (qui ipſe eſt Ignis conſumens) *& accenſus eſt Ignis DOMINI in eos, deuorauitque partem Caſtrorum.* Commentarius in hunc Locum eſt Pſ. LXXVIII. 20. 21. ubi Pſaltes cauſam occaſionalem, perduellionis crimen pœnæ nectit. *En Petram percuſſit, & effluxerunt aquæ, & fluuii inundarunt, num & Panem dare poterit? Num parare carnes poterit populo ſuo? Idcirco DOMINUS hæc audiuit, & exarſit, & ſuccenſus eſt Ignis contra Jacob, & Ira contra Iſraelem aſcendit.* Exſeruit hic Ignis vires ſuas בִּקְצֵה הַמַּחֲנֶה *biktſe hamachneh*, quæ verba reddit Vernacula noſtra per extrema caſtra, extremitates Caſtrorum, *die äuſſerſte Lager*, rectius Latina, *per partem Caſtrorum.* Fortè enim hic Ignis non in extremis duntaxat Caſtris, ſed hinc inde per tota Caſtra exardeſcens pœnas de perduellionis reis ſumſit; Lucem huic Interpretationi fœnerantur ſequentia Loca; Pſ. XIX. 4. *In fines Orbis* (al. *in extrema orbis*) בִּקְצֵה תֵבֵל *exierunt verba eorum*, id eſt, *per uniuerſam Terram.* Notum enim vel ex primis Geographiæ rudimentis, nullibi eſſe Terræ extremum, vel ubiuis. Gen. XIX. 4. *Uniuerſa Plebs* (Sodomæ) *undique cinxerunt domum ab extremis locis urbis* מִקְצֵה id eſt, ex tota urbe, circumdatura domum Lothi. *(viri ciuitatis vallauerunt domum à puero usque ad ſenem, omnis populus ſimul.)* Gen. XLVII. 2. *Accipiens autem* (Joſeph) *quosdam è fratribus ſuis (extremos fratrum ſuorum)* מִקְצֵה אֶחָיו de extremitate fratrum ſuorum, i. e. ex omnibus fratribus. Jeſ. LVI. 11. *quisque viam ſuam ſpectat, quisque à termino ſuo. (Omnes in viam ſuam declinauerunt, unusquisque ad auaritiam ſuam, à ſummo usque ad nouiſſimum)* מִקָּצֵהוּ ab extremo ejus, i. e. ad unum omnes, *ad emolumentum ſuum propenſus eſt.*

Qualisnam hic fuerit *Ignis*, non exprimitur, an *Fulmen*, quod paſſim in Sacris nomine venit *Ignis de cœlo?* an, quod vero eſt ſimilius, *Ventus urens*, καύσων, *Preſter*, itinerantibus per Ægyptum, Æthiopiam, Arabiam, adhucdum infeſtus? quo Plantæ torrentur illicò. Huc pertinet Ezech. XIX. 12. *Ventus Orientalis exiccauit fructum ejus, conuulſæ atque arefactæ ſunt virgæ fortitudinis ejus, Ignis abſumpſit eas. (ventus urens ſiccauit fructum ejus; marcuerunt & arefactæ ſunt virgæ roboris ejus: ignis comedit eam)* Non duntaxat eſt hujusmodi Ventus ſiccus & exſiccans, utpote à Meridie vel Euro per Terras aridas ſpirans, ſed quoque urens, corporibus Hominum & Animantium lethalis, ſecum vehens Aerem nimis rarefactum, Reſpirationi & Vitæ ineptum, ſuffocantem ſubitò, contra quem non aliud eſt itinerantibus remedium, quàm ut illo aduentante ſeſe in Terram proſternant, absque mora, usque dum tranſierit. Ab hujusmodi Vento feruido urente, quod memorat *Thevenot. voyag.* P. I. L. II. c. 34. A. 1658. una nocte periere 20000. Hominum.

num. Ne quis autem exiſtimet, elidi hac interpretatione Miraculum, vel diminui. Non caſu exortus eſt hic Preſter, ſed connexus eſt cum cauſa morali. Anſam dedit Iſraelitarum murmur: id Venti hujus ſubſidio debebat ſiſti, rebelles debitas luere pœnas. Adde, quod legitur v. 2. *Clamauit populus ad Moſen, orante autem Moſe ad DOMINUM reſedit Ignis*, ſubſedit exitialis Ventus.

# TAB. CCXCVII. CCXCVIII.

## Num. Cap. XI. verſ. 4. 5.

4. Porrò vulgus promiſcuum, quod erat inter eos, concupiſcentia exarſerant, fleueruntque denuo, quin & filii Iſrael (concupierunt & fleuerunt) dicentes: Quis paſcit nos carnibus?
5. In memoriam nobis redeunt Piſces, quos comedebamus in Ægypto gratis, deinde & Cucumeres, & Pepones, Porrum, Cepe & Allia.

4. Vulgus quippe promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio ſedens & flens, junctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?
5. Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe & allia.

GRauiſſimum hoc imæ Iſraeliticæ Plebis אֲסַפְסֻף, *de la Canaille* (quorum numerus, Ducibus *Jannes* & *Jambres* extenditur ad 40000. à Judæis) Peccatum his verbis exprimit Regius Pſaltes, Pſal. LXXVIII. 18. 19. 20. *Et tentauerunt DEUM in corde ſuo, quum poſcerent cibum animabus ſuis; Et contra DEUM loquuti ſunt, dicentes: Num poteſt DEUS menſam inſtruere in Deſerto? En Petram percuſſit, & effluxerunt Aquæ, & fluuii inundarunt, num & Panem dare poterit? Num parare Carnes poterit populo ſuo?* En horrendam, ultimo excidio dignam, ingratitudinem! inſanam Rebellionem! Metantur Caſtra, figunt, mutant, plena gaudentes libertate atque ſecuritate, ſub DEI immediato tutamine, qui ipſorum erat Legislator, Creator, ὁδηγὸς, & viæ & totius Exercitus Dux, & tamen Ægyptiam, diram illam atque intolerabilem concupiſcunt Seruitutem, quæ toties ac toties animas anxit, ſudores extorſit. Mundanæ colluuiei Symbolum & Exemplar, quæ præterita, licet pejora præferre ſolet & præſentibus & futuris, ad declinandam obligationem, quæ pro præteritis nulla apud ingratos. Illucebant Iſraelitis diu noctuque euidentiſſima Præſentiæ Diuinæ ſigna in Columna Nubis & Ignis, imo DEUM ipſum videbant quaſi in ſpeculo: fruuntur bonis & temporalibus & ſpiritualibus, ut rariſſimis, ita & pretioſiſſimis, & tamen delectantur magis vel ſolâ ideâ Piſcium, Cucurbitarum, Cucumerum & Ceparum Ægypti. En triſtiſſimum corruptionis noſtræ Exemplum, qui Ens Rationis præferimus reali, Nihilum Alicui, Terram Cœlo, Vitæ Mortem! Colligunt in dies Mannam cœleſtem, & planè miraculoſam, Ventrem replent ad ſatietatem usque delicatiſſimo hoc cibo, quem nec Patres guſtarunt, nec Poſteri, & ecce! deſiderant inſuper Carnes! Vermiculi Terræ, qui DEO ſuo Creatori, Conſeruatori, Redemptori, Leges præſcribunt, *auerſi tentant DEUM, Sanctumque Iſraelis circumſcribunt.* Pſal. LXXVIII. 41. *(Et conuerſi ſunt, & tentauerunt DEUM: & ſanctum Iſrael exacerbauerunt)* id eſt, immenſam DEI potentiam circello cerebroſæ ſuæ impudentiæ inſcribunt. Auget criminis Perduellionis atrocitatem, quod ea, de qua nunc, Hiſtoria altera ſit, differens ab illa, quæ recenſetur Exod. XVI. Anno integro: Hæc quippe contigit ante annum in Deſerto Sin die 15. ſecundi Menſis, primo ab ἐξόδῳ Anno, antequam venerant ad Sinai Montem: illa verò ſub finem ſecundi Menſis anno ſecundo in Kibroth thaaua: ibi ſeu Coturnices ſeu Locuſtas comedebant unico duntaxat die, hîc cibantur iis per integri Menſis decurſum.

In Ægypto, quod haud diffitendum, ſuppetebant *Piſces* abundè, ut nullo penè haberi potuerint pretio. Dabant hos miſſus Maria, Mediterraneum & Rubrum, ipſeque Nilus, πολλὴν δαψιλείαν παρεχομένου τοῦ ποταμοῦ, καὶ μάλιστ᾽ ὅτι, μετὰ τὴν ἀνάβασιν, ταπεινούμενος ἀνεξηραίνοιτο, *magnam* (piſcium) *copiam præbente fluuio, præſertim cum*

*poſt*



NUMER. Cap. XI. v. 4. 5.
Cucumis, Melo.

IV. Buch Moſis Cap. XI. v. 4. 5.
Kürbſen, Melonen.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

TAB. CCXCVIII.



NUMER. Cap. XI. v. 4. 5.
Anguria.

IV. Buch Moſis Cap. XI. v. 4. 5.
Angurien, Citrull.

*G. D. Neſsenthaler sculp.*

RPJCB

*poſt auctum minutus exſiccatur. Diodor.* L. I. Hodieque *in locis prope Mare poſitis omnia Piſcium genera in multa copia optima reperiuntur, quibus omnibus Ægyptii veſcuntur ſalitis quàm maximè. Alpin. Medicin. Ægypt.* L. I. c. 10. qui Piſces in Nilo naſcentes, tametſi ſint pingues & guſtui ſuaues, ad ſanitatem tuendam peſſimos putat, quia flumen illud ſaxoſum fundum non habet, ſed limoſum, neque admodum celeri ac vehementi motu agitatur, ut Aqua ipſa limoſa atque cœnoſa exiſtat.

Plantarum hortenſium, fructuum domeſticorum, & neceſſario uſui & luxui inſervientium nullam fuiſſe in Ægypto penuriam, vel ipſe Textus noſter probat, nullam eſſe Experientia, & vel ipſe *Proſperi Alpini de Plantis Ægypti* egregius Liber ſatis docet ſuperque. Memorantur v. 5. קִשֻּׁאִים *Kiſchyim*, *Cucumeres* ex plerorumque Interpretum Mente: quos ſequuntur ſtatim אֲבַטִּחִים *abatichim*, *Pepones*. LXX. bina hæc Fructuum genera exprimunt per σικύους καὶ πέπονες, Nos, *Kürbſen und Pfeben*, melius, *Kürbſen und Melonen*. Notandum heic, intelligi debere non tam Cucumeres & Cucurbitas nobis Europæis communes, quæ in Orientalibus illis Regionibus inſeruiunt ſaginandis Porcis potius, quàm cibandis Hominibus, ſed Cucurbitaceos fructus quoſuis delicatiſſimos. Omnes quippe Cucurbitaceas Plantas Veteres exprimere ſolebant generatim per σικύους καὶ πέπονες, σικύους καὶ μηλοπέπονες, *Cucumeres & Pepones*, *Cucumeres & Melopepones*, quod ex *Palladio*, Auctore *Georgicarum Eclogarum* Græco aliisque probat *Salmaſius Hyle Jatr.* c. 35. p. 37. & *in Solin.* p. 728. Ut poſtera demum Ætas his nominibus ſpeciales junxerit Ideas ſeu Characteres. Siniſtræ ſunt famæ *Cucumeres* apud *Columellam.*

> Liuidus at Cucumis, grauida qui naſcitur aluo,
> Hirtus, & ut Coluber nodoſo gramine tectus
> Ventre cubat flexo ſemper collectus in orbem,
> Noxius exacuit morbos æſtatis iniquæ.

Nec magni ſunt æſtimii hodie, ut in Menſis vix compareant niſi tenelli, immaturi & virides, imò & olim, quod iterum ex *Columella* conſtat. *In Italia virides & minimi, in Prouinciis quàm maximi & cerini aut nigri placent.* Cucumeres ſi heic admittamus, (ut ſane קִשָּׁא, vel קִשּׁוּאָה Hebræorum, *Kattſæa* Arabum בוֹצִינָא *botſina* Chaldæorum notat & Cucumerem) in cenſum venire poteſt genus illud Ægyptiis *Chate* vocatum. Fig. A. quod deſcribit *Alpinus* Lib. cit. p. 114. *à communi Cucumere differt magnitudine, colore & mollitie, utpote folia habens minora, albiora, molliora atque rotundiora, fructusque producit admodùm à noſtratibus differentes, his longiores, viridiores, ac cortice plano, molli, æquali: guſtui ſunt dulciores, atque concoctu faciliores. Horum uſum corporibus in cibo ipſis tum crudis tum coctis veſcentibus ſalubrem eſſe apud omnes eorum locorum incolas creditur.* Eſt hic *Cucumis Ægyptius rotundifolius.* C. B. *Cucumis Ægyptius Chate.* I. B. quæ vox *Chate* quodammodo eſt affinis noſtræ Hebraicæ, affinior Arabicæ.

Cucumeribus delicatiores longè ſunt *Melones*, contracta voce, ſeu *Melopepones*, *Pepones*, veteribus Græcis σίκυοι σπερματίαι, quod iterum probat *Salmaſius Hyl. Jatr.* p. 38. Hos à Cucumeribus ætate quidem, non genere diſtinxit Antiquitas. *Copioſiſſimi* (Cucumeres) *in Africa, grandiſſimi in Aſia, ubi cum magnitudine exceſſere Pepones vocantur.* Notat Græcis in genere πέπων, quod tenerum, delicatum, benè excoctum, ſuccoſum, unde Prouerbium, ὦ πέπων, de alloquio dulci, miti, humano, quale inprimis expectandum à viris ætate grauibus, experientia claris. *Pepones* ſanè longè melius audiunt ipſis Veteribus quàm *Cucumeres*. *Columella* iterum

> Atqui ſub trichila manantem repit ad undam,
> Labentemque ſequens nimio tenuatur amore,
> Candidus, & fœtæ tremebundior ubere Porcæ,
> Mollior infuſo calathis modo lacte gelato.
> Dulcis erit, riguoque madeſcit luteus aruo,
> Et feret auxilium quondam mortalibus ægris.

De *Melonibus Ægyptiorum* hæc habet *Alpinus Plant. Æg.* p. 115. *Ex Melonibus quosdam à noſtratibus planè diuerſos Ægyptii habent, quos Abdellaui vocant, ad differentiam aliorum, quos etiam Chajar nominant, quorum uſus ad cibum haud multum jucundus percipitur, cæterisque omnibus inſipidiores, ac molliori pulpà obſeruantur.* Vocatur hic *Melo Ægyptius* C. B. *Melo Abdelaui Ægyptiis* I. B. Sed nec omittendæ ſunt *Anguriæ*, fructus unus ex delicatiſſimis, qui inprimis ſaliuam poterat mouere Iſraelitis. De his ita laudatus *Alpinus*. *Habent* (Ægyptii) *Angurias nonniſi magnitudine quoad aſpectum differentes, noſtris quidem majores, cortice flauiore, quæ intus ſemina tantum, & Aquam dulciſſimam continent, quam ad ſitim arcendam, caloremque multum in Stomacho, vel Hepate, vel Renibus corrigendum largius epotant. — Turcæ, Ægyptii, Arabesque laſciuiorem vitam agentes per Æſtatis ſummos calores harum Anguriarum Aquam in potu frequentant, eique aliqui modicum Aquæ Roſaceæ, Moſchi atque Ambræ miſcent. His aduenas honorare conſuetudo Ægyptiis eſt, eas ſcilicet edendas obferentes.* Placerent mihi pro קִשֻּׁאִים & אֲבַטִּחִים *Melones* & *Anguriæ*. *Melonem* Ægyptiis *Abdellaui* dictum exhibet Fig. B. *Anguriam* eamque *Citrullus dictam* C. B. quam

pro Arabum *Battecha*, proin pro Hebræorum *abatichim*, agnoſcunt Botanici, ut *Anguria Indica ſeu Melo aquaticus Tournef.* eſt *Citrullo affinis Melo Indicus ſiue Patheca* I. B. Fig. C. Tab. 298. Moderni Botanici diſtinguunt in Characteribus *Cucumerem* Fig. D. *Melonem* Fig. E. *Peponem* Fig. F. *Melopeponem* Fig. G. *Anguriam* Fig. H.

# TAB. CCXCIX.

SEquitur inter delicias Ægypti חָצִיר *hatſir*, quod reddimus *Porrum*, *Lauch*, *Onkelos* כרתי *crathe*, cui affine eſt Græcorum Κορσίον, Κορσέον, qua voce Ægyptii nominabant Radicem *Loti*, Plantæ in paludibus Ægypti paſſim obuiæ, tanti Romanorum tempore in Ægypto & Africa æſtimii, ut in Ægyptiis Numiſmatibus compareat perſæpe, imo & in Italia titulo *Fabæ Græcæ* magni habita fuerit. *Lotus ſiue Faba Græca, quam Romæ à ſuauitate fructus ſilueſtris quidem ſed Ceraſorum penè natura Loton appellant. Plin.* L. XVI. c. 30. Quid quod Diis ſacra fuerit. *Homerus* ſanè *inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati Loton primam nominauit* Il. L. XXII. c. 21. Hanc Plantam *Alpinus Plant. Ægypt.* p. 103. eandem vult cum *Nymphæa alba*, quæ proin non in Ægypto duntaxat & Italia, ſed & frigidioribus noſtris Climatibus naſcitur, & de hac affirmat, *Ægyptios caules crudos cum ſuis capitibus per Æſtatis calores mandere, ſubdulces enim ſunt atque humidi, admodumque refrigerant & humectant, quos appellant Razelnil*, cujus vocis obſeruanda ὡς ἐν παρόδῳ affinitas quædam cum חָצִיר. Diſtinguunt Veteres Scriptores *Loton* herbam à *Loto* Arbore. Noſtrum non eſt, in omnia utriusque inquirere genera, præprimis quia nondum conſtat, an חָצִיר ſit *Lotus*. Fuit ſpecies, ex qua Ægyptii parabant potum, γίνεται δὲ οἶνος ἐξ αὐτῦ βρεχομένε καὶ τριβομένε δι' ὕδατος κατὰ τὴν γεῦσιν ἡδὺς καὶ ἀπολαυςικὸς, οἰνομέλιτι χρηςῷ παραπλήσιος, ἐ δύναται δὲ πλέον δέκα μένειν ἡμερῶν. Ita *Polybius*, ex *Polybio Nepos*, ex Nepote *Plinius*, *vinum quoque exprimitur illi ſimile mulſo, quod ultra denos dies negat durare Nepos, baccasque contuſas cum Alica cibos doliis condi* L. XIII. c. 17. Quidquid tandem ſit, vero id videtur ſimile, חָצִיר non eſſe *Porrum*, ſed Ægyptiam quandam Plantam delicati ſaporis. Loti Arboris Iconem dedi Tab. CIII. *Nymphæam* eamque *albam majorem* C. B. exhibeo Fig. I. cum ſuis characteribus ad marginem. *Porrum* autem, idque *commune capitatum* ſiue *ſectiuum latifolium* C. B. πράσον κειρόμενον vel καρτὸν *Theophr. Cauſ.* II. 20. III. 21. cum ſuo Charactere Fig. K. ubi adjectiuum καρτὸν affine equidem eſt Chaldæo *crathe*.

# TAB. CCC.

CAtalogum deſideratorum claudunt בְּצָלִים *betſalim* & שׁוּמִים *ſchumim*, nobis *Cepe* & *Allia*, *Zwibelen und Knoblauch*. De utraque hac Planta haud eſt dubium, quin maximi fuerint habitæ in Ægypto, &, ſi *Plinio* atque *Juuenali* fides, deificatæ. Ille L. XIX. c. 6. *Allium Cœpasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus.* Hic *Sat.* XV.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat - - - -
Porrum & Cæpe nefas violare & frangere morſu.
O ſanctas Gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina.

Suboriri heic poſſet alicui, an licitum fuerit Iſraelitis ſeu violare, ſeu edere, Ægyptiorum Deos? Sed oſtendit *David Clericus Quæſt. Sacrar.* XV. erraſſe in hoc puncto *Plinium* atque *Juuenalem*, Sacerdotes quidem abſtinere ſolitos eſſe à Cæpis & Alliis, non verò vulgum. Narrat *Diodorus* L. I. p. 80. τινὰς φακῶν, τινὰς δὲ κυάμων, ἐνίες δὲ τυρῶν, ἢ κρομμύων, ἤ τινων ἄλλων βρωμάτων τὸ παράπαν μὴ γέυεσθαι, πολλῶν ὑπαρχόντων κατὰ τὴν Ἄιγυπτον, *quosdam Lentes, quosdam Fabas, alios Caſeos, aut Cæpas, aut quosdam alios cibos nullo modo guſtare, cum multi ſint in Ægypto.* De Judæis conſtat, adhuc hodie Allii eſſe appetentiſſimos. v. *Wagenſeil. Gebrauch des Chriſtenbluts* p. 50. Obſeruandum eſt equidem, eſſe Orientales illos Cœparum Alliorumque bulbos Europæis longè præſtantiores, ut ſunt Itali Helueticis. De *Theſſalicis Cœpis* legatur *Brown Travels* p. 42. de *Indicis de la Loubere Roy de Siam.* p. 59. de voce שׁוּם *ſchum*, tandem vel Chaldæa תּוּם *thum* annotat *Clericus Comm.* in h. l. deriuari inde manifeſtè Græcum θύμος, quod *Cœpam agreſtem* ſonat, ſicque magnum *Salmaſium*, qui ſe multùm torſit circa origi-



NUMER. Cap. XI. v. 4. 5.
Nymphæa. porrum.

IV. Buch Moſis Cap. XI. v. 4. 5.
Seeblum, Lauch.

I. G. Pinz sculps.

RPJCB



NUMER. Cap. XI. v. 4. 5.
Cepa, Allium.

IV. Buch Moſis Cap. XI. v. 4. 5.
Zwibel, Knoblauch.

I. G. Pinz sculps.

PJCB

RPJCB



NUMER. Cap. XI. v. 6. 9.
Placentæ ex Manna contrita.

IV. Buch Moſis Cap. XI. v. 6-9.
Manna Kuchen.

M. Tyroff sculp.

originem hujus vocis, *in Solin.* p. 907. aliosque ſcrupulo liberat. Ex *Ceparum* claſſe placeret mihi *Cepe Aſcalonica* Matth. vulgò *Eſchallottes* dicta, quæ etiam crudæ in cibis lautiores habentur, Francis hinc in Orientalibus Regionibus *Apetitz* dictæ. Fig. L. cum charactere Cepæ ad marginem. Ex Alliis autem ſiſto *Allium ſatiuum alterum ſiue Alliopraſum caulis ſummo circumuoluto* C. B. quibusdam ὀφιοσκόροδον, cujus bulbus Turcis eſt adhuc in deliciis. Fig. M.

# TAB. CCCI.

## Num. Cap. XI. verſ. 6 - 9.

| | |
|---|---|
| 6. Et nunc animus noſter aret, nihilque præter Man oculi noſtri (vident) | 6. Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. |
| 7. Erat autem Man quaſi ſemen Coriandri, & ſpecies ejus quaſi ſpecies Bdellii (a).<br>(a) Bedola quidam pro Cryſtallo, quidam pro Margarita exponunt. | 7. Erat autem Man, quaſi ſemen Coriandri, coloris Bdellii. |
| 8. Diffundebanturque populi colligentes, & molentes in mola, aut conterentes in mortario, aut coquentes in olla, & facientes ex eo Placentas, & erat ſapor ejus quemadmodum ſapor Placentarum oleo delibutarum. | 8. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas, ſaporis quaſi panis oleati. |
| 9. Et quum noctu Ros deſcenderet ſuper Caſtra, deſcendebat Man quoque cum ipſo. | 9. Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Man. |

Videtur primo intuitu moleſtum Iſraelitis aridum, in quo degunt, Clima, Arabiæ nempe deſertæ, & arenoſæ, in qua per Anni decurſum tot profluxere corporibus illorum ſudores, ut non mirum fuerit, ſi defeciſſent ſucci, ſi *animus*, vita, *areret.* v. 6. Sed non eſt ſolum id, nec omne, nec præcipuum, quod tangit illos & angit. *Nihil præter Man vident oculi noſtri.* Deſunt nobis, qui vitæ deliciis ſumus adſueti, Piſces, ſuccoſi Cucumeres, Melones, Anguriæ, ſtimulantes Cepæ & Allia: Jumenta & Pecora noſtra non tam nobis & Familiis noſtris inſeruiunt, quàm ſacrificiis: mallemus Pharaonis eſſe mancipia, viuere fructibus Ægypti, quàm Populus DEI vocari, vano paſci titulo, Manna nutriri cœleſti, ſemper eadem. Hinc eſt, quod areſcamus quaſi præ cupiditate, ſignificat quippe vox נֶפֶשׁ non *Animam* duntaxat, quam utraque Verſio noſtra habet, ſed & *appetentiam*, deſiderium ardens. Ita Jeſ. XXIX. 8. *Erit ac ſi famelicus ſomniet quod comedat, quumque euigilat, deſiderium ejus* נַפְשׁוֹ *fruſtratur*, (deſiderio Animæ noſtræ nondum eſt ſatisfactum) & *ac ſi quis ſiticuloſus ſomniet ſe bibere, cæterum euigilans feſſus eſt, & deſiderium ejus adhuc feruet.* (*Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit; cum autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit: & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt*) Pſal. LXXVIII. 18. *Tentauerunt DEUM in corde ſuo, quum poſcerent cibum animabus ſuis.* לְנַפְשָׁם. Non caret hæc loquendi ratio ſuo in philoſophia fundamento: eſt omnis Concupiſcentia Senſatio, Senſatio omnis Animæ, non Corporis: quemadmodum conſtat, non Corpus Hominis, ſed Animam, videre, audire, guſtare, olfacere: id quod ipſe Veteris Philoſophiæ parens *Ariſtoteles* olfecit, ὁ νοῦς ὁρᾷ, ὁ νοῦς ἀκούει.

Proprietates Mannæ quod attinet, imo integram tum Naturalis, tum miraculoſæ hujus, Hiſtoriam, extat ea in Commentario ad Exod. XVI. neque aliud reſtat, quàm Proceſſus, quo Iſraelitæ tractarunt & præpararunt cibum huncce cœleſtem, ex quo iterum clarè pateſcit, non fuiſſe illam Naturæ productum. Manna quippe ordinaria neque *moli* poteſt *in mola*, neque *conteri in Mortario*: ſiccis conueniunt & aridis corporibus, imò duris, non pinguibus, non

non melliformibus. Conſiderationi noſtræ tandem ſubjiciendæ ſunt Placentæ ex Manna paratæ, quarum *ſapor erat quemadmodum ſapor placentarum oleo delibutarum.* Eſt modus *Placentas* parandi in Oriente perantiquus, nec hodie exoletus. עֻגוֹת ſunt *Panes ſubcineritii*, Placentæ ſub cineribus coctæ, ἐγκρυφίαι. LXX. Eſt namque ἐγκρυφίας apud *Heſychium* ἄρτε εἶδος ὁ ἐν σποδῷ γενόμενος, τε͂ μὴ εἶναι κλίβανον. Placentas hujusmodi formare ſolebant ex Aqua & Farina. Encomizat delicatulus quidam inter alia Panis genera Placentam ſubcineritiam ex Simila apud *Athenæum* L. III. p. 112.

> Εἶτα τὸν ἐν τεγέαις Σεμιδάλεως ὑιὸν ἐπαινῶ
> Ἐγκρυφίαν.

> Deinde laudo ſimilæ filium, qui Tegeæ fit,
> Subcineritium.

Et ſic quoque *Carmenta*, quam conuiuam habuit *Ino* apud *Ouidium* L. VI. *Faſtor.* v. 531.

> Liba ſua properata manu Tegeea ſacerdos
> Traditur in ſubito cocta dediſſe foco.

Memorat *Thevenot voyag.* L. II. c. 32. de Arabibus modernis, eos in vaſe ligneo farinam miſcere Aquæ in maſſam: hanc probè ſubigere, ex ſubacta Placentas ſeu Panes formare ſesquipedales rotundos, hos arenæ igne calefactæ imponere, cineribus calidis, & poſt Carbonibus ignitis, contegere, Placentas tandem inuertere, ut & alterum latus Ignis vim experiatur. Nomen hisce Placentis eſſe *Mafroncam.* Iſraelitis noſtris Manna inſeruiebat loco farinæ. De hujusmodi Panibus plura vide Comm. ad Gen. XVIII. 6. Modum Panes hosce parandi ita deſcribit *de la Roque voyage dans la Paleſtine.* p. 234. *La ſeconde ſorte de Pain ſe cuit ſous la cendre, ou entre deux braziers de fientes des vaches allumées, qui brulent d'un feu lent, & cuiſent le pain tout aloiſir. Ce pain eſt epais comme nos gateaux, la mie eſt fort bonne, quand elle eſt mangée le meme jour, mais la croute eſt noire & brulée elle conſerve une odeur de fumée, & un gout de la matiere, dont elle eſt cuite.*

In Tabula hac ſiſtitur Mola, qua ingredientia miſcentur pro Caſeo viridi Glarenenſium, quæ utique per commoda fuiſſet conterendæ Mannæ pro Placentis.

# TAB. CCCII.

## Num. Cap. XI. verſ. 31. 32. 33.

31. Et profectus eſt Ventus à DOMINO, qui abripiens Coturnices à Mari disjecit eos ad Caſtra circumquaque ſpatio itineris diurni, fere duobus Cubitis in ſuperficie Terræ.

32. Et ſurgens populus collegerunt toto illo die, & tota nocte, toto denique ſequenti die Coturnices, quique parum collegit, collegit decem Homer, expanderuntque ſibi expanſiones circum caſtra.

33. Carne autem adhuc exiſtente inter Dentes eorum, nec dum contrita, exarſit furor DOMINI adverſus populum, & percuſſit DOMINUS populum clade admodum magna.

31. Ventus autem egrediens à DOMINO, arreptas trans mare coturnices detulit, & demiſit in Caſtra, itinere quantum uno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine ſuper terram.

32. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum multitudinem; qui parum, decem coros: & ſiccauerunt eas per gyrum caſtrorum.

33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis.

Secunda



NUMER. Cap. XI. v. 31. 32. 33.
Selavim in Plagam.

IV. Buch Moſis Cap. XI. v. 31. 32. 33.
Wachteln oder Heüſchrecken zur Straffe.

*G. D. Heüman sculps.*

RPJCB

SEcunda hæc eſt, ſeu *Coturnicum*, ſeu *Locuſtarum* menſa, quam Populo ſuo rebelli parat DEUS in Arabiæ deſerto: Conuiuium non *unius Diei*, ut ſupra Exod. XVI. 13. Seruauit optimus boni Largitor promiſſa. Num. XI. 19. 20. *Non die uno comedetis, neque duobus diebus, non quinque diebus, neque decem diebus, ſed neque viginti diebus. Quin totum Menſem, donec exeat (caro) è naribus veſtris, ut ſit vobis nauſea.* Sed parantur cibi non in officina Naturæ ordinaria, patrat DEUS, ut brachii ſui omnipotentiam oſtendat, Miracula. Non certè videt Moſes, unde Exercitum adeò numeroſum paſcat; *unde mihi*, ita lamentatur v. 13. *caro, ut dem uniuerſo populo huic, qui flent coram me, & dicunt, da nobis carnes, ut manducemus?* imo in verba erumpit, non Fidei, ſed incredulitatis plena, tantùm non oblitus tot, quæ hactenus vidit, miraculorum v. 21. *Populus, in cujus medio ego ſum, ſexcenta millia peditum habet, & Tu dicis, Carnes dabo eis, ut toto menſe comedant. Num Oues & Boues mactabuntur eis, ut ſufficiat eis? Aut* (fortaſſe) *omnes Piſces maris congregabuntur eis, qui ſufficiant eis? (Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt; & tu dicis: Dabo eis eſum carnium, menſe integro. Nunquid ouium & boum multitudo cædetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient?)* Verùm expertus mox & Moſes, & Populus, *manum DOMINI non factam eſſe breuem.* v. 23. *(Nunquid manus DOMINI inualida eſt?)* manum DOMINI, id eſt, omnipotens brachium. Ita Jeſaias Cap. L. 2. *Num ſic omnino præciſa erat Manus mea, ut liberando non eſſet? aut virtus deerat mihi ad eripiendum? (Nunquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, ut non poſſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum?)* & LIX. 1. *Ecce manus DOMINI non eſt mutila, quo minus ſeruare poſſit, neque adgrauata Auris ejus, ut non exaudiat.* Phraſis quoque Latinis uſitata, *an neſcis longas Regibus eſſe manus?*

Num שְׂלָוִים *Selauim* fuerint *Coturnices* aut *Locuſtæ*, aut, quod *Olao Rudbekio* in ſingulari diſſertatione placet, *Piſces volantes*, nunc non diſcutio. Actum de ea controuerſia ad Locum Exodi. Probabiliſſima eſt *Ludolfi*, quæ pro Locuſtis ſtat, ſententia. Suggerit præſens Hiſtoria plura, quàm quidem ſupra vidimus, argumenta. Videamus ea ordine.

*Et profectus eſt Ventus à DOMINO, qui abripiens Coturnices à Mari, disjecit eos ad Caſtra.* v. 31. *(ventus autem egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra.)* Ventus non juxta ordinarium Naturæ curſum productus, ſed à DOMINO Naturæ Authore huc directus. *Cœlo mouebat Eurum, & virtute ſua Africum adduxit. Et depluit ſuper eos carnem tanquam puluerem, & alatas volucres, velut Arenam Maris.* Pſ. LXXVIII. 26. 27. Ex quanam Plaga ſpirarit hic Ventus, non adeò clarum. Variant Interpretum opiniones. Et tamen illam indicat Hiſtoricus ſacer: *à Mari.* Sed id non unum. *Clerico Comm.* ad h. l. placet *Zephyrus*, qui ſpirarit à Mari Mediterraneo, licet non excludat Sinum Arabicum, ſiue Rubrum Mare. Placet illud, ut locum det Textui, qui proſtat apud *Diodorum Siculum* L. I. p. 55. καλάμην κείροντες ἐκ τῆς ὁμόρȣ χώρας, καὶ ταύτην σχίζοντες λίνα παραμήκη κατεσκεύαζον, ταῦτα δὲ παρὰ τὸν αἰγιαλὸν ἐπὶ πολλȣ̀ς ςαδίȣς ἱςάντες τὰς θήρας τῶν ὀρτύγων ἐποιȣ̃ντο (Φέρονται γὰρ αὐτοὶ κατ' ἀγέλας μείζȣς ἐκ τȣ̃ πελάγȣς) ȣ̃ς θηρεύοντες ἤθροιζον πλῆθος ἱκανὸν εἰς διατροφὴν ἑαυτοῖς. *Calamos tondentes Rhinocoluri incolæ è vicina Regione, eosque findentes, longa retia confecerunt, atque hæc ad littus per multa ſtadia extendentes aucupabantur Coturnices (feruntur autem gregatim ex Mari) quarum captarum eam copiam colligebant, ut ad alimentum ſufficerent.* Arabiæ autem Sinui non dat excluſiuam, ne contra *Joſepho* dicat *Ant. Jud.* L. III. c. 1. ubi de Coturnicum volatu ita. ὀρτύγιον δὲ πλῆθος (τρέφει δὲ τȣ̃το τὸ ὄρνιον ὡς ȣ̓δὲν ἕτερον ὁ Ἀράβιος κόλπος,) ἐφίπταται τὴν μεταξὺ θάλασσαν ὑπερελθών. *Coturnicum copia ingens (alit hanc Auem ut nihil aliud Arabicus Sinus) aduolat trajecto Mari, quod medium eſt.* Arabico deſerto jacet utrumque Mare ad Occaſum. Hunc loquendi modum, *à Mari*, nonnulli ἀφιλόσοφοι Arabes, Græci, & Judæi ita intellexerunt, quod Coturnices in ipſo Mari fuerint generatæ, & ex eo tanquam Matrice prouolarint. Hos cum æquiuoca ſua & Scholaſticorum Generatione ad Anticyras mitto. Cum *Zephyro Clerici* non concordant benè citata Pſaltis verba, quæ Eurum habent, qui certè non ex Africa & Ægypto ſpirat in Arabiam, ſed ex Arabia in Africam. Verba Pſaltis, dico, nempe ſi *Bocharto* & aliis Interpretibus Verſionibusque fidem demus, & vocem נָסַע explicemus non tam per *abducere*, quàm per *adducere*, *excitare*, ut ſenſus foret: *cœlo excitabat Eurum, & virtute ſua Auſtrum.* Hac difficultate facile ſe extricat Tigurina noſtra LXX. & *Hieronymum* ſecuta, juxta quam non *Eurus* adduxit Coturnices, ſed *Africus* ſiue *Auſter*. Haud diſplicet *Bochartus*, qui *Eurum Noto* non opponit, ſed utrumque horum Ventorum jungit in *Euro - notum. Virg.*

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus.

*Homerus Iliad.* π. v. 765.

Ὡς δ' εὖρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν.

Degebant Iſraelitæ tunc in Deſerto *Paran*: erat ipſis extrema Sinus Arabici portio verſus Meridiem: poterant proin Coturnices adduci facile per תֵּימָן *Notum* à Rubro Mari, ſed & per קָדִים, quem Tigurini nos exprimimus per

 Eurum.

*Eurum.* De quo ipſo קָדִים Kadim prætendit argumentis haud contemnendis *Bochartus*, eſſe *Auſtrum.* Sed de his plura alibi. Pergo cum Moſe.

*Disjecit* (DEUS Coturnices) *ad Caſtra circumquaque ſpatio Itineris diurni, fere duobus cubitis in ſuperficie terræ.* Mei non eſt, operoſius inquirere, an voces עַל־הַמַּחֲנֶה *al hammachaneh* transferri debeant, *ſuper caſtra*, an, *ad caſtra*, id eſt, an Coturnices, ſeu Locuſtæ peruenerint ad extremos duntaxat caſtrorum limites, vel tota Caſtra ad Sanctuarium usque tanquam Centrum fuerint iisdem repleta, & veluti conſita? Ludolfiano Syſtemati quadrat Locuſtarum pluuia per omnia Caſtra. Adeſt heic τὸ θεῖον. Cur enim demiſit ſe Nubes illa Locuſtifera in & intra caſtra? Cur non Milliarium aliquot à Caſtris ſpatio? ſi præciſè ad, & extra Caſtra, cur non intra ea? Fauet inprimis *Ludolfo* numeroſiſſima Selauim copia, quæ *ad caſtra circumquaque ſpatio Itineris diurni* fuere depoſitæ, numeroſiſſima, inquam, ſeu pro Itinere diurno ponas cum *Bocharto* 20000. ſeu cum aliis 30000. imo vel 10000. duntaxat paſſus: & mirum in modum augetur ea copia altitudine, quæ fuit *duorum cubitorum in ſuperficie terræ.* Agedum, formemus qualemcunque calculum, nixi fundamento Caſtrorum, quæ ſupra delineata dedimus, ubi Longitudo extrema fuit una 17600′. altera 14750′. ſit Iter diurnum non majus Itinere Sabbathico, quod *Eiſenſchmidio* eſt 2000. Cubitorum, i. e. 551. Hexapodarum Gallicarum, 5. ped. $\frac{160}{1440}$. i. e. 3311. pedd. Pariſ. prolongetur duplo 6622. utraque extima Caſtrorum linea, erit prolongata Linea una 24222, altera 21372, Area Parallelogrammi integra, quod & caſtra includit, & ambitum illum Locuſtis ſparſum, prodibit 517672584. pedd. quadrat. ſubtrahe Aream Caſtrorum ſupputatam ibi 259600000. obtinebis pro ſolo ambitu 258072584. pedd. multiplica id ſpatium per altitudinem 2. cubitorum ſiue $3\frac{448}{1440}$. pedd. Pariſ. habebis 854507000. $\frac{512}{1440}$. pedum cubicorum, omnia ſaluo errore calculi. Cogita nunc, imo calcula, ſi lubet, qualisnam proditura foret ſumma, ſi pro Itinere diurno ſumſeris 20000 vel 30000. paſſus, i. e. decuplo vel quindecuplo major. Proſternit ſanè vel ſolus hic Calculus Coturnices, introducitque Locuſtas. Neque vel eminus ad computum noſtrum accedunt 12000000000. Coturnices, quos inuenit, vel per ſomnium forſan in Comm. ad h. l. vidit *Cornelius à Lapide.* Nouimus quidem ex Naturæ Hiſtoria, volare Coturnices per greges integros, memorant *Plinius* & *Solinus*, quod aliquando *velis incidant & nauigia mergant*, & quod 5000. paſſuum ſpatio unico die capi poſſint 100000. Sed non quadrant hæc ad rhombum, non ſatis noſtræ Hiſtoriæ faciunt, quapropter non mirum, confugiſſe nonnullos ad Creationem immediatam. Locuſtarum alia eſt ratio, propior ad rem præſentem acceſſus; non gregatim duntaxat, ſed per Exercitus volant, offendimus *Nubes Locuſtarum; multitudinem Locuſtarum prodigio ſimilem; inæſtimabilem Nubem*, apud *Auguſtin. de civ. DEI.* L. III. c. 31. Quadrat, quod memorat *Aluarez Itinerar. Æthiop.* c. 32. propria nixus Experientia: vidit is ad littus Fluminis Locuſtas occupaſſe ſpatium 8. Leucarum *(oito Leguas)* Luſitanicarum, quæ paulò minores ſunt Germanicis, & duas ulnas in altum *(dous covados d'altura)* Et *Aldrouand. de Inſ.* L. IV. c. 1. ex *Surio*, quod 1541. in Prouinciis Poloniæ vicinis Terram in longitudine atque latitudine 2. milliarium, & cubiti unius altitudine operuerint. Noſtra duorum cubitorum altitudo interprete *Bocharto* intelligi poteſt ita, *1. ut Coturnices in toto illo ſpatio ita fuerint coaceruatæ, ut ubique ad duos cubitos eminuerint. 2. ut Coturnicum fuerint bicubitales acerui ita diſperſi hinc inde, ut vacua ſubinde ſpatia remanſerint, per quæ populus iter faceret, cibos à DEO oblatos collecturus. 3. ut in ipſo volatu ita ſe demiſerint, ut à Terra non abfuerint plusquam 2. Cubitis, quaſi captantium manibus ultro ſe offerrent.* Ex quibus opinionibus ipſi *Bocharto Hieroz.* P. II. L. I. c. 15. media placet. Prior ſanè Coturnicibus planè non fauet, quum vix ſuffeciſſent Hemiſphærii Terræ Coturnices replendo illi ſpatio, imo ne quidem ita coaceruatæ viuere potuiſſent, niſi confugere vellemus ad noua miracula: ſed *non licet*: ita *Clericus*, *Miracula Miraculis tegere, ne perpluant, ſcilicet ut ait ille.* De diſperſis hinc & inde Coturnicum aceruis nil quoque Moſes, & ne hi quidem in viuas Coturnices quadrant: neque te extricaueris, ſi dixeris, demiſiſſe ſe illas ad 2. cubitorum altitudinem ſupra Terram; ſi quippe perrexerunt volando, volaſſent breui trans Caſtra, neque de iis dici potuiſſet, *disjectos* fuiſſe *ad Caſtra circumquaque ſpatio Itineris diurni, fere duobus cubitis in ſuperficie Terræ.* Sed forſan ſuſpenſæ manſerunt, ut eò facilius à quouis captari potuerint. Id rurſum nouum accerſeret miraculum. Volatus quippe Auium, harumque ſtructura juxta hujusmodi æquilibrationem ſuſpenſam conſiſtere nequit. Sed quidem de Locuſtis dici poteſt, jacuiſſe ad 2. cubitorum altitudinem, & tamen manſiſſe viuas.

Fauet iterum *Locuſtis* v. 32. *Et ſurgens populus collegerunt toto illo die, & tota nocte, toto denique ſequenti die Coturnices: quique parum collegit, collegit decem Homer, expanderuntque ſibi expanſiones circum Caſtra.* וַיַּאַסְפוּ *colligebant*, manibus nempe, id quod in Locuſtas quadrat; de Coturnicibus dici debuiſſet, inprimis volantibus, captabant. *Qui parum collegit, collegit decem Homer.* Erat autem חוֹמֶר *Chomer* ſiue כּוֹר *Cor*, *Corus* menſurarum pro aridis maxima, continebatque 2. *Letech* ſiue 10. *Epha*, ſiue 20220. pollices cubicos, juxta reductionem meam 11. quartalia & $6\frac{10}{17}$. modiolos, col-

legit

legit itaque Pater quiuis familias 36. horarum ſpatio 114. quartalia $1\frac{15}{17}$. modiolos. Quæ circumſtantia prorſus non quadrat Coturnicibus, quæ ſi plures ſint numerantur per δυοδέκαδας, non menſurantur quartalibus aut modiolis. Et pone, collegiſſe tot Coturnicum quartalia. Quî, quæſo, Aues haſce conſeruaſſent Iſraelitæ? viuasne, an mortuas? quomodo viuas cibaſſent in Deſerto? caueisne incluſiſſent, an liberas ſibi reliquiſſent? Et quid temporis poſtulaſſet occiſio? nam Judæis non licebat collum obtorquere Aui: debebat jugulo ſciſſo Sanguis omnis effluere, Auis poſtea deplumari, imo & exenterari: & quanam ratione conſeruaſſent mortuas, deplumes, exenteratas, in Climate adeò calido? In his omnibus caſibus opus utique fuiſſet nouis ſemper Miraculis. Aſt nodos omnes ſoluit Locuſtarum Syſtema, quæ abruptis capite & alis debebant ſaltem torreri: huic labori pares erant non viri duntaxat, ſed & fœminæ, & liberi. Non quidem de præparatis remanſerat niſi dimidium, quartalia 57. pro Familia: ſed ſuffecit hæc quantitas pro Menſe. Mirè ſe heic, ut Coturnices ſaluet, torquet *Bochartus.* Etiam ipſi nimia videtur 10. Chomer quantitas pro Familiis ſingulis, quæ de Manna non plus colligebant quàm unicum Homer, id eſt, $\frac{1}{100}$. Chomer: explicat proin 10. Chomer per 10. *aceruos*, uti quoque Exod. VIII. 14. Ægyptii *Ranas collegiſſe* dicuntur *aceruatim*, per aceruos, חֳמָרִים, allegans *Onkeloſum*, & quosdam Arabes, qui etiam habent *aceruos*: & præterea non præciſe intelligi vult *decem aceruos*, ſed in genere *plures.* Fuit namque numerus Judæorum denarius ſæpe pluralis. Ita Gen. XXXI. 7. alloquitur Jacobus uxores ſuas: *Immutauit pater veſter mercedem meam jam decies:* & Num. XIV. 22. DEUS ad Moſen de populo rebelli, *jam decies me tentauerunt*, i. e. pluries. Eſt hæc loquendi ratio etiam aliis Gentibus familiaris. Ingenioſa eſt, fateor, hæc interpretatio, qua ſolui poſſet nodus, ſi non foret, niſi unicus. Sed ſunt plures alii, quos vidimus, non ſolubiles niſi per Locuſtarum ſyſtema. *Expanderunt ſibi expanſiones circum caſtra.* Expandebant nempe Locuſtas, ne aceruatim ſibi ſuperinjecti putreſcerent, ſed ut Soli expoſitæ citius tantò torrerentur, ſic facile conſeruandæ, ut nos in fornace torrere ſolemus Phaſeolorum ſiliquas, quas aſſeruamus per annum, imo & ſuillas bouillasque carnes fumo exiccamus. Heic opus habuiſſent Coturnices nouo rurſus Miraculo: nouimus quippe, in Arabia & Indiis recentem quamuis carnem paucas intra horas verminare putreſcendo, ni protinus condiatur Sale, & fumo exiccetur. Cadit autem hæc difficultas, ſi pro Selawim ſumas Locuſtas, quæ adhuc dum in Oeconomicos uſus torreri ſolent ad Solem, ut iis cadi repleri poſſint: macerari poſt Aquâ, ut paſſim nouimus torreri Piſces, in annos ſic aſſeruari, in remotas etiam Regiones transferri: Qui modus Ichtyophagis haud erat ignotus. Vide *Diodorum* L. III. p. 153.

Quicquid nunc fuerint שְׂלָוִים *Coturnices*, ſeu *Locuſtæ*, certum id eſt, non caruiſſe cibum huncce Miraculo aduectum ſuo condimento, eoque acerrimo. Nam *carne adhuc exiſtente inter dentes* Iſraelitarum, *nec dum contrita, exarſit furor* DOMINI *aduerſus populum, & percuſſit* DOMINUS *populum clade magna.* Qualisnam hæc fuerit Plaga, non exprimit Moſes. Fuit, ſi *Abenezræ* credimus, *Peſtis:* ſi aliis, *Hectica* vel *Phthiſis.* His fauet Pſ. CVI. 15. *Dedit quod popoſcerunt, ſed (ſimul) immiſit macilentiam ipſorum Animæ. (& dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſaturitatem in animas eorum.) Bocharto* placet *Ignis* οὐρανοπετής. Allegat is Pſ. LXXVIII. 21. ubi Pſaltes, poſtquam de carnium deſiderio ſcripſit: *Idcirco DOMINUS (hæc) audiuit, & exarſit, & ſuccenſus eſt Ignis contra Jacob.* Atram ſane notam meruit atrociſſima hæc Rebellio. Locus ipſe, & criminis, & ſupplicii, duplici nomine fuerat inſignitus. v. 3. *Thabera, eò quod Ignis DOMINI in eos deflagraſſet*, v. 34. (*Incenſio, eo quod ſuccenſus fuiſſet contra eos Ignis DOMINI*) *Kibroth hataaſa, eò quod ſepelierant illic populum cupiditate flagrantem.* (*Sepulchra concupiſcentiæ; ibi enim ſepelierunt populum qui deſiderauerat.*)

# TAB. CCCIII.

## Num. Cap. XII. verſ. 10. 11. 12.

10. Et Nubes receſſit à Tentorio, & ecce Maria leproſa fuit velut Nix, reſpexitque Aharon Mariam, & ecce Maria erat leproſa.

11. Dixit ergo Aharon ad Moſem: obſecro Domine, ne obtrudas nobis peccatum hoc, quod imprudenter auſi ſumus, & quæ commiſimus.

12. Quæſo ne iſta fiat quaſi mortuum, quod egreditur de utero Matris ſuæ, & cujus caro fere conſumpta eſt.

10. Nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper Tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra, quaſi nix. Cumque reſpexiſſet eam Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra.

11. Ait ad Moyſen: obſecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtulte commiſimus.

12. Ne fiat hæc quaſi mortua, & ut abortiuum quod projicitur de vulua matris ſuæ, ecce jam medium carnis ejus deuoratum eſt à lepra.

EST hoc tremendum Iræ diuinæ Exemplum, Miraculum uti in inductione, ita in ſubſecuta curatione, conferendum cum *Lepra* illa, quam momentaneam ſuſtinuit Moſes Exod. IV. 6. hac quidem differentia, quod heic inſeruire debuerit Morbi aliàs Chronici ortus & cura terrori Mariæ, Aharoni, totique populo ad Rebellionem eheu! prono, ibi ad confirmandam vacillantem Moſis fidem, utrobique ad demonſtrandam DEI potentiam. Corroſiuam nouimus Lepræ Naturam, & vel hinc difficilimam grauiſſimi pariter atque fœdiſſimi Morbi curam. Eroſis, imo deſtructis cutaneis glandulis ſerpit malum profundius ad ipſos Muſculos, imo & Oſſa. Corroſiuam hanc Lepræ vim indicare mihi videtur v. 12. & alludere non tam ad Fœtum mortuum, qui vel viribus Matris expellitur, vel Artis ope protrahitur in dias luminis auras, expoſiturus aliàs vitæ periculo ipſam Matrem; quam vel ad Secundinas laceratas per fragmina prodire ſolitas, vel ad Fœtum, qui in ipſo Matris Utero putreſcens fruſtillatim excernitur.

# TAB. CCCIV.

## Num. Cap. XIII. verſ. 24.

Venerunt denique usque ad Torrentem Eſchol, inde decerpſerunt termitem, & botrum uuarum unum, quem duo geſtarunt Vecte, (acceperunt) quoque de Malogranatis & de Ficubus.

Pergentesque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum uua ſua: quem portauerunt in vecte duo viri; de malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt.

*Nachal*




NUMER. Cap. XII. v. 10. 11. 12.
Miriam leproſa.

IV. Buch Moſis Cap. XII. v. 10. 11. 12.
Die aůſſätzige Miriam.

*G. D. Heüman sculp.*

RPJCB




NUMER. Cap. XIII. v. 24.
Exploratores Βοτρυοφόροι.

IV. Buch Moſis Cap. XIII. v. 24.
Traüben = tragende Kündſchaffter.

*G. D. Heüman sculps.*

RPJCB

N*Achal Eſcol*, נַחַל אֶשְׁכֹּל à Nobis vertitur *Torrens Eſchol*, *der Bach Eſcol*, Torrentem uuæ, *Trauben-Bach*, verbo dixeris: ita & LXX. נַחַל vertunt per φάραγγα, Vulgata per *Tor*-*rentem*: *Clericus Vallem Eſcol*, quia eadem hæc vox Vallem quoque ſignificat. Sunt equidem, qui Uuam hanc non decerptam volunt de Vite, ſed de *Ficu Indica* in Arabia, & circa Hieroſolymam copioſa, *Muz* vel *Mauz* dicta, cujus fructus botriformes eò ſæpe accreſcunt, ut à viris duobus vix portari queant. v. *Salmuth*. L. II. *de reb. inv*. p. 119. alii de *Palma dactylifera*, nam & hæc *Vinum* dat *palmeum* dictum, & fructus botriformes, *dactylos*, quibus ita onuſtum vidit *Veſling. Not. ad Alpin. Plant. Ægypt.* p. 12. *unicum racemum, ut eum attollere à Terra præ pondere vix ſuſtinuerit.* Sed plerique Interpretes Textum noſtrum intelligunt de *Viti*, botrifera & vinifera, de qua certum, in Oriente & Climatibus quibusuis calidioribus fructus ferre majores & uberiores, excreſcere etiam in majorem & amplitudinem & altitudinem. *In Mauritania ſeu Margiana Aſiæ ſeu Perſiæ Prouincia Vites reperiuntur, quas duorum Hominum amplexus capere non poſſit. Strab. Geogr.* L. II. Confirmat idem αὐτόπτης *Adam Olearius Itin. Perſ.* P. III. p. 484. & *Nicol. Chriſtoph. Radzeuil* in ſuo *Itinerario* refert, ſe vidiſſe uuas & comediſſe, quarum acini fuerint ad inſtar noſtratium Prunorum uuas verò longitudine $\frac{3}{4}$. ulnæ adæquaſſe. In Archipelagi Inſulis & Candia racemos naſci octuplo aut decuplo noſtris majores obſeruauit D. *Deutſchländer*, quod ex ejus literis teſtatur *Sachs à Lewenheim Ampelograph.* p. 100. Sed hæc, & omnia alia, quæ Experientia nobis ſuggerit, nihil ſunt, ſi conferas cum Rabbinorum Fabulis de Uua hac Cananæa, quæ pondus habuerit 2880. Librarum, & ab octo viris geſtari debuerit. De qua mox plura.

Quicquid ſit Uuarum prægrandium Europæis majorum, id certum puto, noſtram hanc *geſtatam* fuiſſe *Vecte* non propter pondus uni Exploratorum nimiùm graue, ſed propter commoditatem, & ut integra transferri poſſet. Prius afferunt, ut modò dictum, Judæi. *Philo de vita Moſis* L. I. p. 494. omnium modeſtiſſime. οἱ βότρυς ὑπὲρ μεγέθει ἦσαν ἀντιπαρεκτεινόμενοι ταῖς κληματίαις καὶ μοσχεύμασιν, ἄπιςος θέα. ἕνα γοῦν ἐκτεμόντες, καὶ δοκίδος ἀπαιωρήσαντες ἐς τὰς ἀρχὰς δυσὶ νέοις, τῷ μὲν ἔνθεν, τῷ δὲ ἔνθεν, ἐκ διαδοχῆς, πιεζομένων ἀεὶ τῶν προτέρων (βαρύτατον γὰρ ἦν ἄχθος) ἐκόμιζον. *Pendebant prægrandes botri è palmitibus, ſpectaculum vix credibile. Horum unum exſectum ſuſpenderunt è vecte medio, cujus extrema impoſuerunt humeris duobus juuenibus, uni quidem hinc, alteri vero illinc, & vicibus, cum priores ſemper defatigarentur, (maximum enim erat pondus) ferebant.* Singulari namque pollet Natio illa rerum magnitudines augendi facultate, ut dolendum fere ſit, caruiſſe Microſcopiis. excreuiſſent enim Pediculi facile ad Camelorum magnitudinem. Si Rabbinorum Traditionibus fides, id fuit Botri pondus, ea magnitudo, ut octo virorum humeris opus fuerit ad eum portandum, imo cuiuis horum onus geſtandum 360. Librarum. v. *Wagenſeil Gloſſ.* ad *Gemaram* & *Ketuuoth* fol. III. b. in *Sota* p. 707. 708. & eo quidem modo geſtatus fuit Botrus, quem exhibent Fig. I. & II. priori mutuò petita ex R. *Iſaaco*, poſteriori delineata ex mente ipſius Celeb. *Wagenſeilii*, qui ex Talmudiſtis hæc inſuper allegat monſtroſæ exaggerationis vota. *At olim, quis ſibi afferet uuam unicam vehiculo, aut naui, eamque in angulum ædium deponens ex ea vinum ſibi depromet, tanquam ex dolio ingenti, ligno verò ejus utetur ad coquendum cibum, nec ulla erit uua, quæ pauciores quàm XXX. vini utres ſuppeditabit!* Nec tamen ſoli recutiti hoc exaggerandi vitio ſunt clari, inuenimus etiam inter Gentiles mendaces magno oris hiatu. Audi *Stephanum Byzantinum* in εὐκαρπία, qui Pagus eſt Phrygiæ minoris. ἱςορεῖ Μητροφάνης, τὸν βότρυν ἐκεῖ τοσοῦτον γίνεσθαι τὸ μέγεθος, ὅσον ἅμαξαν ἀπ᾽ αὐτοῦ σχισθῆναι κατὰ μέσον. *Narrat Metrophanes ibi botrum tanta magnitudine eſſe, ut plauſtrum medium ab eo fiſſum fuerit.* Ubi, pro *Metrophanis* excuſatione, non ſine cauſa forſan, conjicit *Clericus*, pro ἅμαξαν legi debere ἄμπελον, ut ſenſus ſit, *tanta eſſe magnitudine botrum, ut palmitem trahens ſcindat ipſam vitem.* Occurrit hæc Phraſis, σχίζειν τὸν ἄμπελον, *findere vitem*, apud *Theophraſtum de cauſ. Plant.* L. VI. c. 18. ſi ſuccus deriuetur arte in certam partem vitis, in quam alioqui non fluxiſſet. Obſeruat *Fabricius Hiſt. ſacr. contra Pictores.* p. 9. non pingi debere Botrum nudum, ſed juxta cum illo ramum vel ſarmentum, aut palmitem foliis ſuis inſtructum.

Eſt tandem ex Cananææ Regionis deliciis רִמּוֹן *rimmon*, *Malum Punicum*, *Malogranatum*, & תְּאֵן תְּאֵנָה *theen*, *theenah*, *Ficus* Arbor, de quibus alibi.

# TAB. CCCV.

## Num. Cap. XIII. verſ. 33. 34.

Regio illa, quam ad explorandum pertranſiuimus, Regio eſt, quæ deuorat habitatores ſuos, præterea uniuerſus populus, quem vidimus in ea, homines ſunt monſtroſæ magnitudinis.

Vidimus quoque illic Nephilim, poſteros Anack de Nephilim, fuimusque in noſtro quidem judicio veluti Locuſtæ, quin ſic quoque fuimus illorum judicio.

Terra quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos; populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt.

Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati, quaſi Locuſtæ videbamur.

INquirendum linquo aliis, qualesnam fuerint *Enakim* & *Nephilim* populi, cujusnam Proſapiæ, an excelſæ ſtaturæ Gigantes, an Latrones, uti hodie Arabes? Id occaſione Textus moneo, datum nobis eſſe rariſſimè, inuenire & Veritatis & Judicii centrum, determinare præciſam rerum proportionem. Si quid magni, ſi quid eximii, chari, nobis ob oculos ſiſtitur, exaggeramus id, & in immenſum multiplicamus, additione continuata; diminuentes contra ſubtractionibus iteratis, quod flocci pendimus, vel contemptui habemus. Verbo, ex Muſca facimus Elephantem, ex Elephante Muſcam, & ſi quid adhuc minus. Volumina ſcribenda forent, ſi quis Hiſtoricam Gigantum relationem undecunque corraſam peteret: ubi plurima ſunt incerta, multa falſa, pleraque hyperbolica, qualis & proportio, qua timiduli noſtri Exploratores uſi ſunt in ſua rerum viſarum narratione, fuiſſe illos ad Anakitas veluti Locuſtas, id eſt, ſi ſenſui literali inhærere vellemus, hos Turres viuas, præaltas. Nemo non videt, eſſe Locutionem hanc hyperbolicam, qualis & illa Amos II. 9. *Ego deleueram Amorrhæum ante eos, cujus proceritas erat ut proceritas Cedrorum, eratque robuſtus, ut ſunt Quercus.* Nos Germani hyperbolizamus ſimiliter, quando dicimus, *er ſeye ſo groſs und ſtarck als ein Baum, Baumſtarck.* Traxerunt ſæpe Orientales Populi, ut ſolemus res obuias, Locuſtas in Symbola & Prouerbia: conſtat id ex Sacris & profanis, Jud. VI. 5. *Aſcenderunt* Madianitæ & Amalekitæ *magna multitudine inſtar Locuſtarum.* Jud. VII. 12. *Jacebant* iidem *in Valle inſtar Locuſtarum multi, & Cameli eorum innumeri erant, & multi veluti harena, quæ eſt in littore marino.* De Trojanis & Æthiopibus, quos Mnemon duxit, *Quintus Smyrnæus* L. II. v. 195.

\- - τοὶ δ' ἐκέχυντο  
Ἀκρίσι καρποβόροις ἐναλίγκιοι, αἵτε φέρονται  
Ὡς νέφος, ἢ πολὺς ὄμβρος, ὑπὲρ χθονὸς εὐρυπέδοιο  
Ἄπλητοι, μερόπεσσιν ἀεικέα λοιμὸν ἄγουσαι.

\- - - - - Ipſi autem effundebant ſe  
Locuſtis frugiuoris pares, quæ feruntur  
Ut Nubes, aut immodicus imber ſuper latam Terram,  
Innumeræ, tetram Hominibus famem allaturæ.

Jeſ. XL. 22. *Sed & DEUS ſupra globum Terræ & qui habitant in ea ſunt veluti Locuſtæ.* Ita *Lucianus* in *Hermotimo*, οἷον μύρμηκας ἀπὸ τοῦ ὕψους ἐπισκοποῦντάς τινας τοὺς ἄλλους. Hoc interim diffitendum haud eſt, ſuperatos fuiſſe Iſraelitas magnitudine ab illis Anakitis, de quorum ſtatura commodior alibi ſeſe offeret differendi occaſio.

TAB.



NUMER. Cap. XIII. v. 33. 34.
Enakim.

IV. Buch Moſis Cap. XIII. v. 33. 34.
Canaaneiſche Rieſen.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

RPJCB



NUMER. Cap. XV. v. 4-6-9.
Sacrificium cibarium.

IV. Buch Moſis Cap. XV. v. 4. 6. 9.
Speiß-Opfer.

M. Tyroff sculp.

RPJCB

TAB. CCCVII.



NUMER. Cap. XVI. v. 31-35.
Tumultuantium interitus.

IV. Büch Moſis Cap. XVI. v. 31-35.
Der Aufrührer Untergang.

*G. D. Heüman sculps.*

# TAB. CCCVI.

## Num. Cap. XV. verſ. 4. 6. 9.

4. Is qui adducit donum ſuum ſacrificium cibarium, nempe decimam partem ſimilaginis commixtam quarta parte Hin olei.

6. Aut ad Arietem facias Sacrificium cibarium duas decimas ſimilaginis conſperſas oleo, dimidium videlicet Hin.

9. Adferat cum Juvenco Sacrificium cibarium tres decimas ſimilaginis conſperſas oleo, dimidium videlicet Hin.

4. Offeret quicunque immolauerit victimam, ſacrificium ſimilæ, decimam partem ephi conſperſam oleo, quod menſuram habebit quartam partem Hin.

6. Et arietes, erit ſacrificium ſimilæ duarum decimarum, quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis Hin.

9. Dabis per ſingulos boues ſimilæ tres decimas conſperſæ oleo, quod habeat medium menſuræ Hin.

FUit *Hin* הִין menſura Liquidorum $\frac{1}{6}$. Bathi 337. pollicum cubicorum Pariſienſium ſupra ad Exod. XXIX. 40 reducta ad Menſuras Tigurinas æqualis 2. menſuris $\frac{2}{9}$. dimidiæ menſuræ agreſtis: ſiue 2. menſuris 1. dimidiæ & $\frac{1}{4}$. quartalis menſuræ urbicæ: Erit proin

| | menſ. | dimid. menſ. agr. |
|---|---|---|
| v. 9. $\frac{1}{2}$. Hin 168$\frac{1}{2}$. poll. | 1. | $\frac{1}{9}$. |
| | 1. | 1$\frac{1}{8}$. quart. urb. |
| v. 6. $\frac{1}{3}$. Hin 112$\frac{1}{3}$. | | 1$\frac{2}{27}$. agr. |
| | | 3$\frac{5}{12}$. quart. urb. |
| v. 4. $\frac{1}{4}$. Hin 84$\frac{1}{4}$. | | 1$\frac{1}{18}$. quart. agr. |
| | | 1$\frac{5}{16}$. quart. urb. |

Decima pars ſcilicet Ephæ aliàs Homer & Gomor ad l. c. fuit reducta ad 1$\frac{351}{425}$. modioli Tigurini. Ergo

| | | |
|---|---|---|
| $\frac{2}{20}$. v. 6. æquales. | 3$\frac{227}{425}$. mod. |
| $\frac{3}{10}$. v. 9. | 5$\frac{213}{425}$. |

סֹלֶת *Soleth*, *Simila*, *Similago*, Græcis antiquo vocabulo σεμίδαλις à Cerere, ut quidam volunt, quæ Syracuſis Σιμαλὶς appellabatur, *Athenæo* Authore, farina eſt delicatior ſiue flos farinæ triticeæ, ex qua lautiſſima panificia, placentæ & bellaria jam olim fingebantur. Hinc *Panis* σεμιδαλίτης, *Similaceus*. *Panis, qui de granorum fit medullis, & Simila vulgò ſolet vocari, nutribilior eſt & indigeſtibilior. Conſtantin. Afric.* L. V. *Loc. Comm.* Vox adhuc nobis Tigurinis uſitata *Simlen*. In Chartis veteribus Diplomaticis *Simula*, *Simulus*, *Simla*, *Simenellus*.

# TAB. CCCVII.

## Num. Cap. XVI. verſ. 31. 32. 33. 35.

31. Contigit autem quum perfeciſſet (Moſes) omnia Verba iſta, quod Tellus ſub illis dehiſceret.

32. Aperuitque Tellus os ſuum, & deglutiit eos, atque domos eorum, & omnes Homines, qui cum Korah erant, cum uniuerſa ſuppellectile.

31. Confeſtim igitur ut ceſſauit loqui, diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum:

32. Et aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eorum.

33. Et deſcenderunt ipſi cum omnibus, quæ habuerunt, viui ad inferiores, operuitque eos Terra, & perierunt de medio congregationis.

35. Sed & Ignis egreſſus eſt à DOMINO, qui deuorauit ducentos & quinquaginta illos viros, qui ſuffitum faciebant.

33. Deſcenderuntque viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

35. Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum.

Est hæc ſeditioſæ turbæ ad tartarea loca præcipitatio inter alia Miracula, quæ DEUS patrauit per Moſen, Veritatis Judaicæ Religionis Κριτήριον. Non legitur ulla hujus generis δοκιμασία in ulla vel Gente, vel Cultu. Stet penes alios Scripturæ interpretes, deſcribere rebellium nomina, Familiam, numerum, cauſas turpiſſimæ Apoſtaſiæ, & audaciſſimæ perduellionis occaſionales, reorum ex una, Moſisque & Aharonis ex altera parte procedendi, murmurandi, obloquendi, cauſam DEI defendendi modum. Mearum eſt partium, vim inquirere Miraculi, quo turpiſſimæ ſeditionis ſocii fuerint partim à Terra hiante abſorpti, partim Igne, qui egreſſus eſt à DOMINO, combuſti.

Ad Miraculi demonſtrationem id ante omnia facit, quod non caſu fortuito contigerit terribile hoc φαινόμενον, ſed perduellibus pœnam hancce ante prædixerit Moſes, quàm quis tale quid præſumere poſſet. Ita Vir DEI ad Gentem ingratam v. 28. 29. 30. *In hoc cognoſcetis, quod DOMINUS miſerit me, ut facerem cuncta iſta opera, neque ex corde meo. Si morientur iſti morte, qua ſolent uniuerſi Homines, viſitanturque viſitatione uniuerſorum Hominum, non miſit me DOMINUS. Si vero DOMINUS noui quidquam creauerit, aperueritque humus os ſuum, & deuorauerit eos unà cum omnibus, quæ habent, deſcenderintque viui ad inferos, noſſe debetis, quod viri iſti irritauerint DOMINUM.* (*In hoc ſcietis, quod Dominus miſerit me, ut facerem uniuerſa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si conſueta hominum morte interierint, & viſitauerit eos plaga, qua & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus. Sin autem nouam fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viuentes in infernum, ſcietis quod blaſphemauerint Dominum.*) Ubi annotari meretur Phraſis, אִם־בְּרִיאָה יִבְרָא יְהוָה propriè ut habet *Arias*, *ſi creationem creauerit DOMINUS*, notat namque בָּרָא *bara* non ſolum, producere aliquid, Ens corporeum ſeu ſpirituale, ex nihilo, ſed efficere aliquid magni, inſoliti, quod curſum Naturæ ordinarium tranſcendat, idque ſolius Voluntatis nutu. Quo ſenſu ſumitur Exod. XXXIV. 10. *Faciam rara quædam, quæ creata non ſunt in uniuerſa Terra, neque in ulla Natione.* (*Signa faciam quæ nunquam viſa ſunt ſuper Terram, nec in ullis gentibus.*) Jeſ. XLVIII. 6. 7. *In futurum annuntiaui tibi noua quædam atque abſtruſa, quæ tu ignorabas. Jam enim creata ſunt recens, & non jam olim.* (*Audita feci tibi noua extunc, & conſeruata ſunt, quæ neſcis: Nunc creata ſunt, & non extunc.*) Jeſ. LXV. 17. *Ego creo cœlos nouos, & Terram nouam.*

Vires Naturæ neutiquam excedit Hominum, Ædium à Terra abſorptio, dehiſcente, & os ſuum aperiente. Contingit id, quoties fundamina alicujus Prouinciæ, Urbis, Montis, ab Aquis ſubterraneis aliisue cauſis eroduntur: tunc vi grauitatis, & juxta Leges Naturæ grauiora, quæ ſuperſtant, corpora collabi neceſſe eſt: vel, quoties à Terræ motu Cortex Terræ ſuccutitur ita, ut portio in cauitatem ſubjectam decidat. Exempla ſuggerit, eaque numeroſa, Sicilia, Italia, ipſa quoque Heluetia noſtra abſorptionem Plurii, pulcherrimi in Rhætia Vici, adhuc luget. *Latiſſimè hoc malum patet, ineuitabile, auidum, publicè noxium: non enim domos ſolùm & familias, aut urbes ſingulas haurit, ſed Gentes totas Regionesque ſubuertit: & modò ruinis operit, modò in altam voraginem condit, ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non eſt, ſaltem fuiſſe; ſed ſupra nobiliſſimas Urbes ſine ullo veſtigio prioris habitus ſolum extenditur. Seneca Nat. Quæſt.* L. VI. c. 1. Epicureiſat equidem hic idem c. 3. ſcribens, *nihil horum Deos facere, nec ira Numinis, aut cœlum concuti, aut Terram.* Nam & motus Naturales, naturaliſſimos imò, ubique & omni tempore obuios DEUS facit, ſed juxta leges ab ipſo latas. Sunt & Naturæ opera opera DEI; Aſt, quod nunc examinandum ſuſcepimus opus, extra ordinem illarum Legum eſt factum, verum Miraculum. Prænuntiat vir θεόπνευστος, Terrâ adhuc integra & clauſa, locum, tempus, modum, perſonas, &c. quod prædicit, mox datur effectui. Sed, quod probè animaduertendum, non in Sicilia, non in Regno Neapolitano, aut Territorio Romano, Regionibus per Ignes ſubterraneos exeſis: non in montoſis Regionibus, quarum viſcera ſunt caua, ſed in Arabia arenoſa, deſerta, Terræ motibus, ut aliæ Prouinciæ planæ, longè minus,

nus, vel rariſſimè obnoxia. Et tamen in hac Regione dictum fuit factum: *Contigit enim, quum perfeciſſet omnia Verba iſta, quod Tellus ſub illis dehiſceret, aperuitque Tellus os ſuum, & deglutiit eos, atque domos eorum, & omnes Homines, qui cum Korah erant, cum uniuerſa ſupellectile. Et deſcenderunt ipſi cum omnibus, quæ habuerunt, viui ad inferiores, operuitque eos Terra. (Confeſtim igitur ut ceſſauit loqui, dirupta eſt Terra ſub pedibus eorum. Et aperiens os ſuum, deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eorum. Deſcenderuntque viui in infernum, operti humo.)*

Occurrit paſſim in Sacris vox שְׁאוֹל *Scheol*, *inferi, inferiores, Grub*, ſignificatque in genere τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, viſcera Terræ, quæ ſub cortice hoc ſuperiori latent, DEO equidem clariſſimè perſpecta, nobis incognita, quia viſus ea non attingit. *Nudus ante illum extat infernus* שְׁאוֹל Job. XXVI. 6. Eſt ipſa hæc *Regio* ſubterranea *tenebris, & denſiſſima umbra, obſita, obſcura, qualis eſt caligo & umbra denſiſſima. (Terra miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis.)* Job. X. 21. 22. Hinc eſt, quod paſſim ſumatur hæc vox pro Sepulchro. En adlocutionem DEI ad Tyrum. Ezech. XXVI. 20. *Deponam te cum his, qui deſcendunt in foueam ad populum Sæculi, & ponam te ad Terram inferiorem quemadmodum ſolitudines perpetuas cum deſcendentibus in lacum. (Et detraxero te cum his, qui deſcendunt in lacum, ad populum ſempiternum, & collocauero te in terra nouiſſima, ſicut ſolitudines veteres, cum his qui deducuntur in lacum)* Ubi τῆ Scheol graphica extat idea. Non proin dici poteſt eſſe Scheol, quò peruenit turba illa ſeditioſa, ipſum κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum *Infernum*, ſed potius locum Sepulturæ, qualis & deſtinatur piis, ſub vario conſpectu deſcriptus. Job III. 12 - 18. Non ſanè Scheol damnatorum fuit *fouea* illa, in quam ſeruum Jacobum Patrem abductione Benjaminis in Ægyptum *deducere* videbantur filii. Gen. XLIV. 29. non illa, de qua Ezechias lethaliter decumbens. Jeſ. XXXVIII. 10. *In præciſione dierum meorum ibo ad portas inferorum.* Viui itaque, judicio prorſus extraordinario, debebant ſepeliri Koritæ; quale quid Regius Pſaltes comminatus fuerat Eccleſiæ hoſtibus. Pſ. LV. 24. *Tu, ô DEUS, detrudes ſanguinarios iſtos & fraudulentos in puteum interitus*, & v. 16. *Derepente mors ſuper illos irruat, deſcendant viui ad inferos. Joſephum* ſi audimus, præceſſit abſorptioni Terræ motus ruptor. Ita is Ant. L. IV. c. 3. Σείεται μὲν αἰφνίδιον &c. *Terra horrendum repente contremuit, & undante ſuperficie, non ſecus quàm pelagus vento fluctuans, uniuerſum populum terruit: immani mox ſonitu eliſo, qua ſeditioſi tendebant, ſolum ſubſidit, & eodem momento omnes ad unum abſorbet: ſublatisque in hunc modum profanis, hiatus ille ita rurſum clauditur, ut ne veſtigium quidem ejus ſupereſſet.*

Sed & *Ignis egreſſus* eſt à DOMINO, qui *deuorauit ducentos & quinquaginta illos viros, qui ſuffitum faciebant: (Sed & ignis egreſſus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incenſum)*. *Tantus* autem fuerat, *Joſepho* commentante, hic *Ignis*, *quantum nec homines ipſi unquam excitauerunt, nec in Terris ſponte ardentibus, nec in ſyluis per æſtum Auſtri flatu colliſis & attritis excitatum viderunt; ſed qualis diuinitus accendi poterat fulgentiſſimus ſimul & flagrantiſſimus*, λαμπρὸς καὶ φλογωδέςατος. Stabant ſeditioſæ Turbæ coryphæi ante Tabernaculum in conſpectu Columnæ Nubis & Ignis, ut vero omnino ſit ſimillimum, profuſiſſe ex ea Ignem verè fulmineum, ſed extraordinarium prorſus & miraculoſum, ſi ita fuere conſumpti illi 250. *unà cum Core, ut ne cadauerum quidem reliquiæ comparerent*, ὡς καὶ τὰ σώματα αὐτῶν ἀφανῆ γεγονέναι, ut iterum *Joſephus*, id eſt, in cineres redacti. Fulmen quippe ordinarium vel disjicit, vel accendit duntaxat, imò ſæpe maculam ſolùm nigricantem relinquit, & quos necat homines ſuffocat, illæſo plerunque corpore.

Monendum ὡς ἐν παρόδῳ fuiſſe magnam Miraculorum partem, quæ pro Religionis Judaicæ δοκιμασίᾳ in Veteri Oeconomia fieri volebat DEUS, terrificam prorſus, cum interitu multorum Hominum, ut hîc Koriticæ Turbæ, combinatam. Quum è contra Euangelii Veritas fundetur majori miraculorum numero, ſed talium, quæ & amicis & hoſtibus fuere ſalutaria: unicam Ficum legimus maledictam, & Porcorum gregem permiſſu Saluatoris in Mare præcipitatum. Regnabat ibi πνεῦμα δελείας εἰς φόβον Rom. VIII. 15. ut debuerint Homines ad officia ſua veluti cogi metu atque terrore: quum è contra ſub Noui Fœderis Oeconomia ſpiret Aura lenis, πνεῦμα υἱοθεσίας, quò Fideles DEO ſeruiant inenarrabili gaudio. Ampliorem hujus diſcriminis explanationem Theologis relinquo.

# TAB. CCCVIII.

## Num. Cap. XVI. verſ. 47. 48. 49.

47. Tulit itaque Aharon, quemadmodum locutus fuerat Moſes, & cucurrit in mediam concionem, & ecce clades cœperat in populo, imponensque incenſum expiauit populum.

48. Et quum ſtaret inter mortuos & viuos, cohibita eſt clades.

49. Fuerunt autem eorum, qui mortui ſunt in clade iſta, quatuordecim millia & ſeptingenti, præter eos, qui mortui erant in negotio Korah.

47. Quod cum feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtulit thymiama.

48. Et ſtans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus eſt: & plaga ceſſauit.

49. Fuerunt autem qui percuſſi ſunt, quatuordecim millia hominum & ſeptingenti, absque his qui perierant in ſeditione Core.

ILluſtre *Mortium ſubitanearum*, de quibus *Lanciſius*, Exemplum, ſed & tremendum, imo miraculoſum. Heic philoſophari non licet, neque de cauſa, an ſubitanea fuerit vel condenſatio ſanguinis, vel rarefactio, Cordis Cerebriue oppreſſio, neque de cura, præſeruatoria nempe eorum, quos idem manebat ſupplicium, niſi ſuffitibus ſacris interueniſſet Aharon, & Moſes precibus pro rebelli populo. Fuit namque ſententia lata v. 45. ita DOMINUS ad Moſen. *Separemini è medio congregationis iſtius, ut conſumam eos ſubito.* Dictum factum. v. 46. *clades cœperat in populo. (plaga deſæuit)* Peſtis ſi fuit, adeò cita & pernicioſa, ut ſimile quid juxta Naturæ curſum oriri non poſſit. Miraculi Criterion eſt ipſa Rebellio, rebellibus indicta pœna, pœna ſine mora executioni data in 14700. præſeruatio reliquorum per ſuffitum.

# TAB. CCCIX.

## Num. Cap. XVII. verſ. 7. 8.

7. Et repoſuit Moſes Virgas illas coram DOMINO in Tentorio Teſtimonii.

8. Factum eſt autem poſtero die, quum veniret Moſes in Tentorium Teſtimonii, en Virga Aharonis pro domo Leui floruit, proferens germen, & prorumpens in florem reddidit Amygdalas.

7. Quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino, in tabernaculo Teſtimonii.

8. Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt.

Excla-




NUMER. Cap. XVI. v. 47. 48. 49.
Subitaneæ mortis expiatio.

IV. Buch Moſis Cap. XVI. v. 47. 48. 49.
Verwehrung plötzlicher Todes-Fällen.

*I.G. Thelott sculp.*

RPJCB



NUMER. Cap. XVII. v. 7. 8.
Virga Aharonis.

IV. Buch Moſis Cap. XVII. v. 7. 8.
Aarons blühende Wunder-Ruthe.

I. B. Probst sculp.

RPJCB

EXclamare licebat nuperrimè, quum vivi abſorberentur à Terra Koraitæ rebelles, ex Pſal. LXVIII. 36. *Tremendus es, ô DEUS, de ſanctuariis tuis.* Nunc exclamare licet, *admirandus es ô* DEUS, quæ *Lutheri* eſt Verſio, *wunderſam biſt du ô GOTT in deinem Heiligthum.* Nam ecce, tradit cujuslibet Tribus Dux ſeu Princeps virgam ſuam aridam, & Virga Aharonis pro Tribu Leui in Tentorium depoſita coram DOMINO, totius Exercitus Duce Generaliſſimo, unica nocte floret, germinat, reddit Amygdala, reliquis omnibus manentibus aridis, exuccis, ἀκάρποις.

Notandum heic, omni æuo, apud omnes penè Nationes, habuiſſe Reges, Principes, Duces, non duntaxat *baculos*, quibus incederent ambulantes, ſed quoque *Sceptra*, Regiminis, quod gerebant, ſymbola ſiue notas characteriſticas, à DEO, quod prætendebant, ſibi tradita. Apud *Heſiodum Minos* Cretenſis proponitur, ut talis, qui Jouis habeat ſceptrum, Ζηνὸς ἔχων σκῆπτρον. Ipſis Sacerdotibus, qui etiam ſibi arrogabant dominium, erant apud Græcos *Sceptra*, apud Romanos *Litui.* Apud *Homerum Iliad.* l. v. 14. 15. legitur Sacerdos *Chryſes.*

Στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλȣ Ἀπόλλωνος
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ.

Coronas habens in manibus eminus ferientis Apollinis
Aureo cum Sceptro.

Apud *Perſas* habebant *Magi* ῥάβδȣς ex Lauro, ἄνσακοι dictos: ſunt adhuc Epiſcopis ſua *Peda*, ſimilia fere Augurum *Lituis.*

Aſt nullius ſeu Principis ſeu πρωτοιερέως Sceptrum Miraculo fuit inauguratum, quale Aharonis. Non enim, quod in Textu narratur, contigit caſu, non ex naturalibus cauſis, ſed debebat euentus reſpondere DEI mandato, promiſſioni & prædictioni. Extat Mandatum v. 1. 2. 3. 4. *Loquutus eſt* DOMINUS *ad Moſen dicens: Loquere ad filios Iſrael, & cape ab eis ſingulas Virgas, juxta patrias domos, à cunctis ſcilicet primoribus eorum juxta domos patrum ſuorum, duodecim nempe Virgas, ſcribesque ſuper cujusque Virgam nomen ejus* —— *Repone autem eas in tentorium conſtitutionis coram Teſtimonio. (Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad filios Iſrael, & accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ.* — *Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio.)* Prognoſticum ſeu promiſſio v. 5. *fiet ut virga illius Viri, quem elegero, germinatura ſit.*

Pro Miraculi illuſtratione animaduertenda eſt Temporis circumſtantia. Jacebat virga Aharonis non per Menſes, non per Hebdomadas, ſed vix per νυχϑήμερον. *Factum eſt poſtero die, quum veniret Moſes in Tentorium Teſtimonii, en Virga Aharonis — floruit. (Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron.)* Quæ heri exucca fuit prorſus, & arida, hodie ſucci plena viret. Ut huc prorſus non quadret, quod legimus apud *Caſſianum L. IV. Inſtit.* c. 24. de Abbatis cujusdam in Oriente baculo, qui poſt triennalem aſperſionem Aquæ tandem germinauerit, vel & floruerit: ubi notandum, Terræ fuiſſe infixum. Non tranſcendit Naturæ vires virgæ ſeu ſurculi ab Arbore reſciſſi, Terræque infixi radicatio, & à ſucco attracto germinatio, earum inprimis Arborum, quæ ſucco nutritio gaudent tenaciori, vicidiori, oleoſo, ut Olearum & Salicum. Et tamen hujusmodi productionibus uſus fuit ὁ μυριοτέχνης, in Gentiliſmo æquè ac Chriſtianiſmo ad ampliandum ſuum Regnum. Quis iuerit inficias, obuia paſſim eſſe θαύματα hujusmodi ficulneis fundamentis nixa? *Plutarcho* teſte in *Romulo*, primi hujus tantæ Monarchiæ fundatoris Haſta excreuit in *Cornum.* Pauſaniâ in *Corinthiacis, Herculis* claua ex Olea ſilueſtri parata refloruit Terræ infixa. De *Turcis* narratum memini, *Roſas* ſibi procurare ἀνϑοφίλȣς media Hyeme adſperſione Spiritus Vini, Frutice tamen ipſo hoc Experimento pereunte. Sed heic temporis decurſu eſt opus, neque protrudunt flores ſuos Roſæ ſpatio unius diei aut ſeptimanæ. Et proſtant paſſim Hortulanorum Experimenta, qui paucas intra Horas ſemen *Petroſelini* aut *Endiuiæ* ad germinationem cogunt. Heic nihil horum. Deponuntur, & partim Naturæ viribus, partim miraculoſæ DEI Potentiæ exponuntur duodecim Virgæ aridæ in Climate æſtuoſo, loco ſicco, ubi neque à Rore Cœli, neque à Pluuia irrigari poterant: & ex his omnibus Virgis ſola germinat, nocte elapſa, Aharonica, floret, fert fructus. Inacceſſibile heic omne humanum artificium. Solus in auxilium venit, qui καλεῖ τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα. Rom. IV. 17. Non ſanè poterat magis harum virgarum ulla Solis Naturæ viribus reviréſcere, ac *Sceptrum* illud *Achillis Homer. Iliad.* α. v. 234.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ, μὲν ȣ̓́ ποτε φύλλα κ̀ ὄζοις
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Ὀυδ᾽ ἀναϑηλήσει, περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκος ἔλεψε
Φύλλατε κ̀ φλοιόν.

Certè per hoc Sceptrum quandoquidem nunquam folia & ramos
Producet, ex quo ſemel inciſionem in montibus reliquit,
Neque reuireſcet: circumcirca etenim hoc Æs decorticauit
Foliaque & corticem.

His conſideratis obſtupeſcet Atheorum ac Pſeudo-Politicorum malitia, qui Moſen per pias frau-

fraudes Aaroni πρωτοιερέως dignitatem procuraſſe prætendunt.

Meretur ulteriorem conſiderationem Virga hæc Aharonica. De *Amygdalo* Arbore notum, pertinere ad filios ante Patres, quia primo Vere protrudit Flores lætè rubellos, antequam germinent folia, & menſibus nonnullis exactis tandem profert Fructus. Sed heic videmus Amygdali ramum, aridam virgam, unica nocte virentem, ſucco plenam, germinantem, Gemmas trudentem & folia, virentem, florentem, & fructibus onuſtam: addo, de quo haud dubium, decorticatam ante fuiſſe nouo Cortice obductam, ſicque ex mortuo corpore reuiuificatam. Dignum mehercle Miraculum exclamatione illa Exod. XV. 11. *Quis ſicut Tu magnificus ſanctitate? formidabilis laudibus, faciens admiranda?* Imo digna Miracula plura, octo namque numerat M. *Chriſtianus von Stöcken* Epiſcopi Lubecenſis Eccleſiaſt. aulic. & Superintendens in *Diſp. Inaug. de Virga Aharonis florida*, quam Wittebergæ habuit Præſide *Chriſtiano Kortholt* S. Th. P. 1685. Et ſanè ita mentes Judæorum perſtrinxit θαυμάσιος hæc Virga, ut eam in Siclis ſuis, ſi genuini ſunt, qui ita notantur, repræſentarint, ubi ex unâ parte videre licet vas Mannâ refertum, Virgam Aharonis ex altera.

Virgam hancce non *Amygdali* fuiſſe, ſed *Styracis* Arboris voluere Patres. Ita *Tertullianus Carm. adv. Marc.*

Hic Aaron eſt virga Crucis, quæ germina profert,
Ipſi diſſimilis, Styracis tamen arbore nata.
*E mox:*
Et virga Styracis fructus Nucis attulit: ipſa
Virginis hæc ſpecies, genuit quæ ſanguine corpus
Conjuncta in Ligno ſedabit mortis amarum,
Interius dulcem Fructum.

Adſcendunt Rabbini ad Creationis tempora, dicuntque, reſciſſam fuiſſe hanc *Virgam* ex *Arbore Vitæ* in Paradiſo, uti quoque Lignum illud, quo mediante Moſes Aquas amaras reddidit dulces, illudue, cui adfixit Serpentem æneum. Fidem majorem meretur, quam alii recutiti Doctores, *Joſephus. Is Ant.* L. IV. c. 4. expreſſis ſtatuit verbis, fuiſſe Amygdalum ἐκ δὲ τῆς Ἀαρῶνος βλαστοὺς τε καὶ κλάδους ἀναφῦντας, ἔωρον, καὶ καρπὸν ὡραῖον, ἀμύγδαλα δ' ἦν, ἐκ τοῦ τούτου ξύλου τῆς βακτηρίας κατεσκευασμένης. Imo neceſſe eſt fuiſſe Amygdalum, quæ Amygdala, teſte Textu, portauit, niſi & heic nouum velimus ſtatuere Miraculum.

Miraculis accenſeri id quoque debet, quòd Virga hæc Aharonica manſerit virens, florens, frugifera, recens, per multa Secula, id quod volunt *Abulenſis*, *Bonfrere*, *Corn. à Lapide*, *Friedlieb*, *Calouius*, alii. Id ſaltem certum, adſeruari debuiſſe virgam hanc in perenne rei geſtæ teſtimonium, v. 10. 11. *Et dixit DOMINUS ad Moſen: Reſtitue virgam Aharonis ante teſtimonium, ut reſeruetur in ſignum filiorum rebellium, & ceſſet murmuratio eorum à me, ne moriantur. Fecit itaque Moſes, quemadmodum præceperat ei DOMINUS, ſic inquam fecit.* An verò aſſeruata fuerit in ſanctiſſimo extra vel juxta Arcam, quod indicare videntur verba, ante *Teſtimonium*, vel recondita intra Arcam, aliis dijudicandum linquo. Poſterius probare videtur Hebr. IX. 4. ἐν ᾗ (Κιβωτῷ τῆς διαθήκης) στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ Μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης. Alius item, non mei, eſt fori explicatio typica Virgæ hujus amygdaliferæ, neque inuidebo iis gloriam, qui virgam hanc cum vaſe mannâ repleto aſſeruari prætendunt in Templo Lateranenſi Romæ, vel Pariſiis, vel S. Saluadoris in Hiſpania, vel Burdigalæ apud S. Seuerinum.

A. Amygdalus.

B. Styrax. item Numi Judaici vaſculum Mannæ & Virgam hancce virentem more ſuo repræſentantes.

TAB.

RPJCB



NUMER. Cap. XIX. v. 2.
Vacca rufa.

IV. Buch Moſis Cap. XIX. v. 2.
Die rothe Kühe.

*G. D. Heüman sculp.*

RPJCB



NUMER. Cap. XXI. v. 6-8. 9.
Serpentes urentes.

IV. Buch Moſis Cap. XXI. v. 6-8-9.
Brennende oder feürige Schlangen.

G. D. Heüman sculps.

# TAB. CCCX.

## Num. Cap. XIX. verſ. 2.

— Loquere ad filios Iſrael, ut adducant ad te bucculam rufam, ſine vitio, in qua nihil poſſit reprehendi, cui jugum non fuit impoſitum.

— Præcipe filiis Iſrael, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portauerit jugum.

Est heic פָּרָה *parah*, fœmininum τȣ̃ פַּר *par*, *vacca* adhuc integra, τέλειος, quæ nondum ſubiit jugum. Talem pollicetur Diomedes ſe Palladi immolaturum. *Homer.* Il. κ'.

Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βȣ̃ν ἦνιν εὐρυμέτωπον
Ἀδμήτην, ἣν ȣ̈πω ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.

Anniculam, latæque tibi mactabo juuencam
Frontis, & edomita nondum ceruice ſubactam.

Debebat autem hæc *Vacca* eſſe *rufa*, imo perfectè rufa, jungunt enim Judæi תְּמִימָה אֲדֻמָּה

Proin *Maimonides Tr. de vacca rufa* c. I. §. 2. *Si duos ſolùm pilos albos aut nigros ſibi mutuo incumbentes habuit in medio loci depreſſi, aut inter duos poros, habebatur pro polluta*, i. e. ad ſacrificium inepta. Ita quoque *Plutarchus* in *Iſide* de Ægyptiorum ſuperſtitione, τῶν βοῶν τȣ̀ς πυῤῥȣ̀ς καθιερεύȣσιν, ȣ̈τως ἀκριβῆ ποιȣ́μενοι τὴν παρατήρησιν, ὥςε κἂν μίαν ἔχῃ τρίχα μέλαιναν, ἢ λευκὸν, ἄθυτον ἡγεῖσθαι. *Boues rufos immolant, hoc tam accuratè obſeruantes, ut ſi bos vel unum pilum nigrum aut album habeat, putetur eſſe profanus. Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 27. & 29. Color ita Animalis immolandi fuit Ægyptiis & Iſraelitis idem, ſed non ſexus, dum illi marem ſeligebant, hi fœminam.

# TAB. CCCXI.

## Num. Cap. XXI. verſ. 6. 8. 9.

6. DOMINUS igitur immiſit in populum ſerpentes urentes, qui populum mordebant, & mortuus eſt ex Iſraele populus multus.

8. Dixitque DOMINUS ad Moſen: Fac tibi (Serpentem) urentem, & pone eum ſuper palum in ſublime ſublatum, fietque ſi Serpens aliquem momorderit, intueatur eum, & incolumis erit.

9. Fecit itaque Moſes Serpentem æneum, & poſuit eum ſuper palum erectum, fiebatque ſi quem momordiſſet Serpens, intuens Serpentem æneum ſanabatur.

6. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes: ad quorum plagas & mortes plurimorum.

8. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.

9. Fecit ergo Moyſes Serpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.

N*Echaſchim Seraphim*, נְחָשִׁים שְׂרָפִים Serpentes urentes, cognomine hoc donantur aut à rubro, æneo, igneo colore, quod *Vatablus* vult, vel potius, quia & halitu & morſu in corporibus rebellium urentem excitarunt dolorem, hinc & dicti πρηστῆρες, καύσωνες. Nobis ſatis rectè *brennende Schlangen*, ſicuti vocamus Urticas *brennende Neſslen*, vel, quod *Ludolfo* placet *Comm. in Hiſt. Æth.* p. 168. *Brand-Schlangen* potius quàm *feuerige Schlangen;* quo & *Durſt-Schlangen* nomine deſignat *Kolb Cap. Bon. Spei* p. 213. Serpentem cubitalem, colli lati, dorſi nigricantis, *Dipſas*, *Preſter* aliàs dictum, cujus morſus illico corpori infert tumorem fluido ſanguini coagulationem ſiti fere inextinguibili ſociatam, lethalem, ni ſuccurratur promptiſſimè. Hunc Serpentem ipſe per *Serpentes* noſtros *Urentes* intelligit. Ubi animaduertendum, excitari hujusmodi dolores in viſceribus abdominalibus, imo & ſæpe in toto corpore, à Venenis corroſiuis, Arſenico, ſublimato Mercurio, Ærugine: vidi ſanè in Cœnobio Angelimontano Patres ex Ærugine vaſis cupreis abraſa conqueri non duntaxat de torminibus Stomachi & Inteſtinorum, ſed quoque de doloribus Igneis ad inſtar urentibus, qui decurrebant per artus: integram Hiſtoriam Colicæ hujus ſpasmodicæ vide ſis in operibus meis Hiſtorico-naturalibus, nominatim *Itiner. alpin.* p. 14. Edit. Belg. Inferuntur & talismodi dolores à Cicuta, Serpentibus, aliisue Animalibus venenatis, Aqua Forti. Neque difficilis eſt αἰτιολογία. Conſtant hujus generis Venena particulis acutis, quibus neruoſæ partes qualescunque vellicantur, arroduntur, imo verò perforantur, ut breui oriantur Inflammationes ſummè dolorificæ, & inſequatur Gangræna, ſanguinis coagulatio, circuli ſuppreſſio, Mors. De qua re fuſius *Wepfer de Cicuta*, *Linden de Venenis*, alii.

Aſt in Natura non una *Serpentum* morſibus ſuis *Urentium* ſpecies. Quænam igitur rebellibus his immiſſa? Placet *Bocharto Hieroz.* P. II. L. III. c. 13. qui hac in re aliis facile palmam præripit, *Hydrus* ſiue *Cherſydrus;* idem nempe eſt uterque, *Hydrus* dictus Hyeme, quamdiu in Aquis paludoſis latitat, χέρσυδρος Æſtate, ἐν χέρσῳ, in ſicco, paludibus exſiccatis, viuens, magisque tunc, ſalibus venenatis exaltatis, virulentus. *Virg. Georg.* L. III.

Poſtquam extra uſta palus, terræque ardore dehiſcunt.
Exſilit in ſiccum, & flammantia lumina torquens,
Sæuit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.

Et tunc inprimis ſunt Cherſydri effectus urentes. Audi *Nicandrum Theriaccon* v. 363.

- - - - τὰ δ' ἄλγεα φωτὰ δαμάζει
Μυρία πυρπολέοντα. θοῶς δ' ἐπὶ γυῖα χέονται
Πρηδόνες.

- - - - Homines domant dolores
Infiniti tanquam incendiis depopulantes,
ſtatim autem per membra ſparguntur
Puſtulæ urentes.

Hujusmodi veneno interemptus dicitur *Hercules* veſte indutus ab *Hydræ Lernææ* veneno infecta. *Ouid. Met.* L. IX. *Fab.* 3.

Ipſe cruor gelido, ceu quondam lamina candens
Tincta lacu, ſtridet, coquiturque ardente Veneno.
Nec modus eſt, ſorbent auidæ præcordia flammæ,
Cœruleusque fluit toto de corpore ſudor,
Ambuſtique ſonant nerui, pulmonibus errat
Ignis edax imis, perque omnes paſcitur artus.

Audi *Herculem* ipſum querulum apud *Senecam* in *Herc. Oetæo.* v. 216.

Eheu! quis intus Scorpius, quis feruidâ
Plagâ reuerſus Cancer infixus meas
Urit medullas?

Hydri autem deſcriptionem hanc dat *Leo Africanus* L. VIII. c. 13. *Serpens eſt curtus, cauda tenui, & circa collum gracilis, in Lybiæ deſertis agit: Virus habet perniciosiſſimum, neque aliud morſui remedium ferunt, quam eam Membri partem exſcindere, priusquam virus in reliqua membra penetret.* Haud abludit, quam à *Gregorio* ſuo accepit *Ludolfus Hiſt. Æth.* L. I. c. 13. *Serpens datur apud nos Brachii longitudine & craſſitie colore puniceo, ſed ſubfuſco, ſub fruticibus aut herbis latens: illuc ſi acceſſerit homo vel Brutum, forti halitu tam peſtilens ac fœdè olens virus expirat, ut Animali breui pereundum ſit, niſi maturè remedium afferatur.* Iconem ſiſto ex perantiquo Codice MS. *Dioſcorideo*, prouti eam dat *Lambecius Bibl. Vindob.* L. VI. p. 294. 298. Fig. A. Χέρσυδρος B. Δρύινας ὕδρος.

Rationes pro *Hydris*, quæ apud *Bochartum* leguntur, ſunt ſequentes. Expendamus eas. Jeſ. XXX. 6. deſcribitur *Ægyptus* tanquam Regio, è qua prodeunt *Regulus*, & *Preſter urens, ac volitans* שָׂרָף מְעוֹפֵף *Saraph meophek.* De hujusmodi ſerpentibus alatis & volantibus, ex Arabia & Lybia Ægypto inuolantibus multa legere licet apud *Ciceronem*, *Joſephum*, *Herodotum*, *Melam*, *Lucanum*, *Solinum*, *Ammianum.* Dabitur commodior alibi differendi locus, an hi ſerpentes ſint reuerà alati, & volantes, vel quaſi, ob ſuam pernicitatem? Si cui obſtat Arabiæ

biæ ſiccitas, locus ubi Iſraelitis ipſis deficiebant Aquæ, Hydris proin locandis ineptus, is ſciat potuiſſe utique hinc inde exiſtere paludes fœdas & fœtidas, potui ineptas, ubi potuerint latitare Hydri, qui *Nicandro* teſte viuere amant ἐν τῇ βροχθώδει λίμνῃ, juxta Scholiaſten ἀνύδρῳ ἢ ξηρᾷ, ἢ ὀλίγον ὕδωρ ἐχούσῃ. Imo verò viuunt & in ſicco χέρσυδροι, paludibus exiccatis, ſpeciatim ardente Sirio.

- - - - - - ὅταν ὕδωρ
Σείριος ἀζήνησι, τρύγη δ' ἐνὶ πυθμένι λίμνης.

- - - - - - cum Aquam
Exiccauit Canicula, & ariditas eſt in fundo Lacus.

Quæ ipſa temporis circumſtantia eſt ea, qua Aaron obiit in monte Hor, quinti menſis primo die Num. XXXIII. 38. qui cadit in 19. Jul. *Expirantem autem Aharonem fleuerunt triginta diebus uniuerſa domus Iſrael.* Num. XX. 29. Secuta pugna cum Rege Arad, & C. XXI. populi murmur cum pœna ſerpentum, quæ proin caderet ſub Auguſti finem. Et præterea ex Iſraelitarum itinere colligere licet, offendiſſe paſſim Aquas, in *Oboth*, *Jie — abarim*, ad Torrentem *Zered* & in ipſo præſenti Capite ad fontem *Beer*. Accedit, quod poſt Aharonis mortem ſalutauerint *Terram*, quæ *Torrentes habet Aquarum* Deut. X. 7.

Naturali Hiſtoriæ congruit magis, ſi dixeris, rebellium Iſraelitarum Carnifices, ſi Hydræ fuerint, vixiſſe in paludibus vicinis, quàm per Aerem, quod *Bocharto* præplacere videtur, huc aduolaſſe. Quamuis haud inficias eam, juſſu DEI viribus Naturâ ſuperioribus huc confluxiſſe, ùt Iſraelitis eſſent in pœnam. Tantò quidem id affirmo audentius, quia Experientiâ conſtat quotidianâ, etiam in calidioribus illis Orientis Occidentiſue Climatibus, ubi patriam quaſi ſedem habere videntur, & maximi & perniciosiſſimi Homines ab illis ſatis eſſe immunes, ut niſi irritati raro feriant, certè non ineant prælia, ubi Hominum plures ſunt congregati in unum.

Non eſt aggreſſus duntaxat miraculoſus, ſed & cura. *Fecit Moſes Serpentem æneum, & poſuit eum ſuper palum erectum, fiebatque ſi quem momordiſſet ſerpens, intuens ſerpentem æneum ſanabatur. (Fecit ergo Moſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.)* Habent ſanè, ſi naturalibus cauſis nititur hæc cura, quod ſibi gratulentur ſuperſtitioſuli illi, qui Amuletis, Signis, Characteribus, Scriptis, ore prolatis, appenſis, morbos curare præſumunt. Qui, quæſo, ſpicula venenata corporibus illata, in ſolidis æquè ac fluidis partibus vires ſuas exſerentia, vel corriget, vel expellet, ſerpens ex Ære erectus? quî vel coagulabitur rarefactus, vel rarefiet coagulatus nimium Sanguis? Ceſſat heic omne Ratiocinium. Et huc omne redit, curare eum ſolum, qui vulnerat. Naturam ſi conſulas, augeri debuiſſet potius Morbus ex aſpectu Serpentis colore rubri, vel fortè ejuſdem cum viuis, quàm vel ſedari vel tolli: conſtat id exemplo Hydrophoborum, qui ab Aquæ aſpectu potuue abhorrent, ardentiſſimâ licet ſiti preſſi, imaginantes ſibi, præ oculis eſſe & in ipſa Aqua, canes rabidos, qui rictu aperto aggreſſus tentent.

Inanis videtur quæſtio, undenam habuerint Iſraelitæ *Æs* illud, è quo formatus fuerit Serpens, poſtmodùm in Idololatricos uſus ab ipſis Iſraelitis conuerſus. Notum eſt, aſportaſſe ſecum ex Ægypto varii generis Metalla, Aurum certè & Argentum, cur non & Æs? Nihilominus conjectare licet, offendiſſe Æs, ubi poſuerunt caſtra, nempe in פינן *Phinon* vel פונן *Phunon* qui locus memoratur Gen. XXXVI. 41. Num. XXXIII. 42. 43. I. Paral. I. 52. Conſtat ex Patribus, *Euſebio*, *Athanaſio*, *Theodoreto*, *Nicephoro Calliſtho*, *Hieronymo*, aliis, locum in Idumæa ſitum, *Phæno*, *Phennen*, *Fenon*, *Metallo - fenon* dictum metallifodinis abundaſſe, ad quas relegatio fiebat, ſicut hodie ad Triremes. Hodie quidem de his Ærifodinis nîl conſtat. Sed teſtem habemus *Ariſteam* in *Hiſtoria de ſeptuaginta Interpretibus*, ἐλέγετο δὲ καὶ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας μέταλλα χαλκᾶ καὶ σιδηρᾶ συνίςασθαι πρότερον, ἐκλελείπται δὲ ταῦτα καθ' ὃν ἐπεκράτησαν χρόνον Πέρσαι. *Narrabatur etiam ex Arabiæ montibus* (Judææ) *vicinis prius Metalla Æris & Ferri fuiſſe eruta, ſed ea defeciſſe* (i.e. neglecta fuiſſe) *quo tempore Perſæ rerum potiebantur.*

Myſticam vel typicam ſerpentis Ænei hiſtoriam, & natas circa eam controuerſias ſilentio præteriens aliis, quorum eſt has vel inquirere, vel decidere lites, linquo.

# TAB. CCCXII.

## Num. Cap. XXII. verſ. 28. 29. 30.

28. Et aperuit DOMINUS os Aſinæ,
& dixit ad Bileam: quid feci ti-
bi, quod me jam ter verberaſti?
29. Et ait Bileam ad Aſinam: Quod
mihi illudis, ſi gladium meum
haberem, jam te interficerem.


30. Et ait Aſina ad Bileam: Annon
ego ſum Aſina tua, qua veheris
ab eo tempore in hodiernum us-
que diem? num tale quidpiam fa-
cere tibi ſolita ſum? Et dixit Bi-
leam: Non.

28. Aperuitque Dominus os Aſinæ,
& locuta eſt: quid feci tibi? cur
percutis me ecce jam tertio?
29. Reſpondit Balaam: quia comme-
ruiſti, & illuſiſti mihi, utinam
haberem gladium, ut te percute-
rem.
30. Dixit Aſina: Nonne Animal tuum
ſum, cui ſemper ſedere conſueui-
ſti usque in præſentem diem? dic
quid ſimile unquam fecerim tibi?
At ille ait: Nunquam.

Est *loquela* Hominis proprium, ut loqui amant Logici, in quarto modo, *μέγα* ΘΕΟΥ *θαυματέργημα*. Attende ad Organa, & ſubſcribes utroque pollice. Eſt *Lingua* cum ſuis Muſculis, vaſis ſanguiferis, neruis, membranis, glandulis, comparanda cum digitis, arcu & chorda, quibus vitam veluti damus & tonos Inſtrumentis varii generis Muſicis: nunc ſeſe projicit illa extra Labiorum limites, nunc allidit ad dentes, ad Palatum: mota nunc ad dextram, nunc ad ſiniſtram, nunc antrorſum, retrorſum, nunc ſurſum, deorſum. Mira *Tracheæ* ſtructura cum fiſtula in Organo Pneumatico, vel ſola accurtatione & elongatione, anguſtatione & dilatatione ſua efficiens infinitè variantes tonos: diuiſibilis *Glottis* rimula illa Laryngis vix $\frac{1}{12}$. pollicis ſuperans in partes 9632. & totidem aperturarum capax, ſiue tonorum tot, quot Auditus Organum diuerſimodè percellitur. Poſcit autem quæuis vocis variatio mutationem delicatiſſimi Organi, dilatationem nempe in graui ſono, contractionem in acuto. Junge *Palati* fornicatam ſtructuram, & productioni Vocis deſtinatas alias partes, & veluti id perpendes, Directorem rationalis hujus Muſicæ & diſcurſiuæ eſſe *Animam* noſtram tot & tam infinitè variantium Mutationum, ignaram licet & Organorum, quibus utitur, & motuum, quos jubet. Mandat cœco veluti nutu, & en! ſonos modulatur, Muſicamue format Organum. *Obſerua*, qui hæc animo voluis, *linguam tuam à malo, & labia tua, ne dolum loquantur*. Pſal. XXXIV. 14. Et miro hoc loquelæ tuæ beneficio, à DEO tibi gratioſè conceſſo, non utere niſi ad celebrandas Creatoris tui laudes, memor ſententiæ apodicticæ Saluatoris, *ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.* Matth. XII. 36. Perge ad Loquelam Hominis rationalem, quæ animi exprimat ſenſa ſeu cogitationes, noua videbis Miracula, quæ omnem noſtrum ſuperant captum, & nouam ſternunt viam ad cognitionem & laudes opificis. Exprimit cogitationem hancce hæc Vox, aliam alia, imo eandem hæc in hac Lingua, in alio Idiomate alia, & tamen ad Animæ nutum proferunt Homines diuerſarum Nationum infinitè variantes voces, ut frui poſſint commercio mutuo. Transi ad Animantia Ratione carentia, noua ſemper offendes Organa, nouas & variantes voces, ſeu potius Sonos, imo tot, quot variant genere; ampla iterum ſuggeretur DEUM laudandi materia, ſi Leonem audiueris rugientem, Bouem mugientem, Canem latrantem, Ouem balantem, Aues canoras: ſuam hæc Automata loquuntur ſingula Linguam, ejusdem & ſui ipſius ignara: Procurator heic ſit ipſe Homo, & tot Miraculorum interpres, admirator, ebuccinator. Quidquid agunt ſiue loquuntur illa, machinaliter agunt, imo, licet aliter edocta, non aliter poſſunt.

Fluit ex hoc præloquio, vel Conſectarii loco, eſſe conuerſationem *Aſinæ* cum *Bileamo* miraculum omnibus Naturæ viribus ſuperius. Aſſueta inſeſſui, non Loquelæ, loquitur, absque quod habeat organa, loquitur *ἄλογος* illa cum Ratione. *Quid feci tibi*, inquit ad ſeſſorem, *quod me jam ter verberaſti?* His non contenta, à Pſeudopropheta reprehenſa regerit,

nouas



NUMER. Cap. XXII. v. 28. 29. 30.
Aſina Bileami loquens.

IV. Buch Moſis Cap. XXII. v. 28. 29. 30.
Bileams redende Eſelin.

I. G. Thelot sculp.

RPJCB

nouas in hac ſua Diſputatione formans inſtantias: *Annon ego ſum Aſina tua, qua veheris ab eo tempore in hodiernum usque diem, num tale quidpiam tibi facere ſolitus ſum? (Nonne Animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueuiſti usque in præſentem diem? dic quid ſimile unquam fecerim tibi?)* ὑποζύγιον ἄφωνον ἐν ἀνθρώπȣ φωνῇ φθεγξάμενον ἐκώλυσε τὴν τȣ̃ Προφήτȣ παραφρονίαν. 2. Pet. II. 16. Quodſi vel per longam annorum ſeriem Jumentum hoc ſuum aſſuefeciſſet Bileamus, non plus didiciſſet diſcipula, quam Aſinus ille apud *Apulejum*. L. III. *Jam humano geſtu ſimul & voce priuatus, quod ſolum poteram, poſtrema dejecta labia humidis cum oculis obliquè reſpiciens ad illam tacitus expoſtulabam — Gemino ſermone nomen* Cæſaris *inuocare tentaui, & O quidem tantum diſertum ac validum clamitaui, reliquum autem* Cæſaris *nomen enuntiare non potui.* Eadem eſt querela *Lucii* illius, qui *Aſini* perſonam ſuſtinet, apud *Lucianum*. Ἀναβωῆσαι ὦ Ζεῦ σχέτλιε ἠθέλησα. Ἀλλ᾽ ἡ μὲν φωνὴ ȣ̓κ ἀνέβη μοι ἡ ἐμὴ, ἀλλ᾽ ἡ τȣ̃ ὄνȣ ἐκ τȣ̃ φάρυγγος, καὶ μέγα ὠγκηθάμην. *Exclamare volui, o inique Jupiter, verum non mea vox è gutture, ſed Aſini vox aſcendit, magnumque rugitum edidi.*

Miraculo autem ſemel probato ceſſat omne Ratiocinium circa modum, quo locuta fuerit Bileami Aſina. An *Michael* Angelus loquutus fuerit per illam, quod voluere Doctores quidam Veteres apud *Theodoretum* & *Procopium in Num.* vel, an is fuerit potius *Gabriel*, quem ſeligunt Judæi? An, quod iidem volunt recutiti in *Pirke Aboth* f. 3. v. *Peſachim.* f. 154. os hocce loquens fuerit unum è 10. illis rebus, quæ demum finitâ Creatione productæ fuerint à DEO? Sunt autem, ſiquidem eas ſcire deſideras, reliqua nouem Entia poſt creata 1. Manna. 2. Fons. Num. XXI. 16. 3. Virga Moſis. 4. Schamir vermiculus, quo Solomon ſaxa ſtructuræ Templi deſtinata diſciderit. 5. Iris. 6. Columna Nubis. 7. Os, ſeu hiatus Terræ, qui Koram cum ſuis rebellibus abſorpſit. 8. Scriptura in Tabulis Fœderis. 9. Spiritus mali. Si hæc licita ſunt aliis, permiſſum quoque erit Philoſopho, præeunte *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 14. dicere, fuiſſe *Linguam mouente DEO per Angelum modò ad palatum, modò ad Labia, modò ad Dentes alliſam & inflexam, prout erat neceſſe, & Aerem ad ſonos formandos requiſitum intra fauces compreſſum, ne per belluinos rictus intempeſtiue efflueret.* Sed omnium optimè ratiocinari mihi videntur, qui Tacitum agunt, quibus ſufficiunt verba Textus, *aperuit DOMINUS os Aſinæ*, id eſt, miraculo.

In Hiſtoriis profanis inuenias paſſim Animalia, quæ loquuta fuerint. Apud *Hyginum Aſtr.* L. II. *Bacchus Aſino illi, quo fuerat vectus, vocem humanam dedit.* Apud *Apollonium* L. II. *Argonaut. Phrixi* Aries, *Helle* in Helleſponto ſubmerſa

- - - - αὐδὴν ἀνδρομένην πρoέηκε,
- - - - vocem humanam miſit.

Eodem teſte L. II. c. 1150. Aries hic ipſe, conſilio Aſini, immolatus. αὐτὸς γὰρ ὁ κριὸς ἀνθρωπίνῃ χρησάμενος φωνῇ τȣ̃το ποιεῖν προσέταξε. *Ipſe enim Aries humana voce uſus juſſit, ut hoc faceret.* Quod Mythologiæ fragmentum videtur deſumtum ex Iſaaci Hiſtoria, cui per miraculum erepto Aries fuit ſubſtitutus. Apud *Homerum Iliad.* τ′. *Achillem* Dominum alloquitur *Equus Xanthus* totis decem Verſibus à Junone nempe inſtructus.

Αὐδήεντα δ᾽ ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.

Vocali conjux Jouis illum inſtruxerat ore.

*Moſcho* teſte in *Europa* hanc adloquutus eſt εὐρύκερως βȣ̃ς, *bos latis cornibus*, ipſe nempe Jupiter ταυρόμορφος. *Manethone* Ægyptio Auctore, ut legitur apud *Suidam* in ἀρνίον, loquutus eſt Bocchori regnante *Agnus*. In Romana Hiſtoria Boues paſſim ſunt loquuti. *Plin.* L. VIII. c. 4. *Eſt frequens in Prodigiis priſcorum Bouem loquutum.* v. *Liuium* L. XXIV. XXVII. XXVIII. LI. Longum nimis foret, exſcribere, quæ vel fabuloſa excogitauit Antiquitas, vel Diabolus effectui dedit, vel Sacerdotes arte adjuuarunt, vel & recenſere artificia, quibus hodie Animantia varia adſuefiunt certarum vocum productioni.

Anſam dat v. 30. ſcribendi de *Aſinæ*, qua Balaamus fuit vectus, ætate. Infit illa. *Annon ego ſum Aſina tua, qua veheris ab eo tempore in hodiernum usque diem?* id eſt ab ineunte ætate. Sed eſt utraque, & Prophetæ & vectoris, ætas incognita, nulla proin data. Sed quidem ex Hiſtoria naturali notum, aſcendere Aſinos ad longum Annorum numerum, & juxta *Plinium* parere ad trigeſimum annum. In *Damire* legitur *Amilas Chalidi* filius Aſino ſuo vectus per 40. annos.

Id mecum mirabitur, qui imbecillitatem Hominis nouit, quî Propheta Aſinæ ſuæ loquenti adeo prompte, imperterritus adeò, reſponderit? vix ſanè erit ex millibus unus, cui non

Stant comæ, vox faucibus hæret,

cui adeò rarum, inopinatum obtingit φαινόμενον. De hac re non una eſt omnibus ſententia. Vult *Pellicanus* noſter, nîl hoc fuiſſe inſoliti viro ſpectris aliisque hujusmodi Diaboli ludificationibus aſſueto. Ita quoque Gloſſæ marginales Bibliorum Italicorum. *Balaam non reſtò ammirato della voce dell' Aſina, come altri ſarebbono reſtati, anzi le riſpoſe come accoſtumato di udire cotalicoſe dai Diavoli ne i ſuoi incantamenti.* Si *Auguſtino*, *Bonfrerio*, *Menochio*, aliis, credimus, adeò ab Ira & vindictæ cupidine fuit commotus ſeſſor, ut Miraculo ipſi non attenderit. Lucem id fœneraretur aliquam, ſi conſtaret nobis, qualem tunc fouerint orientis

 Phi-

Philoſophi, atque Theologi, & Balaamus ipſe, de Animalibus, horumque Animabus opinionem. Quodſi μετεμψυχώσεως illud Dogma perantiquum obtinuiſſet illa Ætate, perſuadere ſibi facile poterat Propheta, fortè & Philoſophus, loquutam fuiſſe Animam Creaturæ olim rationalis ex ore hujus Jumenti. Eſt ſanè monſtroſum illud transmigrationis Dogma, cui adhuc ſubſcribunt Brachmanes Indi, primæ fere Antiquitatis, per totum Orientem latiſſimè diffuſum. Et habuit illud ipſe *Pythagoras*, ſi fides eſt *Philoſtrato vit. Apollonii.* L. III. c. 6. ab *Indis*. Forſan quoque ipſi Meſopotamiæ incolæ, aliique populi Orientales Hiſtorias ſeu Fabulas de Animalium conuerſatione Æſopicis illis ſimiles, & excogitarunt, & unus alteri recenſuerunt, tanquam pro veris, unde tantò minore conſternatione fuit Balaam perculſus. Placet & hæc conjectura *Clerico*. Optimus in hanc rem commentator eſt Diuus Petrus 2. Ep. II. 16. Bileamo παραφρονίαν adſcribens. Non certè mentis eſt compos, ſed παράφρων, qui Miracula pro ordinariis Naturæ Phænomenis adſpicit, ſicuti qui ex his Miracula facit atque Prodigia. Cæterum legi poteſt *Joh. Wilh. Hilliger Bileamus, ejusque Aſina loquens. Reſp. Joh. Krücken Hamburg.* Wittenberg Typ. Chriſtiani Schröter 1702. 4.

# TAB. CCCXIII. CCCXIV. CCCXV.

## Num. Cap. XXIII. verſ. 22.

DEUS qui educit eos ex Ægypto eſt ei veluti robur Rhinocerotis. (a)

(a) Ebr. alii Monocerotis.

DEUS eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.

Vix eſt ex Animantibus aliquod, quod adeò varia ſubierit fata, ac id, de quo nunc quæſtio eſt. Feliciores ſunt ſuo ſenſu Phœnix, Gryphus, aliaque fabuloſa Animantia, dudum, quia non comparuere, in contumaciam judicata, & per ſententiam diffinitoriam Orbis eruditi ad Non Entia relegata. De *Unicornu* adhuc ſub Judice lis eſt. Quæſtio autem non attinet τὸ *An?* ſed τὸ *Quid?* Digna diſcuſſione materia. Adjumento nobis erit Philologia, ſed quoque, & inprimis, Phyſica, non minus, ac illa, Sacra, cum ſuis circa Unicornua varia Obſeruationibus. Videamus *Bocharto* δᾳδέχῳ *Hieroz.* P. I. L. III. c. 26. & 27. proprietates, Animali huic רְאֵם *Reem* vel רֵים *Rem* Job. XXXIX. 9. in Sacris tributas. In Textu noſtro & Num. XXIV. 8. laudatur eminens ſtatura & robur. כְּתוֹעֲפֹת רְאֵם לוֹ Græci, ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐτῷ, alii, *tanquam altitudines Reem ipſi ſunt*, Nobis, *eſt ei veluti robur, ſeine Stärcke.* Ex Pſal. XXIX. 6. conſtare videtur, eſſe Animal ἁλτικὸν ſiue πηδητικὸν, *ſubſilire facit eas ſicut vitulum, Libanum & Sirion ſicut vitulum unicornium. (Et comminuet eos tanquam vitulum Libani; & dilectus quemadmodum filius unicornium.)* Eſt porrò ferox & indomitum. DEUS ad Jobum l. c. *Voletne Rhinoceros tibi ſeruire? an morabitur ad præſepe tuum? alligabisne Rhinocerotem loro, ut arando porcas faciat? num te ſubſequens in profundis ſulcis glebas franget? (Numquid volet Rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Numquid alligabis rhinocerota ad arandum, loro tuo? aut confringet glebas vallium poſt te?)* Certum eſt eſſe cornutum, ſiue unum habeat Cornu, ſiue plura, quibus cum præprimis vires ſuas exercet. *Meum cornu*, inquit Regius Pſaltes XCII. 11. *extolletur ut Monocerotis.* Et Deuter. XXXIII. 17. vaticinatur Moſes de Joſepho, ejusque poſteris, Tribubus nempe Ephraim & Manaſſe, *Decor ejus ut primogeniti bouis illius, & cornua illius ut Cornua Unicornis, quibus populos deturbabit pariter usque ad fines Terræ. (Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit Gentes usque ad Terminos terræ.)* Adde preces Dauidis Pſ. XXII. 22. *Serua me ab ore Leonis, & à cornibus Unicornium eripe me. (Salua me ex ore Leonis: & à cornibus Unicornium, humilitatem meam.)*

Sed quæritur nunc, qualenam ſit illud Animal רְאֵם. Vetuſtiſſimi Græci habent μονόκερως, quæ vox omnibus Animantibus unicornibus communis, proin æquiuoca. *Aquilæ* placuit ex Unicornibus *Rhinoceros*, ῥινόκερως. *Hieronymo* & *Monoceros* & *Rhinoceros*. Hinc & Latina noſtra in Textu *Rhinoceros*, in Gloſſa marginali *Monoceros*. Et potuiſſet omnino vernacula loco *Einhorn* ponere *Nashorn*. Sed pleriſque Europæis Verſionibus placet *Monoceros, Einhorn*. Eſt quoque *Rhinoceros* μονόκερως. Sanè ſi quod Animal reſpondet proprietatibus ſupra expoſitis, eſt *Rhinoceros*, quod ſeligit magnus *Ludolfus Hiſt. Æthiop. Comm.* p. 153. Pugnat equidem contra Rhinocerota eruditiſſimus *Bochartus*, ſed neſcio, an argumentis

cornu-



NUMER. Cap. XXIII. v. 22.
Reem. Rhinoceros.

IV. Büch Moſis Cap. XXIII. v. 22.
Einhorn das Naſhorn.

*I. G. Pinz sculp.*

RPJCB



NUMER. Cap. XXIII. v. 22.
Urus, Dama, Platyceros, Oryx.

IV. Buch Moſis Cap. XXIII. v. 22.
Urochs, Dannhirſch, Oryx.

*I. G. Pinz sculp.*

RPJCB



NUMER. Cap. XXIII. v. 22.
Orygum vetus Tabula.

IV. Buch Moſis Cap. XXIII. v. 22.
Alte Tafel von denen Orygibus.

*I. G. Pinz sculp.*

RPJCB

cornutis ſatis, id eſt, ſat validis. Ignotam vult fuiſſe hanc Beſtiam Judæis Veteribus, Scripturæ Interpretibus, & ſic quoque Arabibus, quia neque in Arabia, neque in Palæſtina reperiatur. Quî conſtare id poſſet viro inſigni, haud video, ut probabile potius ſit, multa audiviſſe Judæos veteres, etiam dum commorabantur in Ægypto, vel peregrinabantur in Arabiæ deſerto, de Animalis hujus qualitatibus & forma, utpote de quibus edoceri poterant ab Æthiopibus & Indis. Si notum non fuerat nomine ſuo proprio Æthiopico, ſeu Indico, numerari poterat propter ſtupendam magnitudinem ſuam inter Boues, quemadmodum & *Pauſanias* nuncupauit *Bouem Æthiopicum.* Et notari heic meretur, in Sacris *Rhinoceros* paſſim ſociari *Boui*, vel Bouino generi, ut Deuter. XXXIII. 17. Pſ. XXIX. 6. Quid quod ipſi Romani quam primùm Elephantes videre in Bello cum Pyrrho Rege, appellarint *Boues Lucas*, & adhuc cluent *Hippopotami*, *Boues marini*, *Bomarins*, *Buffles marins.* Non ſanè minori jure poterant ab hujusmodi exoticis Animalibus mutuare Locutiones varias, & Prouerbia, ac nos Europæi à Leonibus, Elephantibus aliisque ſeu Africanis ſeu Indicis beſtiis. Inueniet ſanè quisquis Sacrarum Literarum & Locorum ſupra expoſitorum notitia fuerit imbutus, vel primo obtutu in Æthiopia & Indiis noſtrum רְאֵם nempe Rhinoceros. Tab. CCCXIII.

Perplura, & tantùm non omnia, congerit Veterum de Unicornibus Animantibus teſtimonia, è quibus ſunt, quæ ipſi quadrant *Rhinoceroti.* Meminit *Cteſias Excerptis* apud *Photium Aſinorum unicornium* Equis majorum. εἰσὶν ὄνοι ἄγριοι ἐν τοῖς Ἰνδοῖς ἴσοι ἵπποις καὶ μείζες. Apud *Ælianum* L. IV. c. 52. & L. XVI. c. 20. Animal hocce Καρκάζωνον, *Carcazonum* dictum, Equi eſt magnitudine. Et *Ælianus* quidem cum *Cteſia* adſcribunt ei Cornu è fronte extans unius ulnæ vel ſesqui, *Plinius* duarum, *Solinus* 4. pedum. Addit *Phile*, aſperius id eſſe limâ & ſagittâ acutius.

- - - τραχὺ καὶ σιδηρέας ῥίνης
Ὀξύτερον αὐτὸ, καὶ τεθηγμένε βέλες.

Omnes hi tribuunt Beſtiæ huic feram atque indomitam indolem, & robur ingens. Quanquam vel hac occaſione id memorari mereatur, non tanti eſſe ponderis teſtimonia Scriptorum Veterum, atque nunc ſunt illa αὐτόπτων. Habebant illi pleraque ex relatione aliorum, imò & fabuloſa Animalia adeo deſcripſerunt, atque circumſcripſerunt, ac ſi reuera eſſent in rerum Natura, & ipſi ea ſuis vidiſſent oculis. In teſtes voco *Sphinges*, *Chimæras*, *Cerberos*, *Lamias*, *Gorgones*, *Sirenes.* Neque magni eſt conſenſus ipſorum momenti, quia copiandi artificium non magis illis fuit ignotum, atque eſt Eruditis modernorum Seculorum. Exemplo ſit *Pliniana* deſcriptio *Unicornu* L. VIII. c. 21. *Aſperrimam feram Monocerotem, reliquo corpore Equo ſimilem, capite Ceruo, pedibus Elephanto, cauda Apro, mugitu graui, uno Cornu nigro, media fronte cubitorum duûm eminente. Hanc feram viuam negant capi.* Quis non videt, committi heic fallaciam conjunctionis? congruunt Rhinoceroti aſperitas vitæ, pedes Elephantini, Cornu nigrum, quod quidem Naſo imponere debebant, non Fronti: ſed corpus Equinum, & Caput Ceruinum Monoceroti Africano, mugitus Bouibus unicornibus Indicis. Quod *Philoſtorgius* L. III. c. 11. narrat de Unicornu Conſtantinopoli depicto cum Capite Draconis, cornu paruo recuruo, collo barbaque longis, pedibus Leoninis, corpore Cerui, Chimæricis debet adſcribi figuris. *Pauli Veneti* deſcriptio Monocerotis, quam dat L. III. c. 15. in *Rhinoceros* quadrat prorſus. Eſt autem hæc: *Inueniuntur* (in Regno Basman Jauæ minoris) *Elephanti, & Unicornes in magna multitudine; Et ſunt Unicornes paulò minores Elephantis, pilum habentes Bubali, & Elephanti pedem. Habent caput ut Aper, & more Porcorum libenter morantur in luto, & aliis immunditiis. In medio Frontis geſtant Cornu unum, groſſum & nigrum; Linguam habent ſpinoſam, qua lædunt Homines & Animalia.* Non tam inhærendum eſt aliorum deſcriptionibus, quam Autopſiæ, & modernorum inprimis obſeruationibus, quibus veterum Fabulæ veluti nebulæ diſcutiuntur, ſed & ſubinde Fabulis infamia tollitur, ſiue id, quod fabuloſum hactenus viſum, veritatibus adnumeratur. Sanè ſi Patribus Luſitanis fides, qui apud *Agawos* in Regno *Damota* Animal offenderunt cum Cornu egregio longo in fronte, Equinæ formæ & magnitudinis, colore fuſcum, pilis in collo & cauda tenuibus nigris, denſiſſimarum ſyluarum incolam, non abludunt ab idea, hactenus de Unicornu circumlata, cui reſponderet Vetus Tabula *Orygum*, quam ex *Bocharto* heic inferimus Tab. CCCXV. Arabes ſi conſules, quos longa ſerie recenſet vir laudatiſſimus, mira, & vel primo intuitu fabuloſa, venient obuiam. Ortus ex commiſtione Equi, imo & Balænæ, cum Elephante: ætas 700. Annorum; ſeptem Annorum mora in Utero Matris: cornu, dentes, ungulæ, in eodem uteri carcere, è quo ſubinde protrahens caput Arbores mordendo deglubat: pugna cum Elephantibus, quos perfodiendo ſuſtollat in altum, ut olim

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos.

Audies, unicam Beſtiam vaſtare 100. paraſangas, id eſt 3000. Stadia, Prouincias proin integras: inuictam eſſe ſagittis, & quibuscunque viribus ſuperiorem: ſuperari à ſola Aue *Ruch*, quæ illam unguibus ſuis in altum vibret non aliter atque Accipiter pullum Gallinæ. Sunt hæc deriſione digna potius, quàm ſolida refutatione.

tatione. Et vel rariſſimum eſt illud Equiforme Monoceros, cujus idea nobis à teneris impreſſa, vel Fabulis adnumerandum. De eo ſanè nihil vel viderunt, vel audiuerunt, magni illi Hiſtoriæ naturalis Indicæ indagatores *Garcias ab Horto*, *Joh. Hugo Linſchot*, alii. Neque nos morabitur, aut imponet nobis Cornu illud, quod paſſim in Muſeis ſuſpenditur, & à circumforaneis oſtentatur, de quo certò conſtat, eſſe *Dentem* vel *Cornu* Piſcis ex *Cetaceo* genere *Narhual* dicti, de quo duæ extant Diſſertationes Authore *Tychone Laſſen Tychonio* Hafniæ 1707. cujusue Iconem dedimus Tab. XVI. operis noſtri.

Pergo ad *Bootii* ſententiam, cui *Reem* eſt *Urus*. Anſam ei & argumenta dat inprimis conſociatio *Reem* & *Boum* obuia Pſal. XXIX. 6. Deut. XXXIII. 17. Jeſ. XXXIV. 7. Inprimis autem urget ille Pſal. XXII. 13. 14. 17. & 21. 22. ibi namque legitur: *Tauri multi circumdederunt me, prævalidi ex Baſan undique cinxerunt me. Aperuerunt contra me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens —— Nam circumdederunt me Canes:* hîc: *ſerua me ab ore Leonis, & à cornibus Unicornium eripe me.* Reſpondent namque preces grauamini. Ibi querelas mouet Dauid, Meſſiæ Typus, de canibus, Leonibus, Tauris, & Bobus prævalidis, hîc de Canibus, Leonibus, & Unicornibus. Eſſe per conſequens *Reemim* ipſos *Tauros* & *Boues* Baſaniticos, *Uros* nempe Boum fortiſſimos, maximos, ferociſſimos. Sed contra obſeruat *Bochartus*, eſſe Urum Animal Orientalibus populis & Regionibus prorſus ignotum, de eo proin nihil extare apud Scriptores veteres Græcos, Arabes, Perſas, Æthiopas, imo & Romanos ante Julium Cæſarem, Romanorumue expeditiones in Germaniam, nam Uros hi primùm offenderunt in Hercynia Sylua Tab. CCCXIV.

*Bochartus* ut inueniat Reem, quærit id in *Caprearum* Familia. Tollunt ei ante omnia præjudicium de unico Cornu bina Scripturæ Loca: unus extat Deuter. XXXIII. 17. *Cornua* Joſephi *ut cornua Unicornis* רְאֵם *quibus populos deturbabit pariter usque ad fines Terræ, atque hæc ſunt decem millia Ephraim, & iſta millia Manaſſe.* Alter Pſ. XXII. 22. *à Cornibus Unicornium eripe me. (à Cornibus Unicornium humilitatem meam.)* Docent porrò *Alcamus*, *Damir*, Arabes alii, adhuc dum *rim* vel *aram* notare *capream candidam:* Chaldæi Interpretes, *Jonathan* & *Onkelos*, Rabbinici Doctores in *Baua Bathra* & *Zebachim*, eſſe *Reem* inter *Capreas*, *Abenezra* in Pſ. XXII. 22. inter *Ibices*, quæ & ipſæ in Caprino ſunt genere, vel Ceruino. Plus, quàm Cornua, faceſſit negotii viro eruditiſſimo complexus reliquarum Reem proprietatum, magnitudinis præprimis & roboris. Ut & hunc nodum ſoluat, extendit is *Capreæ* & *Dorcadis* nomen etiam ad majora illius familiæ animantia, ſpeciatim *Damas platycerotas*, & Prophetiæ Bileami hunc dat ſenſum: quemadmodum Arabum Reem nobis hactenus ignotum præ aliis Capreis magnitudine excellat, ita quoque Iſraelis gloriam præ aliis populis vicinis fore majorem, ita quoque robore præualiturum atque potentia aliis: & robur Reem non tam conferendum eſſe cum omnium Terræ Animantium robore, ſed in Contradictorio ponendum cum Capreis aliis ſeu Ceruis. Oſtendit autem ex *Gesnero Animal. Quadrup.* p. 306. Damas cornibus ſuis latis longis & acutis adoriri ſolere alias Beſtias.

Frontibus aduerſis molles concurrere Damas
Vidimus, & fati ſorte jacere pari.

Mart. L. IV. Epigr. 55. & 77. idem

Aſpice imbelles tentent quàm fortia Damæ
Prælia? tam timidis quanta ſit ira feris?
In Mortem paruis concurrere frontibus audent,
Vis, Cæſar, Damis parcere, mitte Canes.

Non vult tamen *Bochartus*, eſſe Reem præciſè Damam, ſed potius aliud & ferocius magis genus *Caprearum*, vel *Caprarum*, *Oryx* dictum, de quo iterum *Martialis* L. XIII. *Epigr.* 95.

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sæuus Oryx, conſtat quot mihi morte Canum?

Tribuit *Oppianus Cyneget.* Libr. II. v. 455. Animali huic colorem lacteum, cornua acuta, naturam ferocem, robur ingens, quod & erga Apros, Leones, Urſos exercet.

Θυμὸς δ' ἆυτ' ὀρύγεσσιν &c. Quæ ita Latine.

Mens Orygum intrepida eſt, animusque ad prælia natus.
Nam neque terret eos canis allatrantis hiatus:
Nec ſcopulos metuunt apro frendente ſonantes:
Sed neque cum Taurus graue mugiit ore minaci
Aut trucibus pardi ſyluas ululatibus implent:
Nec fugiunt, poſtquam accenſâ Leo rugiit irâ:
Non homines, tanta eſt animi fiducia, curant.
Sæpe etiam genus acre Orygum telo impetere auſus
Robuſtus venator obit, de rupe volutus.

Argumentis his à *Bocharto* pro Oryge adlatis id addo, adhuc dum Arabibus & Turcis *riim* in Plur. *eram* notare *Capreas* niuei candoris, locis

RPJCB



NUMER. Cap. XXIII. v. 24.
Leo et Leæna Αγέλειοι.

IV. Büch Moſis Cap. XXIII. v. 24.
Starcke und raüberiſche Löwen.

*M. Tyroff sculp.*

cis præſertim arenoſis gaudentes. *Meninzk. Lex.* p. 2410.

Stant, quod vidimus, hinc inde pro ſua quauis opinione fortes Athletæ, ut quæ omnium ſit optima, non perſpicere liceat illicò. Eruditionem ſi ſpectes, transibis ad *Bocharti* caſtra, ſi naturam ejusque ſimplicitatem, fauebo Rhinoceroti, cui & cum Latina noſtra Verſione ſubſcribo, tantò quidem magis, quod viderim magnum *Ludolſum* in *Hiſtoria Æthiopiæ* ſtare ex parte *Bocharti*, in *Commentario* verò ſuffragium dare *Rhinoceroti.*

# TAB. CCCXVI.

## Num. Cap. XXIII. verſ. 24.

En populus (ille) conſurget ut Leæna, & veluti Leo ſeſe eriget, non accubabit, donec comedat quædam, & ſanguinem occiſorum bibat.

Ecce populus ut Leæna conſurget, & quaſi Leo erigetur: non accubabit, donec deuorat prædam, & occiſorum ſanguinem bibat.

Supra Gen. XLIX. 9. vaticinatus eſt moriens ex Patriarchis Jacobus de prima Tribu Juda, quæ prima ſtetit in acie, prima Bellum geſſit contra Canaanitas, Joſua Duce mortuo primum dedit populo Liberatorem Othnielem, poſt Familiam Regiam, tandemque toti Humano Generi Meſſiam. *Catulus Leonis Jehuda, de præda fili mi aſcendiſti; demiſit ſe & accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum? (Catulus Leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum)* Nunc applicatur idem fere Vaticinium toti populo Iſraelitico, Locutionibus fundatis ipſa Naturâ Leonis, de quo notum, ex Sacro Codice, Scriptoribus profanis, Experientia, eſſe Animalium generoſiſſimum, fortiſſimum, nobiliſſimum, Regio inter ea titulo præeminens. *Quid Leone fortius?* ajunt, quærunt, ſimulque Simſoni reſpondent Thimnathitæ illi Jud. XIV. 18. *Leo, qui Heros eſt inter belluas, nec à cujusquam conſpectu fugit, (Leo fortiſſimus Beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum)* verba ſunt ſapientiſſimi Regum Prov. XXX. 30. Hinc & à Junone inter Sidera fuit collocatus apud *Aratum*, adhuc inter XII. Zodiaci ſigna conſpicuus. Et cluet, de qua nunc, *Leæna*, apud *Ælian. var.* L. XII. c. 39. ἀλκιμώτατόν τε καὶ δυσμαχώτατον θηρίον. Dabitur paſſim de his illisue ſeu virtutibus ſeu proprietatibus loquendi commoda occaſio.

Scire conuenit, pro Textus explicatione, degere Leones in montibus & ſyluis altioribus. *Facta eſt mihi hæreditas mea, ſicut Leo in nemore.* Jer. XII. 8. *Mecum à Libano ſponſa, mecum à Libano venias, & ſpectes è vertice Amana, è vertice Senir & Hermon, è luſtris Leonum, è montibus Pardorum. (Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum)* Cant. IV. 8. *Theocritus Idyll.* I.

Τῆνον χ᾽ ὡ κ᾽ δρυμοῖο Λέων ἀνέκλαυσε θανόντα.

Etiam morientem illum Leo ex Sylua fleuit.

Ex nemoribus hiſce montoſis demittunt ſeſe Leones in planities, prædam venaturi, qua ſatiati *conſurgunt* & ſeſe *erigunt*, ſiue ad ſpeluncas ſuas ſe recipiunt. Hinc varia Beſtiæ hujus Epitheta, λέων ὀρεσίτροφος, *Leo in montibus nutritus. Homer. Iliad.* μ΄. ἐν ὄρασιν ὠμοφάγος λὶς, *in montibus crudiuorus Leo. Theocrit. Idyll.* 13. ὀρέσβιος λέαινα, *montana Leæna. Oppian.* L. III. *Cyneg.* λέων ὀρείδρομος, *Leo in montibus currens. Nonn. Dionyſ.* L. V. Obſeruandum inſuper, in Animalium rapacium familiis, fœmellas ut plurimùm fortiores eſſe & ferociores maribus, utpote quæ non ſolùm pro ſe ſed & pro catulis victum quærunt. Ita heic Leæna. ἡ δὴ λέαινα ἐὸν ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον. *Herodot.* L. III. c. 108. *Animalium acerrimum Leæna & audaciſſimum. Gellius.* Hinc eſt, quòd non tam ſolita fuerit gloriari *Semiramis* de Leone aut Pardo occiſis, quàm de Leæna, apud *Ælian. var.* L. XII. c. 39. Et in Sacris frequens fit roboris Leonini mentio.

*Non accubabit, donec comedat prædam, & ſanguinem occiſorum bibat.* Loquendi formula Orientalis, qua Propheta vaticinatur victorias illas à Joſua de Cananæis reportatas, ſanè omnibus numeris abſolutas: ut non intelligenda ſit crudelitas Scythis illis, imo pleriſque Orientalibus populis familiaris. Ita Regius Pſaltes Pſ. LVIII. 11. *Lætabitur juſtus, quum viderit ultionem, pedes ſuos in ſanguine impii lauabit. (Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.)*

# TAB. CCCXVII. CCCXVIII.

## Num. Cap. XXIV. verſ. 5. 6.

5. Quam pulchra ſunt Tentoria tua, o Jacob, habitationes tuæ, o Iſrael?
6. Quemadmodum Torrentes extenduntur, & ſicut Horti ad Flumina, ſicut Aloe, quam plantauit DOMINUS, & ſicut Cedri juxta Aquas.

5. Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael:
6. Ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluuios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi Cedri prope Aquas.

QUi unquam, vel ullibi, ex præalti Montis vertice vidit περίχωρον, ei adæquata videbitur Naturæ Bileami locutio. Vidit Propheta ex vertice Montis *Peor* Iſraelitarum omnia Caſtra ex Diuina ordinatione poſita, vias inter ea, Tribus omnes & ſingulas, veluti in Perſpectiua, omnia pulcherrimo ordine locata, & comparat commodiſſimè cum *Torrentibus*, qui *extenduntur* per integram aliquam Prouinciam longo ductu, cum Hortis ad Flumina. Notandum ſtatim, in Climatibus illis Orientalibus & præcalidis Hortos commodiſſimè locari ad Flumina. Hunc ſitum commendant delectatio & Uſus, imo præcipit neceſſitas. Hinc & in Europæ Climatibus, inprimis calidioribus, vel & temperatis, videas ad Lacus & Flumina jucundo ſpectaculo Hortos, Vineas, Prata pomifera, Ædes magnis ſæpe ſumptibus conſtructas, urgente præſertim Æſtate habitari ſolitas. Adeſt Aqua ad Plantarum irrigationem, ſpirat ſemper Aura lenis. Transfer te, mente ſaltem, in Regiones Aſiaticas, videbis eò eſſe neceſſarium magis hunc ſitum πάρυδρον, quò illæ ſunt viciniores Æquatori. Neque eſt dubium, quin longo Euphratis ductu, unde Bileamus venerat, fuerit longa & jucundiſſima hujuſmodi Hortorum, ut Patauium inter & Venetias, ſeries. Climatum frigidiorum alia eſt ratio: delectant Æſtate ſumma Horti Aquis adſiti, ſed læduntur facile verno tempore & autumnali à frigore, contra quod muris ſæpe muniri debent. Exemplo nobis ſunto Vineæ Lacui Tigurino & Limago adſitæ, omnium, quas quidem colimus, amœniſſimæ & præſtantiſſimæ, pruinis & harum damnis magis, quàm quæ remotiores ſunt ab Aquis, expoſitæ. Plures namque heic volitant vapores aquei, major adeſt Aeris quies, Frigoris facilior ſenſus.

Pergit vaticinando Balaam, Tentoria Iſraelis comparans cum *Aloe*, *quam plantauit* DOMINUS. In textu Originali legis אֲהָלִים *abalim*, de cujus vocis ſenſu non concordant Interpretes. Habent LXX *obolim*, redduntque per *Tentoria*, ὡσεὶ σκηναὶ, ita & Vulgata, *ut tentoria.* Sed ex ſequentibus proximè verbis colligitur rectè, eſſe אֲהָלִים plantam, eamque odoris pergrati. Conſtat id ex Pſ. XLV. 9. *Myrrbam*, *Aloen*, וַאֲהָלוֹת *&* *Caſſiam* redolent omnia veſtimenta tua. *(Myrrba & gutta & Caſia à veſtimentis tuis)* Prov. VII. 17. *Cubile meum odoratum reddidi Myrrba*, *Aloe* אֲהָלִים *& Cinnamomo.* (*Aſperſi cubile meum myrrba, & aloe, & cinnamomo.*) Cant. IV. 14. *Nardus & Crocus*, *Fiſtula & Cinnamomum*, *cum omnibus Arboribus thuriferis*, *Myrrba & Aloe* אֲהָלוֹת *cum omnibus præſtantiſſimis aromatibus.* (*Nardus & Crocus*, *fiſtula & cinnamomum*, *cum uniuerſis lignis Libani*, *& myrrba & aloe*, *cum omnibus primis unguentis.*) Sed quæritur nunc, qualisnam ſit hæc ſeu Radix, ſeu Herba, ſeu Arbor? Subdubitaſſe videntur LXX. qui in Pſalmis reddunt per στακτὴν, in Cantico per Ἀλωὴν. *Symmacho* placet generale *Suffimenti* nomen, θυμίαμα. Utraque noſtra Verſio citatis omnibus Locis habet *Aloen*, quæ vox ipſi Originali eſt affinis. Seligunt alii *Lignum Aloes*, *Agallochum* dictum. Tab. 317. Fig. A. *Aloen* ipſam Herbam (Fig. B.) excludere videtur τὸ βαρύοσμον. *Dioſc.* L. III. c. 25. eſt ſanè ingrati & grauis odoris atque ſaporis, neque veſtibus ſuffiendis apta. Quapropter Arabs Erpenianus reddit per קשט, *Coſtus*, cui ſubſcribit *Clericus Comm.* Eſt autem Planta hæc amœna viſu, grata odore, radix inprimis, *Unguentis* odoratis, ſpeciatim *Nardino* ſiue *foliato*, imo *Regali*, quod Parthorum Regum fuit, adhibita. *Plin.* L. XIII. c. 1. 2. Sed non vacat nunc, ex collatione Scriptorum Veterum atque Recentiorum inquirere fuſius, qualisnam ſit Planta *Coſtus Arabicus*, & an Veterum ille idem ſit cum hodierno, de quo valde dubitat, qui rem hanc fuſè pertractat, *Salmaſius Hyl. Jatr.* c. 88. p. 128. Ludunt ipſi moderni in voce *Coſti*, *Coſtus corticoſus* eſt, quem *Winteranum* vulgò *Corti-*




NUMER. Cap. XXIV. v. 5. 6.
Aloe ad Aquas.

IV. Buch Moſis Cap. XXIV. v. 5. 6.
Aloe am Waſſer.

I. G. Pintz sculp.

RPJCB



NUM. Cap. XXIV. v. 5. 6.
Santalum, Costus, Cedrus.

IV. Buch Moſis Cap. XXIV. v. 5. 6.
Sandel-Baum, Coſtus und Cedern.

G. D. Heüman sculps.

PJCB

RPJCB



NUMER. Cap. XXIV. v. 9.
Leo dormiens.

IV. Buch Moſis Cap. XXIV. v. 9.
Der ſchlaffende Löwe.

I.G. Pinz sculp.

*Corticem* vocant, ſeu *Cinnamomum album, Canelle blanche*. *Coſti Arabicæ* Iconem exhibet Tab. CCCXVIII. Fig. C. *ex Pomet Hiſt. des Drog.* L. II. c. 8. p. 59. Quicquid autem ſit Ahalim, ut ſunt, qui *Lignum Santalum* Fig. D. intelligi volunt, certum id eſt, creſcere in Arabia, & vicinis ei Regionibus & ſponte. Colligi id poteſt ex Textu, in quo legas, *Aloem plantatam* eſſe à DOMINO, id eſt, *nullis hominum cogentibus*, ut *Virgiliana* Phraſi utar. Eſt hic primus modorum, quos legas apud *Plinium* L. XVI. c. 33. *Arbores*, inquit, *quas Naturæ debemus, tribus modis naſcuntur, ſponte, aut ſemine, aut ab radice.* Proſternit hæc loquendi ratio Scripturæ familiaris, ὡς ἐν παρόδῳ, Fulminis veluti ictu *Naturam*, de qua modò, aliaque hujus generis Idola, quæ Pagana excogitauit Superſtitio, imo quibus adhucdum Chriſtianorum Scholæ inundantur. DOMINUS plantauit Aloem, non Natura. Et eſt, ſi ſtructuræ infinitum attendas artificium, in qualibet, etiam minima, Planta obuium, Author, plantator, imo Creator infinitus DEUS. *Arbores DOMINI ſucco abundant* (velut) *Cedri in Libano, quas plantauit*, Pſ. CIV. 16. *(Saturabuntur ligna campi, & Cedri Libani quas plantauit.)*

Hic ipſe Loci hujus cum noſtro Textu parallelismus occaſionem fortè dedit Cl. *Hillero Hierophyt.* P. I. p. 394. אֲהָלִים interpretandi per *Cedros*, easque magnas, quæ *juxta Aquas* plantatæ haud dubiè proceriores, & magis ſemperque virentes ſunt iis, quæ creſcunt in montibus, illud ob altiorem Atmoſphæram incumbentem, hoc propter ſucci nutritii abundantiam. Teſtes ſint vel in Regionibus noſtris Abietes, Larices, coniferæ pariter, ut Cedri, Arbores, quæ in Vallibus profundis, umbroſis, præſertim Aqua irriguis ſæpe ad 200. pedum altitudinem aſſurgunt, in editioribus autem Montibus, locisque ſiccioribus vix ad duos tresue pedes, imo tandem, ſupra certam Altitudinis lineam, prorſus non ultra creſcunt. Non eſt ſilentio prætereundus *Cedrorum* perennis viror, tribuendus ut Abietum ille & Laricum ſucci reſinoſi tenacitati, quaue ipſi quoque corruptioni reſiſtunt hujusmodi Arbores, adhibitæ propterea ſtructuris Arcæ Noachicæ, Templiue Salomonei. Unde paſſim in Sacris ipſa DEI Eccleſia comparari ſolet cum Cedris Libani. Sunt hæ *Cedri DEI* Pſ. LXXX. 11. *Juſtus ut Palma florebit, & ſicut Cedrus in Libano in altum ſuccreſcit* Pſ. XCII. 13. (*Juſtus ut Palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur*) Fig. E.

# TAB. CCCXIX.

## Num. Cap. XXIV. verſ. 8. 9.

8. DEUS eduxit eum ex Ægypto, robur (a) ejus ut Rhinocerotis, deuorabitque Gentes hoſtes ſuos, & oſſa eorum arrodet, (b) ſagittasque ſuas confringet.

(a) Alii: celeritas aut fortitudo Monocerotis.
(b) Alii: confringet, commoliet, Græci, emedullabit, ſi ita liceat, id eſt, exhauriet omne robur.

9. Accubat jacetque ut Leo, & quaſi Leæna, quis excitaret eum? Qui tibi fauſta imprecabitur, fauſta imprecabuntur eidem: qui verò te execratur, erit & is execratus.

8. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis: deuorabunt Gentes hoſtes illius, oſſaque eorum confringent, & perforabunt ſagittis.

9. Accubans dormiuit ut Leo, & quaſi Leæna, quam ſuſcitare nullus audebit, qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

Siſtunt ſeſe heic rurſum duæ ex fortiſſimis Belluæ, *Unicornu* & *Leo*, in Populi Iſraelitici & Victoriarum de Cananæis reportandarum ſymbola. De utroque ſupra actum. De *Leone* id memorandum heic unicè, non ſeſe recipere dormiturum in loca ſecretiora, abſcondita, ſed ſomno indulgere, ubicunque is obrepit, etiam in apertiſſimis campis.

Ὀυδ' ὕπνον μυχάτοισιν ἔχει παρὰ τέρμασι πέτρης,
Ἀμφαδὸν ὑπνώει δὲ θρασύφρονα θυμὸν ἑλίσσων,
Ἕυδει δ' ἔνθα κίχησιν ὑπείροχος ἑσπερίη νὺξ.

Nec ſomnum capit ad extremos ſcopuli terminos,
Quin dormit in propatulo, audacem animum verſans,
Dormitantem ubicunque eum eminus deprehendit veſpertina Nox.

*Oppian. Venat.* L. III. quaſi reſciret, non dari, qui eum excitare auſit. Ita quoque vaticinans *Jacobus* de filio & Tribu *Juda.* Gen. XLIX. 9. *Accubuit veluti Leo, & veluti Leæna, quis excitabit eum? (Requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?)*

# TAB. CCCXX.

## Num. Cap. XXVI. verſ. 51. 62.

51. Iſti ſunt Cenſus filiorum Iſrael, ſexcenta millia, ſeptingenti & triginta.

62. Fuerunt autem cenſus eorum viginti tria millia, omnes ſcilicet mares ab eo, qui menſem erat natus & ſupra, non enim erant Cenſi inter filios Iſrael, eò quod non erat illis data hæreditas inter filios Iſrael.

51. Iſta eſt ſumma filiorum Iſrael, qui recenſiti ſunt, ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta.

62. Fueruntque omnes qui numerati ſunt, viginti tria millia generis maſculini, ab uno menſe & ſupra: qui non ſunt recenſiti inter filios Iſrael, nec eis cum cæteris data poſſeſſio eſt.

STat nunc Hannibal ante Portas, *Iſrael in vaſtis Campis Moab ad Jordanem Jericho* v. 63. (*in campeſtribus Moab ſuper Jordanem contra Jericho.*) Finiti mox pœnitentiales Anni, quibus omnes Ægypto egreſſi in Deſerto obire debebant, exceptis duntaxat *Joſua* & *Calebo. Inter iſtos* enim *nullus fuit ex his, quos recenſuerunt Moſes & Aaron ſacerdos, quando recenſuerunt filios Iſrael in Deſerto Sinai. Dixerat enim de eis DOMINUS, omnino morientur in Deſerto, ne unus quidem ex eis reliquus fuit, niſi Caleb filius Jephunæ, & Jehoſua filius Nun.* v. 64. 65. (*Inter quos nullus fuit eorum, qui numerati ſunt à Moſe & Aaron in deſerto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine: nullusque remanſit ex eis, niſi Caleb filius Jephone, & Joſue filius Nun.*) Dispartienda mox promiſſa hæreditas inter rebellium filios, debebat autem ante fieri enumeratio hæredum, quam exercitii ergo in unam redigemus Summam, deſcendendo per Tribus ſingulas, ἢ ὡς παϱαλλήλως ſiſtendo & priorem Computum & poſteriorem, ut uno veluti obtutu pateat ſingularum Tribuum augmentum & decrementum.

| | NUM. I. | NUM. XXVI. |
|---|---|---|
| 1. RUBEN | 46500. | 43730. |
| 2. SIMEON | 59300. | 22200. |
| 3. LEVI | 22300. | 23000. |
| 4. JUDA | 74600. | 76500. |
| 5. ISASCHAR | 54400. | 64300. |
| 6. SEBULON | 57400. | 60500. |
| 7. GAD | 45650. | 40500. |
| 8. ASSER | 41500. | 53400. |
| 9. MANASSE | 32200. | 52700. |
| EPHRAIM | 40500. | 32500. |
| 10. BENJAMIN | 35400. | 45600. |
| 11. DAN | 62700. | 64400. |
| 12. NAPHTHALI | 53400. | 45400. |
| Summa | 625850. | 624730. |

Patet ex hoc Parallelismo, non ſolùm non auctos fuiſſe Iſraelitas numero, ſed diminutos ita, ut differentia ſit 1120. Decrementi rationes non ſunt inuentu difficiles. Iter 40. annorum, ſed inprimis tot, quot ſuſtinuere, Plagæ multa Hominum millia breui temporis ſpatio abſumſere, ut mirum ſit, ex rebelli Natione, cujus ſubitaneam exterminationem interminatus fuerat DEUS haud ſemel, tot manſiſſe ſuperſtites. Adſunt præterea rationes, cur Ruben, Simeon, Gad, Ephraim, Naphthali decreuerint, ſed accreuerint Tribus aliæ, quas aliis inquirendas linquo. Obſeruamus, duplari præter propter, juxta ordinarium Naturæ curſum Homines Annorum 360. ſpatio. Juxta hanc Regulam debuiſſent 603550. Iſraelitis, non computatis Leuitis, ſpatio 39. Annorum inſuper addi 130769. proin prodirent 734319. Nam

360 : 603550. X 2. = 1207100 :: 39 : 130769.

Horum autem 601730. qui natu ſunt minimi non ſunt Annis 59. ætate ſuperiores. Nam Num. I. ut & nunc numerati fuere vicenarii, & qui aſcenderunt ultra 20. annos: dant autem 39. anni Deſerti additis 20. annos 59.

TAB.





NUMER. Cap. XXVI. v. 51. 62.
Caſtra Iſraelis ad Iordanem.

IV. Buch Moſis Cap. XXVI. v. 51. 62.
Iſraels Lager am Jordan.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB

RPJCB




NUMER. Cap. XXXV. v. 4. 5.
Suburbia Levitarum.

IV. Buch Moſis Cap. XXXV. v. 4. 5.
Vorſtätte der Leviten.

I. G. Pinz sculp.

RPJCB




NUMER. Cap. XXXV. v. 4. 5.
Suburbia Levitarum.

IV. Buch Moſis Cap. XXXV. v. 4. 5.
Vorſtätte der Leviten.

*M. Tyroff sculp.*

# TAB. CCCXXI. CCCXXII.

## Num. Cap. XXXV. verſ. 4. 5.

4. Suburbani vero Agri quæ Leuitis dabitis juxta oppida (porrigentur) à muro oppidi extra mille Cubitis circunquaque.
5. Dimetiemini autem foris extra oppidum orientale latus bis mille Cubitos, & latus Meridionale bis mille cubitos, & latus occidentale bis mille Cubitos, Oppidum verò ipſum ſit in medio. Hi erunt ſuburbani agri ipſis ad oppida.

4. Quæ à muris ciuitatum forinſecus, per circuitum, mille paſſuum ſpacio tendentur.
5. Contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem ſimiliter erunt duo millia: ad mare quoque, quod reſpicit ad Occidentem, eadem menſura erit, & ſeptentrionalis plaga æquali termino finietur: erunt urbes in medio, & foris ſuburbana.

Eſt vel hic Textus documento evidenti, fuiſſe omnia, quæ quidem DEUS mandauit, in populo ſuo ordinatiſſima. Teſtimonium aliud extat Deut. XXIII. 12. *Locus tibi ſit extra Caſtra, ad quem foras egrediaris, Lignumque præacutum in baltheo, cum quo foris ſedens fodias, conuerſusque operias excrementum tuum. (Habebis locum extra Caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ. Gerens paxillum in baltheo; cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies, quo reuelatus es.)* Aſſignatas legimus Leuitis certas numero Urbes, ſed Legibus & ſanitatis & munditiei non conueniebat, ut intra muros Urbis eſſent & Domicilia Sacerdotum, & caſæ ſtabulaque pro Pecoribus, & Horrea & Fimeta. Dictat & ſana Ratio Architectis, ſeparanda hæc eſſe ab inuicem, & quæ vel Ignem facile concipiunt, ſiue incendia fouent, vel naribus odore ſunt aduerſa, vel ſanitati noxia, locanda eſſe foris. Ita cauebant & Leges ciuiles, ne in vias publicas ſtercora projiciantur, & morticina & pelles: ne intra mœnia Porci, Anates, aliaue Animalia ſordida alantur. *L. 1. §. 5. ff. de via public. & ſi quid in ea fact. Stryck. de Jure ſenſ.* D. 5. c. 2. n. 32.

Debebant hæc ſuburbia, eorumque limites, quod in Textu legimus, ex mandato DEI exactè emenſurari. Sed de modo, & vero Scripturæ ſenſu non eadem eſt omnium ſeu ſententia, ſeu opinio. Crucem figit, quod v. 4. mentio fiat 1000. Cubitorum, v. 5. 2000. Prætendit *Bonfrerius* ad h. l. irrepſiſſe mendum in Codicem, & legi debere etiam v. 4. 2000, ubi ſanè & LXX. habent δισχιλίους πήχεις. Sic facile ſolui poſſet nodus, vel ſecari. Sed linquimus nos LXX. viris ſuam Verſionem, dudum orthodoxis Scripturæ Interpretibus ſuſpectam, ſicut & aliis, quam ſibi ſumunt, Libertatem mutandi quid in ipſo Textu, tutiores ituri, ſi ſtante Hebraico Textu poſſimus extricare difficultates, & conciliare ἐναντιοφανέα. Sed quoque differunt ab inuicem, qui hac nobiscum incedunt viâ. Rem ita explicat *Lutherus*, oppidi e. g. quadrati latus CB. fuiſſe Cubitorum 2000. Suburbia verò extra oppidum protenſa ad 1000. Cubitos. Fig. I. Quærunt *Junius* & *Tremellius* 2000. Cubitos ita, ut 1000. ſint in ſuburbiis ab una parte, e. g. verſus Ortum, 1000. ab altera verſus occaſum. *Maſius* (Fig. II.) etiam habet 1000. Cubitos pro ſuburbio, quæritque 2000. verſus omnes 4. plagas parallelè cum oppido ipſo. *Paulus Burgenſis* & *Clericus* (Fig. III.) 1000. numerant Cubitos ex Oppidi Centro A. ad peripheriam, & 2000. pro latere Quadrati ambientis oppidum. *Druſius Locis difficil. ad Num.* c. 137. tribuit 1000. cubitos Areæ ſuburbiali in longum latumue, cujus extremum latus fuerit 500. tota proin Quadrati peripheria 2000. cubitorum (Fig. IV.) Neque Judæi, quibus in hujusmodi controuerſiis decidendis aliqua videtur competere prærogatiua, inter ſe ſunt concordes. Sunt (Fig. V.) qui 1000. Cubitos rectà protendunt extra oppidum pro ſuburbio, & extra ſuburbia 2000. pro Pratis, Agris, vineis. Suburbium ipſum, omnibus ſtructuris vacuum deſtinant Paſcuis toti oppido communibus, deambulationibus, Piſcium receptaculis. His conſentiunt *Oſiander*, *Reyher Math. Moſ.* p. 577. hac quidem differentia, quòd ille 1000. deſtinet Horreis, ſtabulis, 2000. verò pratis & paſcuis. Aliis 1000. cubitos menſurantibus pro ſuburbio, & rurſum 1000. alios pro agris & vi-

& vineis, ad quarum extremos limites numerandi forent inde ab oppido 2000. Cubiti, æquales Itineri Sabbathico. Collimant huc *Philo de Sacerd. honorib.* p. 645. & *Joſephus Ant.* L. IV. c. 4. (Fig. VI.) atque ex modernis *Lundius Leuit. Prieſterth.* L. IV. c. 29. p. 868. Et ſanè palma videtur tribuenda binis his poſtremis opinionibus, & priores 1000. Cubiti deſtinandi paſcuo communi, poſteriores 1000. verò ſeu exteriores Hortis, vineis, Agris, qui Leuitis fuerant proprii. Ita Salomo Rex alloquitur Abiatharem. I. Reg. II. 26. *Vade in Anathoth ad agros tuos.* Ibidem, in Anathoth, habitabat Sacerdos *Hanameel*, qui proprium ſibi *agrum vendidit* Jeremiæ Sacerdoti atque Prophetæ, Jer. XXXII. 7. Qui diſtinctum magis de ſpatiis Leuitarum ſuburbanis formare cupit conceptum, is reducet 1000. Cubitos ex Hypotheſi aſſumta hactenus ad 1779. $\frac{14}{134}$. pedes Tigurinos, 2000. proin ad 3558. $\frac{28}{134}$. quibus reſpondent 551. Hexapodæ Gallicæ 5. pedes.

# SUPPLEMENTA IN NUM.

## Num. Cap. III. verſ. 46. 47. 50.

46. Pro redimendis vero ducentis & ſeptuaginta tribus, qui ex primo genere inter filios Iſrael Leuitas excedunt.

47. Accipies quinos Siclos ad ſingula capita, Siclum ſcilicet Sanctuarii accipies. Habet autem Siclus viginti Gera.

50. A primogenitis filiorum Iſrael accepit pecuniam iſtam, nempe mille trecentos & ſexaginta quinque Siclos, juxta Siclum Sanctuarii.

46. In precio autem ducentorum ſeptuaginta trium, qui excedunt numerum Leuitarum de primogenitis filiorum Iſrael.

47. Accipies quinque Siclos per ſingula capita, ad menſuram Sanctuarii. Siclus habet viginti obolos.

50. Pro primogenitis filiorum Iſrael, mille trecentorum ſexaginta quinque Siclorum, juxta pondus Sanctuarii.

*Vid. Num. III. 39. 43.*

## Num. Cap. XVIII. verſ. 16.

Redemptiones vero ejus (ſic ſint) redimes quum ſunt unius Menſis, juxta æſtimationem Argenti, nempe quinque Siclis juxta Siclum Sanctuarii, qui habet viginti Gera.

Cujus redemtio erit poſt unum menſem, Siclis argenti quinque, pondere Sanctuarii. Siclus viginti obolos habet.

*Vid. Exod. XXX. 13.*

## Num. Cap. XX. verſ. 5.

Cur effeciſtis, ut aſcenderemus nos ex Ægypto, ut introduceretis nos in locum iſtum malum, ubi nec ſe-

Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto, & adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui ſeri non poteſt,

men

men eſt, nec Ficus, nec Vites, nec Mala Punica, nec Aqua etiam, quam bibamus.

qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, inſuper & aquam non habet ad bibendum?

*Vid. Exod. XXVIII. 33.*

## Num. Cap. XX. verſ. 8 - II.

8. Tolle baculum, & congrega cœtum, tu & Aharon frater tuus, & loquimini ad Petram, ipſis cernentibus, quæ dabit Aquas ſuas, educesque illis Aquam è Petra, ut potum des cœtui, & jumentis eorum.

9. Tulit itaque Moſes baculum ante DOMINUM, ut ille juſſerat.

10. Et congregauerunt Moſes atque Aharon cœtum ante Petram, & dixit eis: Audite quæſo vos rebelles; Num de Petra iſta educemus vobis Aquas?

11. Leuataque manu ſua Moſes percuſſit petram baculo ſuo bis, & profluxerunt Aquæ multæ, bibitque cœtus, & jumenta eorum.

8. Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad Petram coram eis, & illa dabit aquas: cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo, & jumenta ejus.

9. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei.

10. Congregata multitudine ante Petram: dixitque eis: audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?

11. Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet, & jumenta.

*Vid. Exod. XVII. 1 - 6.*

## Num. Cap. XXV. verſ. 8. 9.

8. — Et cohibita eſt clades à filiis Iſrael.

9. Perierunt autem in clade iſta viginti quatuor millia.

8. — Ceſſauitque plaga à filiis Iſrael.

9. Et occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum.

*Vid. Num. XI. 33. XVI. 48.*

## Num. Cap. XXXI. verſ. 52.

Uniuerſi autem Auri, quod Thruma DOMINO ſepararunt à Tribunis & Centurionibus ſedecim mille, ſeptingenti & quinquaginta Sicli.

Pondo ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos, à tribunis & centurionibus.

Surgit inſigne hoc Donarium, quod Chiliarchæ & Hecatontarchæ ex prælio cum Midianitis habito reduces DOMINO ſponte offerebant, ad 7780. uncias, drachmas 4. ſcrupula 2. grana 35. ſiclo computato 3. drachmis, 2. ſcrupulis, 8, 90. granis.

# TAB. CCCXXIII.

## Deut. Cap. I. verſ. 44.

Egreſſusque Amorræus, qui habitabat in monte illo, obuiam vobis, perſequutus eſt vos, quemadmodum Apes facere ſolent, & percuſſit vos in Seir usque Horma.

Itaque egreſſus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens perſecutus eſt vos, ſicut ſolent apes perſequi, & cecidit de Seir usque Horma.

EST *Apum* Reſpublica ordinatiſſima, actiones omnes regulariſſimæ, ſupremæ Rationis indices & effectus. Colligunt ſeſe contra turbatores, & hoſtes irruentes perſequuntur armatâ non manu, ſed ano. Huc alludere videntur omnino verba noſtri Textus; ita, ut apes, *Iſraelitas* perſequuti fuere *Amorrhæi*, victoriam proſecuti à *Seir usque ad Horma*. Aliter Syra verſio: *vos perſequuti ſunt ſicut Apes fumigatæ*, nempe contra eos, qui mortem earum intentant. Legit namque Syrus pro תַּעֲשֶׂינָה *facerent*, תְעַשְּׁנָה *fumigantur*. Notum quippe, Fumo Apes interfici, utpote vitæ & Reſpirationi horum Animalculorum inimico. Virgil. Georg. v. 230.

—— fumosque manu prætende ſequaces.

*Ouid. Remed. Amor.* v. 185.

Quid, cum ſuppoſitos fugiunt examina fumos,
Ut releuent dempti vimina curua faui?

*Plinius*. L. XI. c. 16. *Cum eximuntur mella, apes abigi fumo utiliſſimum, ne iraſcantur, aut ipſæ auidè vorent. Fumo crebriore etiam ignauia eorum excitatur ad Opera.* Id vocant Græci βλίσαι & ἐναύειν. Ab hac Apum fumigatione non duntaxat heic Moſes, ſi Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ Verſionibus fides, mutuatus eſt loquendi formulam, ſed quoque Scriptores profani. *Lycophron* de Paride v. 180. raptâ Helenâ Trojam reduce Græcos excitaturo, ut Apes fumo irritari ſolent:

Χὠ μὲν παλιμπόρευτον ἵξεται τρίβον,
Σφῆκας δαφοινὲς χηράμων ἀνεϛρύσας,
Ὁποῖα κὲρος δῶμα κινήσας καπνῷ.

Et hic quidem retrogradâ incedet viâ,
Veſpas cruentas ex cauernis extrahens,
Ut cum puer fumo alueare ſuffiit.

Transeo alias hujus generis comparationes, quas videre eſt apud *Apollonium L. II. Argon. Virgil. Æneid.* L. XII. *Quinto Smyrnæo* L. III. v. 127. Si *Apollonii* Philoſophemati fides, fugiunt Apes fumum, δὶα τὸ ϛενόπωρον εἶναι αὐτῶν τὴν ὄσφρησιν, propter anguſtiam organi odoratus, vel, propter anguſtationem dicti organi. Nec malè. Notum, eſſe Fumum omnibus Animantibus, inprimis Inſectis, nociuum, unde & Crabrones fumo fugari ſolent, & pelli ſuis nidis. Loco Aeris puri hauriunt fumoſum, vitæ & Reſpirationi inidoneum, tum quia rarus nimis, tum quia acribus ſalinis particulis imprægnatus Tracheas per totum Corpus expanſas ad ſpaſticas contractiones diſponit, quæ vita mox tenella corpuſcula priuant, nî fugâ ſibi conſulant.

*Apis*, quia Politicum eſt Animalculum, Regem habens, populos, urbes, prætoria, militiam, ordinem Regiminis, ab ipſo hoc & mirabili ordine דְבֹרָה *debora* Hebræis dicitur à דָּבַר quod non ſolùm loqui ſignificat, ſed & ducere, ordinare, regere. Conſpirant Chaldæorum דברא *dabbara*, Arabum *dabron* pro Examine Apum: Turcarum modernorum *debr*. *Meninzk. Lexic.* p. 2022. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 10. p. 507.

TAB.




DEUT. Cap. I. v. 44.
Israelitæ ut Apes fumigatæ.

V. Buch Moſis Cap. I. v. 44.
Die Iſraeliten wie Bienen gejaget.

*M. Tyroff sculp.*

RPJCB

RPJCB



DEUT. Cap. III. v. 11.
Lectus Ogi ferreus.

V. Buch Moſis Cap. III. v. 11.
Ogs eiſernes Bethe.

I. B. Probst sculps.

# TAB. CCCXXIV.

## Deut. Cap. III. verſ. 11.

Solus enim Og Rex Baſan remanſerat ex reliquiis Rephaim, & en lectus ejus erat lectus ferreus, qui adhuc viſitur in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habet longitudo ejus, & quatuor Cubitos latitudo ejus juxta Cubitum virilem.

Solus quippe Og, rex Baſan, reſtiterat de ſtirpe gigantum. Monſtratur lectus ejus ferreus, qui eſt in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus.

NOn eſt leui ſolatio Lectus ferreus in Regionibus Orientalibus; in Ligneis ſtructuris Cimices, Scorpiones, aliaque Inſecta Hominibus infeſta nidulantur, quæ in ferreis exulant. Haud proin ſubeat nos admiratio, ſi in ferreo Lecto decubuit Rex Baſanis *Og*: ſed fortè ferreus ille Gigas, ut alius fuit ab Homunculis ſuis ſubditis, ſeſe ab aliis diſtinguere voluit quoad viuendi modum. Hanc rem dijudicandam aliis linquo. Mei fori eſt magnitudo Regis, de qua quidem nîl certi determinari poteſt, quia dimenſio quidem Lecti eſt expreſſa in Textu, non viri ipſius. Quum contrà *Goliathi* illius ſit expreſſa, I. Sam. XVII. 4. *ſex cubitorum & palmi.* Statura Ogi ſi fuiſſet 6. vel 7. pedum, ſuffeciſſet ei Lectus 9. vel 10. pedum, vel & pro Regia magnificentia 12. aut 14. ut & hodie Nobilis Proſapiæ Viri, non ultra 5. pedes alti, in lectis decumbunt duplo ſe longioribus. Hac Hypotheſi nixi facilè dabimus Giganti noſtro 6. ad 7. cubitos. Fuiſſe *Rephaim* & *Enakim*, è quorum progenie reliquus erat *Og*, extraórdinariæ ſtaturæ, teſtis eſt ipſe Sacer Codex. Sed & apud profanos Scriptores offendas Gigantes, 8. 10. 12. pedum. In *Bactriana* Prouincia Arenâ ſepultos inuenias octo pedales Mumias apud *Chardin Voyage de Perſe*. T. IX. 163. Ex Hypotheſi hactenus de Cubiti menſura recepta Lectus Ogi 9. Cubitorum habebit in

| menſuris Pariſinis | | | Tigurinis | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 14.′ | 10.″ | $9\frac{3}{5}$.‴ | 16.′ | 0.″ | 2.‴ |
| Latitudo 4. Cubitorum | | | | | |
| 6. | 7. | $5\frac{3}{5}$. | 7. | 1. | 2. |

Quodſi ipſius Gigantis perſonæ demus 6. Cubitos, erit ejus altitudo

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| 9.′ | 11.″ | $2\frac{2}{5}$.‴ | 10.′ | 6.″ | 8.‴ |

Aſt non torquent parum Interpretes verba Textus, *juxta Cubitum virilem.* Prætendit *Onkelos*, intelligi debere per virum ipſum Ogum, cubitosque ad hujus menſuram eſſe ſumendos, quæ Hypotheſis daret Ogum Ogo, quem hactenus menſurauimus, longe majorem. *Cumberlandio de menſ. & ponder. Script.* p. 38. è contra ne quidem admittente cubitum ordinarium Geometricum, ſed minorem, viro communis ſtaturæ adæquatum. Medio forſan ibimus tutiſſimi, ſi manebimus in Cubito recepto hactenus partium Pariſinarum 2384. Nec vana eſt *Chardini* conjectura & Ogum Regem, & alios *Rephaim* & *Enakim* conſtruxiſſe, ut ſibi aliisque viderentur majores, Lectos majores, quam quidem popoſciſſet Corporis proportio. Hac ſanè arte uſus *Alexander* ex Indiis Redux, teſte *Diodoro Siculo* L. XVII. πϱοσέταξε τοῖς μὲν πεζοῖς &c. *Pedites etiam juſſit, ut in Tabernaculo quisque ſua cubilia quinum cubitorum extrueret. —— Hæc autem facturus erat, cùm ut heroicam expeditionem feciſſe videretur, tum etiam, ut incolis relinqueret veſtigia magnorum virorum, & quæ inuſitatum robur corporum fuiſſe indicarent.* Ita & *Curtius* L. IX. c. 3. *juſſit erigi 12. aras ex quadrato ſaxo, Monumentum expeditionis ſuæ, munimentaque caſtrorum juſſit extendi, cubilia quoque amplioris formæ, quàm pro Corporum habitu relinqui, ut ſpeciem omnium augeret, poſteritati fallax miraculum præparans.* Clariſſ. *Chriſtian. Wolffius. Math. uniuerſ.* T. II. æſtimat altitudinem Gigantis noſtri $13\frac{1296}{1440}$. Ped. Pariſin.

# TAB. CCCXXV.

## Deut. Cap. III. verſ. 27.

Aſcende in verticem (a) collis & ſublatis oculis tuis ad (b) Mare, ad Septentrionem, ad Meridiem, & ad Orientem, circumſpice oculis tuis, quia non trajicies Jordanem iſtum.

(a) Quidam Pisga montis nomen putant, alii collem interpretantur.
(b) Mare pro Occidente ponunt Hebræi.

Aſcende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Auſtrumque & Orientem, & aſpice: nec enim tranſibis Jordanem iſtum.

Sunt *Plagæ* numero infinitæ, quia per ſingula Horizontis puncta tranſire poſſunt Plana, proin & *Venti* infiniti, qui ex omnibus his punctis ſpirare poſſunt. Reducere tamen ad certum numerum & Plagas & Ventos docuit uſus, coegit neceſſitas. Et, ne nimium accreſceret numerus, ad 32. usque aſcendunt Nautæ. Recenſere ſingulos & ſingulas præter rem foret: ſufficiant ita dictæ *Cardinales*, quarum puncta oſtendit ipſa Natura, ſtellarum nempe quotidiana circumuolutio; Ortum Siderum aſcenſus ſupra Horizontem, Occaſionem deſcenſus, inprimis Solis: Meridiem culminatio, Septentrionem plaga oppoſita. Veteres Philoſophi ac Medici, quod ex *Ariſtotele* & *Theophraſto* conſtat, duas habuere palmarias Plagas, τὰ βόρεια καὶ τὰ νότια· Quibus addidere alii τὰ ἑσπέρια καὶ τὰ ἑῶα. Prælucet in recepta adhuc Plagarum diuiſione ipſe Sacer Textus, quatuor enumerans Cardinales. Exhibet eaſdem Acus Magnetica, imo quilibet Arboris Truncus horizontaliter ſectus.

# TAB. CCCXXVI.

## Deut. Cap. IV. verſ. 18.

Formam cujuscunque reptantis ſuper Terram, formam cujuscunque Piſcis, qui eſt in Aquis ſub Terra.

Atque reptilium, quæ mouentur in terra, ſiue piſcium, qui ſub terra morantur in aquis.

Heic, dum prohibetur Idololatria omnis, id inprimis inquiri meretur, quid intelligi debeat per *Piſces in Aquis ſub Terra*, quum conſtet, degere hoc Animantium genus ſub & in Aquis, & non ſub Terra. An fortè Piſces ὀρυκτοὶ, qui non tam, ut ſomniant quidam, in Petrarum cryptis viuunt absque Aere & Aqua, quàm vero in Hydrophylaciis ὑπογαίοις, de quorum exiſtentia nemo dubitat? an Piſces illi lapidei foſſiles, cadauera veriùs Piſcium, ex fatali illa Diluuiali Inundatione reſidua, quorum *Querelas & Vindicias* publico exhibui? Facile quippe εἰδωλομανία Gentilium eò dementiæ aſſurgere poterat, ut Piſces hos, & viuos & mortuos, ὀρυκτοὺς, vel propter inſignem raritatem deificaret; ut ſanè Exemplum dat *Jupiter* ille *Hammon*, cui cornua affinxerant Africani, ſimilia prorſus Conchyliis illis, ſeu cochleis, quæ *Cornuum Ammonis* nomine tum in Conchyliothecis, tum in Muſeis Diluuianis paſſim proſtant, imo Lapidis, qui dubio procul Joui illi Cornua dedit, *ad cujus* (Jouis Hammonis) *Templum Lapis fuit lectus. Solino* teſte *Polyhiſt.* c. 27. Quæ Cornua tranſiere à Joue ad ejus filios; hoc nempe nomine ſuperbientes videmus *Lyſimachum*, & *Alexandrum*, cornutos in Numis. Utut ſpecie haud careat hæc interpretatio, pollicem premo nihilominus Commentatoribus illis, qui heic intelligunt



DEUT. Cap. III. v. 27.
Moses circumſpiciens plagas.

V. Buch Moſis Cap. III. v. 27.
Moſe beſiehet das gelobte Land.

*G. D. Heüman sculps.*

RPJCB




Deut. Cap. IV. v. 18.
Ιχθυολατρεία gentilium.

V. Buch Moſis Cap. IV. v. 18.
Abgöttiſcher Fiſch = Dienſt.

*I. G. Pinz sculp.*

RPJCB

RPJCB





DEUT. Cap. IV. v. 19.
Αστρολατρεία.

V. Buch Moſis Cap. IV. v. 19.
Abgöttiſcher Geſtirn-Dienſt.

*I. G. Pinz sculp.*

JCB




DEUT. Cap. IV. v. 19.
Ηλιολατρεια.

V. Buch Moſis Cap. IV. v. 19.
Abgöttiſcher Soñen-Dienſt.

*I. G. Pinz sculp.*

gunt omne Piſcium, aliorumque Animantium in Aquis degentium genus, proin & Piſcium illorum ὀρυκτῶν, quæ *ſub Terra*, id eſt, infimo Terræ Horizonte, ſæpe etiam in Hydrophylaciis ante memoratis viuunt, aliisue littoralibus antris, quibus gaudere nouimus Carpiones, Anguillas.

Fig. A. exhibet *Jouis Ammonis* Græci ſimulacrum Κριοπρόσωπον ex *Achille Statio Ill. Viror.* n. 47.

Fig. B. Marmor aliud, unius fortè ex *Ptolemæis*, & quidem Cyrenarum Regibus, cum conjuge jugatum caput. Ex *Spanhem. Præſt. Numiſm.* Diſſ. V. p. 363.

Fig. C. *Mytilænorum* Lesbi incolarum eſt Numus, in cujus una parte Jouis Ammonis Caput, in auerſa concordiæ & communionis cum Pergæis Symbolum. Id. p. 350.

Fig. D. *Alexandri* M. caput ſpolio tectum, Elephanti Proboſcide ornatum, & cornu, ut volunt arietino, ſi id non à Lapide ſupra memorato, ut Jouis ipſius Hammonis, eſt petitum. In auerſa Pallas dextrâ Jaculum, ſiniſtra ſcutum, ad latus Caſſis & Aquila; in memoriam victoriæ de Poro. *Beger Theſ.* p. 241.

Fig. E. *Lyſimachi* Caput Diadematum & cornutum, in altera Minerua armata cum victoriola in manu, infra Delphinus Tridenti implicitus. *Goltz. Num. Græc.* Tab. XXXVI. 8. 9. Qui Numus eò huc pertinet magis, quia ex duplici Regno ὑπογαίων Teſtaceorum atque Piſcium ſeu ſimulacra ſeu Idola mutuo petit.

# TAB. CCCXXVII. CCCXXVIII.

## Deut. Cap. IV. verſ. 19.

Et ne forte attollas oculos tuos in cœlos, & viſis Sole, Luna, Stellis, cum uniuerſo Exercitu Cœlorum, proſternaris, & adores colasque ea, quæ diſtribuit DOMINUS DEUS tuus omnibus populis ſub uniuerſo Cœlo.

Ne forte eleuatis oculis ad Cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit DOMINUS DEUS tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.

EST Homo, ſi penitius eum introſpiciamus, Creatura nobiliſſima equidem, ſed & miſerrima: Menti ſuæ claræ obuerſantur ideæ de DEO, Ente infinite perfecto, inuiſibili, incomprehenſibili, indiuiſibili; attamen eas Ideas, quas ſenſibilia ſuggerunt objecta, vel potius excitant, in ſuperioribus collocat ſubſelliis. Et attendi meretur, eos inprimis tam Orientis quam Occidentis Populos Heliolatriæ & Aſtrolatriæ fuiſſe inde ab antiquiſſimis temporibus deditos, qui vel Zonam ipſam inhabitant Torridam, vel ad eam appropinquant. Et tam altas egit radices hæc Idolomania, ut nec dum hodie ſit eradicata. Ἤλλαξαν τὴν δόξαν τȣ̃ ἀφθάρτȣ ΘΕΟΥ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτȣ̃ ἀνθρώπȣ, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν, addo, ἡλίȣ, Σελήνης, καὶ Ἄςρων. Rom. I. 23. Permagna ſit oportet, imo maxima, Naturæ Humanæ corruptio, ſiquidem ab abſurdis hujusmodi ἀποθεώσεσι auocari debuerit, & Præceptis ſeueriſſimis, Populus ille DEI, qui tot in Ægypto, & Deſerto, oculis ſuis vidit Miracula, non σημεῖα duntaxat ſed ἀναμφιβήτητα Potentiæ diuinæ τεκμήρια; atque de Optimi Maximi DEI Eſſentia atque Proprietatibus per immediatas Reuelationes, & ipſius ſupremi Numinis Legatos ſufficientiſſimè fuit inſtructus: ut omnino mirari liceat, quomodo & hi, & hoc DEI peculium, μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τȣ̃ ΘΕΟΥ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα. Rom. I. 25.

Tantò autem erat magis hoc contra πολυθεότητα Præceptum & ſalutare, & neceſſarium, quia Ægyptus, ſi quæ Natio, fuit ſuperſtitioni deditiſſima, ut inde, veluti ex Equo Trojano, aut Pandoræ Pyxide, Idololatriam penè omnem ad Græcos, aliasque Gentes transmigraſſe judicent viri doctiſſimi; neque dubium ſit, Iſraelitas ſemina morbi hujus contagioſi ſecum ex Ægypto portaſſe in Deſertum. Potiſſimùm autem inter innumeros alios Deunculos coluere Ægyptii *Solem* & *Lunam*, illum *Oſiridis*, hanc *Iſidis* titulo: *Solem* ut *Jouis oculum, qui regali poteſtate ſublimis cuncta deſpiciat*, apud *Macrobium*: ut *omnis generis conſeruatorem & educatorem, qui Mundi intelligibilis inſtar ſenſibilem Mundum amplectatur, ipſumque variis formis & formarum omnium ideis amplificans expleat*; apud *Triſmegiſtum*. Longi moliminis foret Labor, ſi hanc peſtis Ægyptiacæ transmigrationem ad Græcos, imò Indos & Afros,

 vellem

vellem deſcribere, vel etiam ex Voluminibus aliis deſcribere. Satis habebit Lector ex nonnullis, quæ infra ſiſtentur, diuerſarum Gentium, etiam remotiſſimarum, inprimis Ἡλιολατρῶν, ſimulacris.

Eſt utique *Sol*, ut μεταφράζων Moſem κατὰ πόδα ſequar, ſubſtantia una ex nobiliſſimis, ſed materialis, proin non ſui productrix, dependens in ſuo eſſe, & operari ab alia immateriali, inuiſibili, infinitè perfecta, digniſſima admiratione, ſed non adoratione. Non ſanè ſplendidum hoc Sidus creauit ſe ipſum, quod & ex Gentilibus ſaniores agnouerant, *Fecit DEUS luminare majus, quod dominaretur interdiu.* Gen. I. 16. *(Fecit Deus luminare majus, ut præeſſet diei.)* Locatus in Centro Vorticis magni, ut Monarchæ ad inſtar regeret vaſtiſſimi Planetarum Imperii habenas, hosque & eorum incolas calore, Luce, Motu, vita bearet: quam ſedem certè non ſibi elegit ipſe, nullius Rationis capax, ſed DEUS *Soli tentorium poſuit.* Pſal. XIX. 5. è quo *velut ſponſus ex umbraculo ſuo prodit, lætus velut heros quispiam ad decurrendam viam. Ab extremo cœlorum egreſſus ejus, recurſus ejus usque ad extrema eorum, nec eſt qui ſe ab æſtu illius abſcondat.* v. 6. 7. *(Et ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit ut Gigas ad currendam viam. A ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus usque ad ſummum ejus, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.)* Hæc omnia non ex proprio conſilio, ſed ſapientiſſima Creatoris ordinatione. DOMINUS *dedit Solem in lucem diurnam, Lunæ ſtellarumque ordines in lucem nocturnam.* Jer. XXXI. 35. Idem eſt hic παντοκράτωρ, qui promiſit, *non amotas iri leges iſtas à conſpectu ſuo.* v. 36. ut proin haud ſit dubium phraſin illam, *lætus velut heros quispiam ad decurrendam viam*, intelligi debere ſenſu metaphorico. *Sol nouit ſuum occaſum* Pſal. CIV. 19. ut Horologium artificioſum quoddam nouit exhibetque ſuum artificem.

*Lunæ* par eſt ratio, licet inferior conditio, quum ſit ſatelles Terræ, nedum Princeps. De hac ita rurſum Moſes. DEUS fecit *Luminare minus, quod dominaretur noctu.* Gen. I. 16. *(Deus fecit Luminare minus, ut præeſſet nocti.)* Non ſanè hic ſibi regularem hunc Motum dedit, quo Hebdomadas metiri ſolemus & Menſes, *Lunam* DEUS *fecit, ut ſuo tempore exiſtat indicium temporum*, & *ſignum æui. Luna dies feſtos deſignat, luce decreſcente, donec deficiat. Menſis nomen ipſius accipit, & creſcens mutationibus eſt mirabilis.* Sirac. XLIII. 6. 7. *(Et luna in omnibus in tempore ſuo, oſtenſio temporis, & ſignum æui. A luna ſignum diei feſti, luminare quod minuitur in conſummatione. Menſis ſecundum nomen ejus eſt creſcens mirabiliter in conſummatione.)*

Idem eſto judicium de *Stellis*, intellige Fixis, quæ totidem ſunt Soles, quod de Sole ipſo. *Stellas relucentes in ſtationibus ſuis hilares ſi vocet* DEUS, *Adſumus, ajunt, ſuoque Creatori fulgent cum lætitia.* Baruch. III. 34. *(Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.)* Illarum numerus adeò eſt innumerus, ut nullus Aſtronomorum modernorum, & ne ex Lynceis quidem, illum determinare præſumat. Solus DEUS *ſtellas in numerato habet, ac uniuerſas vocat nominibus.* Pſal. CXLVII. 4. *(Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans:) Attollite in ſublime oculos veſtros, & contemplamini, quis creauerit iſta, producens in numero exercitum eorum, ſingula ſuis nominibus vocans, à multitudine virium, & robore virtutis, ut ne unum quidem deeſſet.* Jeſ. XL. 26. Hæc ipſa Creationis ac ordinatiſſimæ diſpoſitionis Gloria dat Creatori jus & dominium in *ſtellas & omnem Exercitum cœlorum* abſolutum. Deut. IV. 19. Ipſe *ſtellas velut appoſito ſigillo claudit.* Job. IX. 7. Unde & Stellæ cluent DEI *ſtellæ*, Jeſ. XIV. 13.

*Omnis Exercitus cœlorum* nomine, quem in Textu noſtro memorat Sacer Scriptor, percommodè intelligimus Planeticum Syſtema integrum, ſi non Mundi uniuerſi διακόσμησιν. Eſt ſane Planeticorum corporum, tum primariorum, tum ſecundariorum, motus regulariſſimus, præciſa cujusque Naturæ & neceſſitati adæquata à Fonte Solari diſtantia, Magnitudo, alia, incitamento nobis, non ut adoremus illa, ſed eum, qui illa creauit. *Equidem ſuſpiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas tu præparaſti.* Pſal. VIII. 4. *Magnus eſt* DOMINUS *noſter, & ingentis Potentiæ, cujus intelligentia innumerabilis eſt.* Pſal. CXLVII. 5. *(Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus; & ſapientiæ ejus non eſt numerus.)*

Hæc omnia, infit porrò Moſes, *diſtribuit* DOMINUS DEUS *tuus omnibus Populis ſub uniuerſo Cœlo.* Non Soli debebant viuere Judæi in Palæſtina, ſed tot aliæ Nationes, omnes omnium Terrarum Homines indigebant pro vita ſua & motu, Luce & Calore, Stellis & Luna Luminaribus nocturnis, ſole diurno. Debebat hic eſſe Prot-Eleemoſynarius & piis & impiis, juſtis & injuſtis. Sed eſt ipſa hæc *diſtributio* Sapientiæ atque Bonitatis Diuinæ Criterium certiſſimum: quæ ne fine ſuo excideret, Solis vel Terræ motum deduxit non per Æquatorem, ſed per Eclipticam, qua de re alibi plura. Non omnibus Populis comparent omnes Firmamenti Stellæ, ſed nobis Zonæ Temperatæ Septentrionalis incolis certæ Stellæ oriuntur & occidunt, aliæ occidunt nunquam, omni Nocte conſpicuæ, dum aliæ nos ſemper latent, ſemper conſpicuæ Zonæ Meridionalis Temperatæ inhabitatoribus. Attentionem porrò ſingularem meretur *diſtributio* Luminis Lunaris: plena tunc nobis eſt, ſi ejus Lumine opus habemus quàm maximè, Noua, dum minimè. Nouam offerret DEI virtutes deprę-

RPJCB




DEUT. Cap. VIII. v. 4.
Caligæ ſive Calcei Veterum.

V. Buch Moſis Cap. VIII. v. 4.
Schuhe der Alten.

*H. Sperling ſculps.*

deprædicandi materiam diſtributio Luminis Solaris in Terram, omnesque Planetas, talis nempe quali indigebant ſinguli. Sed hæc nunc indicaſſe ſufficiat.

Fig. A. Tab. 327. exhibet Numen Solare *Japonenſibus Amida* & *Fombum* dictum, flori Roſæ, Nymphææ, vel Loti inſidens: de quo plura *Kircher Oedip. Ægypt.* P. I. p. 406.

Fig. B. *Rhodiorum* eſt Numus Solem ex una parte oſtentans, ex altera florem ſeu Roſæ, unde nomen habere dicitur, ſeu Balauſtii. Spanhem. Præſt. Numiſm. p. 277.

Fig. C. Tab. 328. Fanum *Horcholiuos* Americani Numinis ἀνθρωποθυσία celebre, de quo ita *Kircherus.* Lib. cit. p. 421. *Modus ſacrificandi erat ille, qui ſequitur: Hominem, qui ſe ſponte offert immolandum per omnia Urbis compita, viasque ſummâ feſtiuitate, & in Triumphi ſpeciem, circumducunt: peractâ hac ſolennitate, Idolo, quod eſt ad angulum Turris, occidendus ſiſtitur, renouatisque Hymnis Choreisque ſacrificulus lapideâ quadam nouaculâ immolandi pectus decuſſatim aperit, extractoque corde calido adhuc, & ſanguinis feruore bulliente, eo os Idoli primùm inungit poſtmodum parte profluentis Sanguinis verſus Solem, aut noctu verſus Lunam projecta, reliquorum Idolorum ora, coronidem quoque Portæ Fani inungit, ac demum cor combuſtum in cinerem redigit, puluerem reliquiarum loco tenentes, quod & de cineribus totius corporis ſimiliter faciunt.*

Fig. D. Numus *Quadrati* Præſidis Syriæ, in cujus parte antica caput turritum Antiochiæ Urbis; in poſtica Aries & Stella intra Lunam bicornem, Antiochiæ Symbola. Percuſſus A. 808. V. C. *Noris Epoch. Syro Maced. Diſſ.* III. p. m. 182.

Fig. E. Numus Mithridatis diadematum: à poſtica Ceruus, Luna, Sol & Stellæ in corona ex variis floribus & foliis compoſita. *Beger. Theſ. Palat.* p. 152.

# TAB. CCCXXIX.

## Deut. Cap. VIII. verſ. 4.

Veſtimentum tuum ſuper te vetuſtate non eſt detritum, nec pes tuus intumuit hisce quadraginta annis.

Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt.

Parallela en bina alia Loca. Deut. XXIX. 5. *Ego quidem duxi vos quadraginta annis per deſertum, nec ſunt vetuſtate attrita veſtimenta veſtra ſuper vos, nec calceamentum tuum vetuſtate conſumptum eſt in pede tuo.* Nehem. IX. 21. *Aluiſti eos in deſerto quadraginta annos, ut nihil eis deeſſet; veſtimenta eorum non ſunt vetuſtate detrita, nec intumuerunt pedes eorum. (Quadraginta annis pauiſti eos in deſerto, nihilque eis defuit: veſtimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non ſunt attriti.)* Hanc in rem offendimus ſententiarum diuortia, eas propriis interpolabo cogitatis. Recutiti Doctores, R. *Bechai, Kimchi, Jalkut*, pro more ſuo amplificantes omnia, & multiplicantes, aſpiciunt Phænomenon hocce ut ex maximis miraculis unum. En quid dicant! Angeli ipſi, Populi hujus ſartores, confecere Iſraelitis veſtimenta ſericea, & variis coloribus intertexta; delicatulis ſcilicet magis, quàm ipſi fuere Protoplaſtæ, quibus DEUS ipſe *fecit tunicas pelliceas.* Gen. III. 21. Ne quis autem exiſtimet, deeſſe ſententiæ rationes, producunt illi adlocutionem ipſius DEI ad ingratum Populum. Ezech. XVI. 10. *Indui te acupictis, calceaui te melino (pelle) amiciui te byſſo, obtexi te ſerico ſubtiliſſimo. Ornaui te ornamento. Armillas poſui ſuper manus tuas, & torquem ad collum tuum. Et appendi monile ſuper faciem tuam, globulos in aures tuas, & coronam decoris ſuper caput tuum. Et ornata es Auro & Argento, veſtimentum tuum byſſinum, ſericum & acupictum. (Et veſtiui te diſcoloribus & calceaui te hyacintho, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multis coloribus.)* Fuerint proin Angeli non ex ſola Sartorum, ſed quoque ex Aurifabrorum Tribu. Id quod Sacer Codex deprædicat ut ſingulare Dei donum, Rabbinis eſt Angelicarum manuum, ſi quas habent, productum. Dolendum, nihil de hac Angelorum fabrica ſupereſſe, ut ex reliquiis Synagogas ornare potuiſſent Judæi. Audite plura: Nunquam fuere Iſraelitarum veſtes detritæ, quum contra denſiſſimæ aliàs texturæ quæque & ſolidiſſima ipſa Metalla uſu atterantur & conſumantur: Miraculum en, quod conſeruat à deſtructione infinitè, ut cum modernis Phyſicis

loquar, parua corpuſcula, quæ contra conſuetum Naturæ curſum aut non fuere attritione abſumta, aut quouis momento, eâ præciſè figura, magnitudine, numero, quibus abiere, reſtaurata. Neque hîc eſt Miraculi terminus: Creuere veſtimenta cum ipſis Hominibus. Quæ tenellorum corpori fuerunt coæquata, idem quod Homines ipſi cepere accrementum, ut tandem à conſiſtentis ætatis viris geſtari potuerint. Nouum igitur en miraculi genus, omni Naturâ & Arte ſuperius! Obſeruamus equidem & in Natura, creſcere teſtam eadem proportione cum ipſa cochlea; ut non aliud adulta Cochlea habeat tegumentum, quàm quod in ipſo habuit Utero. Sed non quadrat Exemplum hocce Iſraelitarum Veſtibus. Teſtarum eadem eſt, quæ Cutis noſtræ, ratio; Veſtimentorum, quæ arte parantur, longè alia. Addunt illi, veſtes Majorum haud opus habuiſſe loturâ. En cur? ipſa, quæ Caſtris ſupra ſtabat, Nubis columna, puras conſeruauit illas & albas, ut ex Amiantho confectum Linum purgatur Igni. Et per Traditionem prætendit inſuper immunda hodie Judæorum Natio, ut munditiem ſuorum Patrum extollat, neque Pediculos, neque alia Inſecta habitaſſe in horum veſtibus. Ita degener prorſus facta Natio: quos hodie vel eminus odoramus, caruere olim ſudore fœtido, licet per 40. annorum decurſum haud exuerint veſtes: fuit hîc, ut ſomniant, aromaticus potius, à Plantis nempe balſamicis illis, quæ ſuccreuere ad Flumen illud ſiue Torrentem ex dura Petra profluum. Et ne quis de hoc Miraculo dubitet, allegant Cant. IV. 11. *Odor veſtimentorum tuorum excellit omnibus aromatibus — eſt qualis fragrantia Libani.* Quamuis per ſalebroſa arenoſaque Deſerti loca iter fecerint Iſraelitæ, non tamen egerunt fiſſuras calcei, neque fuere detriti imò verò creuere juxta ipſorum Pedum proportionem. En igitur miraculorum circa ſolas Iſraelitarum veſtes cumulum!

Patribus Latinis & Græcis placet quoque literalis Textus noſtri interpretatio, *Tertullianus de Trinit.* ſiue libri hujus Author *Nouatianus: Tertullianus* item de *Reſurrect.* c. 58. Hiſtoriam hanc noſtram in parallelo collocat cum intemerata conſeruatione veſtium, calceorum, quibus induti erant ſocii Danielis in voraciſſimis mediis Fornacis Babylonici flammis viui conſeruati; & eſt hoc illudue Phænomenon ipſi Symbolum futuræ in altera vita Perfectionis. Miraculum quoque prætendunt *Juſtinus Martyr Dial. cum Tryph. Theodoret. Quæſt. VI. in Deuteron. Chryſoſtom. Hom. IX. in Philipp. Ambroſius L. II. de fide ad Gratian. c. 1. Hieronymus ad Pammach. adv. errores Joh. Hieroſolymitani. Auguſtinus de Geneſ. ad Lit. L. IX. c. 3. de bono Conjugio c. 2. de Peccat. merit. & remiſs. L. I. c. 3.* Et approximant ſeſe aliqui horum, ſpeciatim *Juſtinus* Rabbinis, ſtatuentes, creuiſſe veſtes unà cum ipſis Corporibus. Quamuis nulla eos ad hoc coëgerit neceſſitas. Sufficit quippe Veſtium in ſua magnitudine absque detrimento conſeruatio; & potuere adulti veſtibus illis hæreditario jure uti, quibus uſi fuere alii ejusdem & ſtaturæ & ætatis demortui, minoribus reſeruatis pro junioribus. Conſtat namque ex Hiſtoria Profectionis Iſraelitarum per deſertum, Iſraelitas omnes Ægypto egreſſos abiiſſe ad plures, in ipſo Deſerto, exceptis Calebo & Joſua, numero interea temporis, 40. nempe annorum ſpatio haud augmentato. Patribus ſupra citatis ſubſcribunt perplures ex recentioribus Commentatoribus, *Bonfrere, à Lapide, Joh. Gerhardi, Joh. Adam Oſiander, Grotius, Joh. à Marck,* &c. hoc inter alia nixi argumento, quod hæc Veſtium conſeruatio in parallelismo locetur cum Manna, & Aquæ ex Rupe profluuio, quæ absque omni dubio Miraculis accenſeri debeant.

Tertii generis Commentatores, *Hermannus von der Hardt, Ger. Noodt, Clericus,* nolunt equidem pro iis haberi, qui Miraculorum in Ægypto & deſerto patratorum fidem dubiam reddant; attamen rationes prægnantes habent, cur de hoc Veſtium & Calceorum Miraculo dubitent, cujus utpote maximi haud dubiè in Hiſtoria præcedanea Itineris meminiſſet Moſes; patrati non in uno duntaxat Homine, ſed omnibus & ſingulis Iſraelitis; non ſemel duntaxat, vel aliquoties, ſed quotidie per 40. Annorum decurſum, imo ſingulis horis atque minutis, ſiquidem ad Literam intelligendus foret Textus, veſtium & calceorum mentionem faciens, peracto jam Itinere, ὡς ἐν παρόδῳ. Non fieri, inquiunt hi, facilè Miracula, niſi in caſu neceſſitatis, qui heic exulat. Notum quippe, Iſraelitas Ægypto exportaſſe varium ſuppellectilis genus, numeroſos aluiſſe in Deſerto greges; mactatorum Animalium pelles potuiſſe inſeruire ipſi veſtimentorum & calceorum uſui: non defuiſſe, qui veſtes conficerent, quandoquidem artificioſiora longè fabricauerint ad uſum Tabernaculi: liberum denique fuiſſe cum Iſmaelitis & Arabibus commercium. Eam proin eſſe mentem & Moſis & Nehemiæ, proſpexiſſe DEUM populo ſuo ut de victu, ita & de amictu: neque ad eam inopiam redactos fuiſſe Iſraelitas, ut laceris inceſſerint veſtibus, atque nudipedes, verbo, *nihil eis defuiſſe*, uti ſe exprimit Nehemias: affluxiſſe rerum copiam, ac ſi in populoſis degiſſent urbibus: calceatis benè non intumuiſſe pedes: notum enim, calloſos reddi & tumidos pedes iis, qui vel γυμνόποδες, vel laceris induti calceis per loca arenoſa atque ſaxea Iter faciunt.

Ultima hæc ſeu ſententia ſeu opinio licet enodando Textui mihi quidem videatur ſufficiens, liberum tamen linquo Lectoribus ſeligere quamcunque velint ex prioribus; quam libertatem ſibi eripi patietur nemo. Videantur *Joh. à Marck Diſp. Theol. de non detritis Iſraelis veſtibus & calceis in Deſerto ad Deut.* XXIX. 5.

Reſp.

RPJCB



DEUT. Cap. VIII. v. 7.
Abundantia Palæſtinæ campeſtris.

V. Buch Moſis Cap. VIII. v. 7.
Waſſer und Felder des gelobten Landes.

*Catharina Sperlingen sculps.*

RPJCB



DEUT. Cap. VIII. v. 8.
Palæſtina Hortenſis et melliflua.

V. Buch Moſis Cap. VIII. v. 8.
Baum= und Honig=reiches Land.

*I. G. Pinz sculp.*

RPJCB



DEUT. Cap. VIII. v. 8. 9.
Palmæ et metalla Palæſtinæ.

V. Buch Moſis Cap. VIII. v. 8. 9.
Palm = und Metall = reiches Land.

*I. G. Pinz sculp.*

Reſp. Joh. von Rouveroy Lugd. Bat. ap. Abr. Elzevier 1692. 4. *Herm. von der Hardt Ephemerid. Philolog. Diſc.* XII. p. 151 — 160. *Bynæus de Calceis Hebræor.* p. 380. ubi cum aliis à miraculo deſiſtit, ad ſingularem DEI curam & prouidentiam rem referens: & in parallelo locum hunc de Calceis non detritis locans. Jeſ. XLVIII. 21. ubi Propheta dicit, *non ſitiiſſe* Iſraelitas, *cum ipſos per deſertum duceret*, id eſt, abundè ſuppeditaſſe DEUM, unde ſitim potuerint explere. Nam ſitiiſſe conſtat ex Hiſtoria profectionis, Calceos quoque habuiſſe, vel habere potuiſſe ex Ægyptiorum, Ammonitarum & Moabitarum ſpoliis.

Ut conſtet Lectori, qualibus nam Calceis & cujus formæ uſi fuerint Veteres, in Ornamentis ſiſto *ex Bynæo de Calceis Hebræorum*

Fig. 1. Caligam ex Columna marmorea Trajano Imperatori erecta: de qua *Julius Nigronus Diſſ. de Caliga.*

Fig. 2. Caligam cum & ſine clauis ex Columna eadem & Arcu Conſtantini: ubi notanda fila ſiue corrigiæ, quas שרוך Hebræi vocabant, LXX. σφαιρωτῆρας, Gen. XIV. 23. ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων, Marc. I. 7.

Fig. 3. Caligam cum corrigiis ex ſtatua togata, quæ viſitur in Atrio Palatii Veneti.

Fig. 4. Caligam aliam in ſtatua M. Aurelii palliata in eodem Atrio.

Fig. 5. Campagum ex opere reticulato, cujus figuram dedit *Andr. Friſius* ad *Balduin. de Calc.*

Fig. 6. Tzangam ex eodem.

Fig. 7. Soleam Dircis Romæ in Ædibus Farneſiorum.

Fig. 8. Soleam Apollinis Pythii Romæ in Hortis Vaticanis.

Fig. 9. Soleam exhibet cum corrigiis ſolutam.

Fig. 10. Milites Romanos caligatos in Numo Hadriani.

Fig. 11. In Numo Commodi.

# TAB. CCCXXX. CCCXXXI. CCCXXXII.

## Deut. Cap. VIII. verſ. 7. 8. 9.

7. Quoniam DOMINUS DEUS tuus introducet te in Terram bonam, in qua ſunt Torrentes Aquarum, fontes & Abyſſi erumpentes ex Vallibus & Montibus.

8. Terram, in qua eſt Triticum & Hordeum, Vineæ, Ficus, & Mala Punica, Terram in qua eſt oleum olearum & Mel.

9. Terram, in qua absque penuria panem comedes, nec quoquam egebis in ea: Terram, cujus Lapides Ferrum, & de cujus montibus Chalybem effodies.

7. Dominus enim Deus tuus introducet in terram bonam, terram riuorum aquarumque, & fontium: in cujus campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi.

8. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata & olivueta naſcuntur: terram olei ac mellis.

9. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris; cujus Lapides ferrum ſunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur.

De Fontibus viuis, imo *Torrentibus Aquarum* viuarum, qualenam & quantum ſint DEI Ter Optimi beneficium, nos inprimis teſtari poſſumus Heluetii, tanti Theſauri ampli poſſeſſores; ſed quoque earum Regionum incolæ, quibus hi Fontes deſunt, nec aliæ conceſſæ ſunt Aquæ, quàm vel Pluuialis, ut Belgæ, vel Fluuialis, ut inferioris Ægypti incolæ, ubi & degebant per aliquot Secula Iſraelitæ, ſolâ Niloticâ Aquâ, quæ ſæpe putreſcit, contenti. Magni inprimis æſtimandum hoc Aquæ viuæ beneficium in Climatibus illis calidioribus Aſiaticis, quale eſt & Palæſtinæ, ut dubio procul Iſraelitis in Arabiæ Deſerto calore & ſiti ſqualentibus ſaliuam mouerint hi à DEO promiſſi *Torrentes Aquarum, fontes & Abyſſi erumpentes ex Vallibus & Montibus.* Ubi per תהמת *Abyſſos* commodè intelligimus Hydrophylacia ſubterranea, ex quibus Fontes, Riui, & integra Flumina promanant. Quæ ipſa certe non ſunt caſus cujusdam fortuiti productum, ſed DEI Maximi beneficium, qui dirigit *riuos Aquarum, quocunque vult.* Prov. XXI. 1.

Verùm enim verò præſtantiores erunt aliis illæ Regiones, quæ non perluuntur duntaxat

 Tor-

Torrentibus Aquarum, ſed quoque abundant omnis generis, iisque delitioſiſſimis Fructibus; ubi Agri conſiti ſunt Frumento pingui, vineæ vitibus, Prata Arboribus. Ita ex fertilioribus *Heluetiæ Vallibus* eſt *Tellina*, & *Valleſia*. In *Palæſtina* noſtra eſt v. 8. *Triticum & Hordeum, Vineæ, Ficus, & Mala Punica, Oleum olearum, & Mel.* (*Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata & olivueta naſcuntur: terram olei ac mellis.*)

*Tritico*, חִטָּה abundat adeò pingue Terræ Chananææ ſolum, ut κατ' ἐξοχὴν vocetur *Terra Tritici* v. 9. Dabat Salomon Hiramo quotannis *viginti mille Coros Tritici in cibum pro domo ejus, & viginti Coros olei contuſi.* 1. Reg. V. 11. (*Salomon autem præbebat Hiram viginti millia Coros tritici in cibum domui ejus, & viginti coros puriſſimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.*) Et totidem promittit putatoribus & Lignicidis Tyriis 2. Par. II. 10. Et audi, quid in ſola Regis Aula fuerit conſumtum! *Fuit cibus Solomonis pro die uno, triginta Cori ſimilaginis, & ſexaginta Cori farinæ.* 1. Reg. IV. 22.

*Hordei* שְׂעֹרָה, quod etiam ad frumentacea pertinet, nec cibum duntaxat Homini ſubminiſtrat, ſed & Potum, prima mentio in Sacris fit Exod. IX. 31. qui Locus videatur.

De Terræ Sacræ *Vitibus* dabitur paſſim loquendi occaſſio: ut & de *Ficubus*, quarum copia abundauit in ſpecie Genneſaritis, teſte *Joſepho Bell. Jud.* L. III. c. 35. Euagarer nimium, ſi ad laudes deſcenderem fructus ex ξυλίνοις utiliſſimi, ſufficiat pro nunc Elogium, quod extat in *Athenæi Dipnoſoph.* L. III. p. 78.

Ει τις καθεῖρξε χρυσὸν ἐνδόμοις πολλὸν
Καὶ σῦκα βαιὰ ϗ δῦ ἢ τρεῖς ἀνθρώπȣς,
Γνοίη χ᾽ ὅσω τὰ σῦκα τȣ̃ χρυσȣ̃ κρέστω.

In ædibus Auri multum ſi quis concluſerit,
Et paucas Ficus, duosque vel tres Homines,
Quanto Ficus Auro ſint præſtantiores intelliget.

*Punicum malum*, ſiue *Malogranatum, Rimmon*, cujus mentio quoque fit inter ornamenta veſtium ſummi Sacerdotis, Exod. XXVIII. 33. 34. quodue octo nobilibus Terræ ſanctæ Urbibus nomina dedit, fructus eſt Arboris, cujus flos eſt, *Tournefortio* definiente roſaceus, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtans, cujus calix campanæ ſimilis, multifidus, abiens in fructum fere globoſum, coronatum, in plura loculamenta diuiſum, acinis ſucci plenis fœta, placentæ affixis, membranis tenuiſſimis diſtinctis, & ſemine turgentibus ut plurimum oblongo. Quos characteres videre licet ad marginem Tabulæ. Arbor ipſa A. ramis tenuibus angulosis brachiata, & ſpinis aliquot rigidis armata corticem habet rubeſcentem: folia Myrti æmula, non ita acuta, ex viridi in leuem quandam rubedinem vergentia, odore graui.

*Oleis* fuit Canaanitis fertiliſſima, quæ heic cum ἐμφάσει cluet אֶרֶץ־זֵית שֶׁמֶן *Terra oliuæ olei*, ferax oleæ oleoſæ, i. e. olearum fertiliſſimarum. *Oleæ erunt tibi per cunctos fines tuos.* Deut. XXVIII. 40. Ut hodie abundant oleis Italia, Hiſpania, Gallia. Et colligi poteſt prouentus Olei in Judæa ex eo, quod Solomon Rex Hiramo dederit vicies mille bathos olei, 2. Paral. II. 10.

Sequitur *Mel*, דְּבַשׁ, idque non tam *Apum*, quam Vegetabilium productum. Generali quippe ſignificatu, quod R. Selomo obſeruat in Leuit. II. 11. notat Hebræa vox omnem dulcedinem fructus, ut ſanè ex fructibus bene multis coctione & inſpiſſatione haberi poteſt melliformis, & conſiſtentiâ & ſapore, ſuccus. Sed ſpecialiori *debas* notat *Dactylos Palmæ* fructus, ut heic, ex ipſa doctiſſimorum Rabbinorum, *Kimchii* & *Selomonis* interpretatione. Conſentiunt Arabes: *Dubous Alcamo* ſunt dactyli ſelectiores, qui in butyrum liquefactum conjiciuntur, ut in eo colliqueſcant. Et *dibs*, *dibis*, mel dactyli, mel palmæ. Notabilis extat locus apud *Joſephum Bell. Jud.* L. V. c. 3. ubi de Valle Hierichuntina, & creſcentibus ibi Palmis: τȣ́των οἱ πιότεροι πατȣ́μενοι, ϗ μέλι δαψιλὲς ἀνίασιν, ȣ̓ πολλῷ τȣ̃ λοιπȣ̃ χεῖρον. *Harum pinguiſſimæ calceatæ plurimùm mellis emittunt, non multò deterius alio Melle.* Hoc ſenſu Mel ſumunt Leuit. II. 11. 12. 2. Chron. XXXI. 5. Loca alia. Sed quoque ſubintelligi poteſt *Mel Apum*, in proprio nempe ſuo & ſtrictiſſimo ſignificatu, quum notum ſit, abundaſſe Apibus tum domeſticis, tum ſylueſtribus Terram Sanctam. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 12. *Hiller Hierophyt.* L. I. p. 124.

Præſtantem vidimus Terram Aquis viuis irriguam, præſtantiorem fructibus præcellentibus abundantem, nobiliſſimam dixeris, ſi inſuper Theſauri adſint ſubterranei, & tales, qui Hominum uſui magis ſunt quàm *Aurum* & *Argentum* neceſſarii, *Ferri* nempe & *Æris*. De *Ferro* Scriptor Sacer hyperbolicè, *Lapides* in Terra illa eſſe *Ferrum*; tantam Ferri ſuppetere copiam, quæ conferri queat cum Lapidibus in ſtratis publicis & Agris. Notum hodie in *Georgia*, *Mingrelia*, *Perſia* abundare paſſim Ferri venas, ejusque optimi, ſed quoque in *Palæſtina* montoſa Arabiæ contermina, teſte *Agricola de Metall.* p. 413. Et legimus apud *Ariſteam ad Philocratem*, in montibus illis Arabiæ vicinis effoſſum olim fuiſſe Ferrum & Æs, prouentum autem hunc neglexiſſe Perſas, illorum locorum potitos. Ἐλέγετο δὲ ἐκ τῶν παρακειμένων ὀρέων τῆς Ἀραβίας μέταλλα χαλκᾶ ϗ σιδηρὰ συνίςαθαι πρότερον. Ἐκλέλειπται καθ᾽ ὃν ἐπεκράτησαν χρόνον Πέρσαι. τῶν τότε προςατȣ́ντων ποιησαμένων διαβολὴν, ὡς ἄχρηςος ἡ κατεργασία γίνεται, καὶ πολυδάπανος. Et ſunt hæc fortè Φαινήσια illa μέταλλα, quorum meminit

RPJCB



DEUT. Cap. VIII. v. 15.
Serpentum et Scorpionum Terra ἄνυδρος.

V. Buch Moſis Cap. VIII. v. 15.
Schlangen- und Scorpionen-Wüſte.

I. G. Pinz sculp.

nit *Epiphanius L. II. adv. hæret.* p. 719. ad quorum fodinas damnati olim ſcelerati. Locus extat illuſtris apud *Athanaſium Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes*, p. 658. ἠξίωσαν εἰς μέταλλον ἀποςαλῆναι, καὶ μέταλλον ἐχ' ἁπλῶς, ἀλλ' εἰς τὸ τῆς Φαινὼ ἔνθα, καὶ φονεὺς καταδικαζόμενος ὀλίγας ἡμέρας μέγις δύναται ζῆσαι. *In metalli fodinam eum mitti curauerunt, nec in Metalli fodinam ſolum, ſed illam ſpeciatim, quæ Phæno nuncupatur, in qua homicida damnatus nonniſi ad paucos dies ſupereſſe poteſt.* Fuit autem Φαινὼ, *Phæno*, olim Urbs Idumæa, poſtea vicus in ſolitudine inter urbem Petram & Zoaram, teſte *Euſebio* ad vocem Φινῶν, quæ exiſtimatur eſſe פינון *Phunon*, Numer. XXXIII. 42. 43. v. *Reland Palæſtin.* p. 951. Plura ad hanc rem alibi. Poſſunt & ad Literam per *Lapides Ferri* intelligi venæ ipſæ Ferri, in Lapidibus & Saxis reperiri ſolitæ, Lapidibus plerunque ſimiles, Lapidibus ſæpe commixtæ. Foſſoribus quoque Germanis nota ut generale venis benè multis nomen *Stein, Handſtein*, pro venâ præcellenti, diuiti, ita ſpeciale venæ Ferri *Eiſenſtein*. Attamen tum ex hodierna Terræ ſanctæ indole, tum ex ipſa S. S. conſtare videtur, habuiſſe equidem incolas Ferri & Æris ſatis pro communi uſu, ſed non eâ copiâ, quæ extra limites in alias Terras in commercium venire potuerit. *Juda & Terra Iſraelis fuerunt mercatores tui* (Tyri) *Tritico Minith, Balſamo, Melle, Oleo & Reſina, quæ dederunt ad negotiationem tuam*, Ezech. XXVII. 17. licet & de *Dan & Jauan* legatur v. 19. *convexiſſe in Emporium* Tyri *Ferrum factum.*

Tab. CCCXXXII. videre licet *Palmam dactyliferam majorem vulgarem Jonſton. Dendr.* Ill. Sloane Cat. Jam. p. 174. Nat. Hiſt. of Jamaica Vol. II. p. 111. Palm. Treès of the Jews Land of Hubert p. 36. Palmier portant les Dattes. Pomet Hiſt. des Drog. p. 213. Palma major. Palma dactylifera Caſtell. Hort. Meſſan. p. 18. Dattes de Maire p. 84. Palmiers des Feynes p. 26. 77. 141. Palma dactylifera Indica Munt. Phyt. Cur. p. 47. Fig. 244. Palma dactylifera. Palmeira Griſley viridar. p. 50. yaycu Palma, quæ Dactylos & Tameras producit, Boym. Relat. de la Chine p. 17.

# TAB. CCCXXXIII.

## Deut. Cap. VIII. verſ. 15.

Qui dux tuus fuit in deſerto magno & horribili, (in quo fuerunt) ſerpentes urentes, ſcorpiones, & ſiccitas absque ulla Aqua —

Et ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio ac dipſas, & nullæ omnino aquæ —

De נָחָשׁ שָׂרָף *Serpente urente*, egimus ad Num. XXI. 9.

Sequitur עַקְרָב *akrab*, *Scorpio*, *Scorpius*, Animal, vi vocis, μακρόκεντρον, magnum habens aculeum, quaſi עקץ רב *akats rab*, à quo & Græci mutuati videntur ſuum σκορπίος, cum προςθέσει τȣ σῖγμα. רב *rab* autem *magnum* ſonat, & עָקַץ *akats pungere.* Seruarunt hanc vocem Arabes. In *Meninzkii Lexico* legas pro Scorpione *ækreb.* p. 3256. 3291. Plur. *ækarib. ukruban.* p. 3297. Scorpio mas, animal longipes aliâ quàm Scorpionis caudâ præditum. Deſcriptio Animalis hujus extat in *Swammerdam Hiſt. Inſect.* p. 144. Contracta partim, partim ampliata, hæc eſt. Caput Thoraci quaſi continuo nexu adnatum. In medio Thorace, ſeu potius capite, adſunt bini oculi, & in excurſu ad anteriora denuo utrinque bini, ſub quibus erumpunt binæ chelæ ſeu forficulæ. Thoraci ſunt adnati octo pedes, unde & ὀκτώπȣς κατ' ἐξοχὴν cluet *Heſychio*, & Prouerbium, ὀκτώποδα ἀνεγείρειν, *Scorpium excitare.* Pedes hi pilis hinc inde ſunt obſiti. Ad extremum Thoracem verſus anteriora prominet par Chelarum majus, quatuor articulis diſtinctum. Venter in ſeptem annulos diſpeſcitur, quorum extremus excipitur à cauda, quæ veluti ex ſex vel tribus globulis articulatur, pilis obſita. Horum Globulorum ultimus armatur aculeo. Eſt cauda, & in cauda Aculeus hic formidabilis illa pars, de qua jure dixeris, quod de Pauone *Chryſippus*, τὸ ζῶον γεγονέναι ἕνεκα τῆς Κέρκȣ, *animal propter caudam fuiſſe creatum.* Hinc Locuſtæ illæ vaſtatrices myſticæ Apoc. IX. 10. dicuntur habuiſſe ȣ̓ρὰς ὁμοίας σκορπίοις, καὶ κέντρα ἐν ταῖς ȣ̓ραῖς αὐτῶν, *caudas Scorpionibus ſimiles, & aculeos in caudis ſuis.* Hic Aculeus eſt ſimplex; Scorpiones δικέντρȣς memorat *Ælianus Hiſt.* L. VI. c. 20. & L. XVI. c. 40. Hunc aculeum tenui fiſtula perforatum, quâ venenum effundat, tradit *Plinius* L. XI. c. 37. quem ſecuti *Tertullianus*, *Hieronymus*, *Baſilius in Hexaem. Hom.* 9. ubi aculeum huncce dicit excauaſſe artificem ὥσπερ αὐλὸν, *in fiſtulæ modum. Ælianus* L. IX. c. 4. fiſtulam hanc vocat κολπόδη διπλόην, ſinuoſam duplicitatem. Omnia appoſitè.

Præaugurabantur, oculis nudis uſi, quod hodie vix optima Microſcopia detegunt. Fatentur ingenue hunc oculorum defectum, & tamen rem ipſam ſtatuunt *Scholia in Nicandrum.* Παντὸς δὲ σκορπίȣ τὸ κέντρον τετρημένον ἐςὶν, ἔχον διπλόην τινὰ δυσόρατον διὰ λεπτότητα, δι ἧς τὸν ἰοβόλον ἰχῶρα προΐησιν. *Omnis autem Scorpionis aculeus perforatus eſt, habens fiſtulam quandam, quæ præ tenuitate videri nequit, unde venenoſa ſanies emittitur.* Foramen omne negat contrà *Galenus Loc. Affect.* L. VI. c. 5. Sed omnis *Scorpionis* Aculeum perforatum, & *Africani* quidem triforum teſtantur Obſervationes modernæ Microſcopiales, aſt non in extremitate ſua, verùm ad latus. Videatur poſt *Redium* Celeb. *Vallisnerius Raccolta di vari Trattati* p. 157. Hujusmodi aculeum ſiſtit nudo oculo Fig. A. armato Fig. B. Scorpionem communem naturali magnitudine C. majorem D. ex Indiâ Orientali allatum. De ipſo Scorpionis veneno ejusque effectibus dabitur fortè alibi commodior differendi occaſio.

*Scorpiones* inter Serpentes retulere *Celſus* L. V. c. 27. *Plinius* L. XI. c. 25. Sed nullo jure, ſi Zoographiæ Leges ſpectes. Sunt illi Inſecta, hi Quadrupedum ἀπȣς appendix. Attamen ratione veneni junguntur perſæpe, ut in noſtro Textu, Serpentibus. *Eccleſiaſtic.* XXXIX. 35. *Dentes ferarum, & Scorpiones, ac Gladius exitialem pœnam irrogans impiis. (Beſtiarum dentes, & Scorpii, & Serpentes, & Romphæa vindicans in exterminium impios)* Luc. X. 19. δίδωμι ὑμῖν τὴν ἐξȣσίαν τȣ̃ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων ϗ σκορπίων. Luc. XI. 11. 12. μὴ ἀντὶ ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ; ἢ ϗ ἐὰν αἰτήσῃ ὠὸν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον.

Quin imo in calidioribus Climatibus, quale eſt Deſertum inter Judæam & Ægyptum, in ſocietate viuunt Serpentes ac Scorpiones, repens utrumque Animal. Occurrunt quoque loca, quæ à Scorpionibus nomina ſunt ſortita. In partibus Judææ meridianis, non procul ab extremo Lacu Asphaltite Mons à Scorpionum copia dictus *aſcenſus acrabbim, Scorpionum,* Num. XXXIV. 4. Joſ. XV. 3. Jud. I. 36. fortè & *Acrabatene* Regio Idumææ vicina, 1. Maccab. V. 3. & alia *Acrabatena*, una ex Judææ Toparchiis inter Neapolim & Jerichunta, de qua v. *Reland. Palæſtin.* p. 191. conf. Bochart. Hieroz. P. II. L. IV. c. 29.

Agmen Animantium venenatorum in Textu noſtro memoratorum claudit *Dipſas* ſerpens, viperæ ſimilis, ſed minor, vix dodrantalis, albo corpore, caudâ gracili, duabus lineis nigris inſigni, Arabiæ & Ægypti deſerto familiaris. Claudit, inquam, ſi ſequimur *Hieronymi* verſionem. *Ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & Scorpio, ac dipſas,* צִמָּאוֹן *tſimmaon.* Et ſanè Poloni Dipſadem vocant voce conſimili *Zmijà. Meninzk. Lex.* p. 5548. Accedit quoque Turcarum *Symmet*, Plur. *Symem, Symam.* Serpens mas. Id. p. 2986. Sed multa ſunt, quæ docent, *tſimmaon,* δίψαν potius notare quàm διψάδα, *ſitim, ſiccitatem, ſiticuloſum locum*, ut nos quoque reddimus, *ſiccitas absque ulla Aqua, eine eitele Dürre, und kein Waſſer.* conf. Pſal. CVII. 33. Jeſ. XXXV. 7. Et nobiscum conſentiunt LXX. omnesque alii, præter *Hieronymum* Interpretes. v. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. III. c. 8. Interim ne quid deſit earum rerum, quæ illuſtrando Textui inſeruiunt, Dipſada ſerpentem ſiſtimus Fig. E.

# TAB. CCCXXXIV.

## Deut. Cap. XI. verſ. 10. 11.

| | |
|---|---|
| Quoniam Terra iſta, ad quam tu jam proficiſceris, ut occupes eam, non eſt ſicut Terra Ægypti, de qua egreſſi eſtis, ubi ſeminabas ſemen tuum, & (a) rigabas pedibus tuis quemadmodum hortum olerum.<br>(a) Diſcurrendo ſcil. ac per elices & riuos ex Nilo deriuando. | Terra enim, ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti, ubi jacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: |
| Terra autem iſta, ad quam tu transis, ut eam poſſideas, montes habet & valles, & ex aquis cœleſtibus irrigatur. | Sed montoſa eſt & campeſtris, de cœlo expectans pluuias. |

Locan-



DEUT. Cap. XI. v. 10. 11.
Terra ex omni parte beata.

V. Buch Moſis Cap. XI. v. 10. 11.
Glückſeeligkeit des Heiligen Landes.

*I. G. Pinz sculp.*

RPJCB

Locantur heic veluti in parallelo, ſibique tamen certo ſenſu oppoſitæ binæ Regiones, *Ægyptus* & *Palæſtina:* una, in qua Ars fidelis miniſtra Naturam adjuuat; altera, in qua Natura Arti præcurrit. Utraque DEI donariis clara. In *Ægypto*, præſertim ſuperiori, à Thebis Syenen usque, pluuia eſt perrara. Non pluuio ſupplicat herba Joui. Sed defectum cœleſtis Aquæ ſupplet annuâ irrigatione, quâ cum limo ſuo exundat, *Nilus*. *Seminatur* heic poſt Exundationem *ſemen*, ſed quia Solis ardor humum exiccat, *riganda* haud absque labore *pedibus* manibusque Terra. Aſt cœlitus rigatur *Terra Sancta*, & id præſtat optima DEI Prouidentia, cui omnis Hominum induſtria haud eſſet ſuffena. Quis, quæſo, Aquam portaret humeris ad editiora loca? quis irrigaret paſcua montana? En ſummi benefactoris promiſſa! cujus *oculi ſunt jugiter ſuper Terram* illam, *ab initio Anni ad finem usque* —— *Dabo pluuiam Terræ veſtræ ſuo quoque tempore, pluuiam tempeſtiuam*, autumnalem, & *ſerotinam*, vernam, *ut colligas frumentum tuum, vinum tuum, & oleum tuum; Dabo inſuper herbam in agro tuo pro jumentis tuis, ut & tu comedas & ſatieris* v. 12. 14. 15. *(Oculi illius ſunt à principio anni usque ad finem ejus.* —— *Dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum, fœnumque ex agris ad paſcenda jumenta, & ut ipſi comedatis ac ſaturemini.)*

*Olerum* ſiue *oleraceos* Ægyptiorum *Hortos* ſi oculis mentis introſpicere lubet, non tam repræſentandas nobis habemus *Betas* noſtras & *Braſſicas*, aliaque hujus generis Olera in Hortis noſtris obuia, niſi per ירק *jarak* intelliges omne *Olus* cujuscunque Terræ vel Regionis, quo ſenſu ſumere videntur Interpretes. Si ſpecialius quid deſideres Ægypto proprium & familiare, ſelige mecum *Corchorum ſiue Melochiam* J. B. *Olus Judaicum Auicennæ & Moluchi Arabum Rauwolfio* nuncupatum: *Alexandrinorum cibus* hic cluet *Plinio* L. XXI. c. 32. *conuolutis foliis ad ſimilitudinem Mori* Judæorum, quia cocta folia cum carne edunt, teſte citato *Rauwolfio*. Hanc Plantam optimè & ita deſcribit αὐτόπτης *Alpinus Plant. Ægypt.* c. 28. p. 92. *Melochia eſt Herba Blito perſimilis, folia tamen anguſtiora, longiora, acutioraque habens, flores ejus ſunt parui crocei, leucoris minoribus, è quibus ſemina parua, nigra, Melanthio proxima in quædam obliqua cornua concluſa producuntur.* —— *Facultate planè ſimilis Althææ videtur* —— *In cibis nihil eſt ipſa Ægyptiis familiarius vel gratius: decoquunt enim in aqua vel jure carnium, ut nos Betam elixare ſolemus. Conuiuia carentia Melochiæ ferculis ab his parum reputantur; cibus quidem illis populis eſt familiariſſimus, ex quo multi tamen malè ſe habent, nam parum nutrit, & ſuccum viſcidum gignit*, &c. In Frontiſpicio Tabulæ præſentis hanc Plantam ſiſto, ad marginem autem characteres ex *Tournefortio;* florem nempe roſaceum, ex cujus calyce ſurgit piſtillum, quod abit in fructum cylindri æmulum, quinquecapſularem, quinquefariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtum utplurimùm angulatis. Quibus notis addit laudatiſſimus Botanicus folia alterno ordine in caulium nodis naſcentia. *Inſtitut.* p. 259. Tab. 135.

Addam in hunc Textum nonnulla, quæ ſupra quidem commodius adferenda fuiſſent, Lectori tamen haud futura ingrata, de Regionum, quales fuere *Ægyptus* & *Palæſtina*, & quales hodie ſunt *Belgium* & *Heluetia* differentia. Conſtant planæ, *Belgium* & *Ægyptus*, ex cruſtis craſſis & horizontalibus, nec tam indigent Aquâ cœlitus delapſa, quia Aquæ ſeu marinæ, ſeu fluuiatiles, percommodè duci poſſunt ab Urbe in urbem, à Pago ad pagum, imò paſſim ab una domo ad aliam, ut proin non ſit pratum, non Campus, non Hortus, quæ Aquis indigeant. *Belgii* tamen alia eſt ratio, quam *Ægypti*, alia etiam Aquarum diſpenſatio. Heic inſeruit Nilus non irrigationi duntaxat, ſed & potui, & culinario uſui. Quum ibi contra omnis fere Aqua ſit marina, ſalſa, commoda quidem, percolata prius per Terræ poros nutriendis Plantis, ſed neque ad cibum, neque pro potu; quapropter ſupremi Numinis Prouidentia Belgis majori quidem quàm Ægyptiis copiâ largitur Aquam pluuialem, quam ſtudioſè colligunt in ciſternis. In Terris montoſis, inæqualibus, *Palæſtina* & *Heluetia*, ſunt Terræ ſtrata eleuata, Plana innumeris modis inclinata, ita ut Aqua non ſolùm in Lacubus, Fluminibus ac Riuis, ſed & in ipſa Terra ſolida continuò per poros defluat, & juxta Leges Motus citius tantò, quò magis eſt inclinatum Planum. Hinc prolucet indiſpenſabilis neceſſitas tot Hydrophylaciorum infra- & ſupraterraneorum, è quibus immensâ copiâ ſurgant vapores; tot Lacuum, Fluminum, Riuorum, Fontium; ſed & ratio copioſioris Pluuiæ, quæ, atteſtante propriâ meâ, & aliquot luſtrorum, Experientiâ cadit in Heluetia, quàm in ulla fortè alia Europæ Regione. Unde eſt, quòd aliquot menſium vel etiam ſeptimanarum æſtiua ſiccitas adeò ſit Terræ noſtræ, & Plantis noſtris fatalis. Quæ conſideratio inſigni eſt rurſum prouidentiſſimæ DEI Bonitatis argumento. Ut taceam prærogatiuam, quâ Pluuialis Aqua deſtillata præcellit omnibus aliis, marinis, lacuſtribus, fluuiatilibus, quæ etiam ſunt ponderoſiores, utpote partibus heterogeneis, ſalinis, terreſtribus, impurioribus impregnatæ. Ut omnino de Terra noſtra jure prædicare poſſimus, quod de Canaanitide Moſes v. 12. ad quem porrò obſeruandum, non delabi Aquam vel niuoſam, vel pluuialem, absque ordine, vel menſura, non caſu, numeratas tantùm non & ponderatas eſſe ad Diuinæ Prouidentiæ lancem omnes guttulas, per totum Anni decurſum: cadere majori copiâ tunc Aquas,

ſi iis magis indigeant vegetabilia: & eſt hæc ratio, cur mediâ ſæpe Æſtate diutinam ſiccitatem inſequantur largi Imbres, quos Terra, Terri- & Agricola auidis excipit amplexibus, deſideratos diu.

# TAB. CCCXXXV.

## Deut. Cap. XIV. verſ. 4.

Hoc eſt Pecus, quod comedetis, Bouem, pecudem Ouium, & pecudem Caprarum.

Hoc eſt animal, quod comedere debetis: Bouem, & Ouem, & Capram.

MAnſit Moſes Leuit. XI. 2. 3. in terminis generalibus, nunc verò determinat munda ea Animalia, quæ *ungulam ſeparant, & ungulas fiſſura findunt, ruminationem ſurſum reuocantia*, nempe *Bouem, Pecudem ouium, & pecudem Caprarum*, id eſt, ut Zoologi loqui amamus, Genera Bouinum, Ouinum, & Caprillum.

Superſedere facilè poſſumus heic ampliori Textus explanatione, quia ſupra jam ſatis ſuperque fuit demonſtratum, in quo puritatis & bonitatis conſiſtat ratio: & vel ſolum pabulum, Vegetabilia ex optimis, aliàs ratione fibroſæ ſuæ & tubuloſæ ſtructuræ corpori noſtro adæquatis; Ventriculus quadruplex, optimum excoquens Chylum; Chyli hujus perfectiſſimi commutatio in Carnem ſuam, εὔπεπτον: ipſa tandem quotidiana Experientia, argumenta præbent fortiſſima. Fuere quidem Nationes, quæ ſuperſtitione vel allutæ, vel tractæ, ab eſu Carnis Bouinæ abſtinuere: Induci facilius potuiſſent *Ægyptii* & *Phœnicii*, *Porphyrio* teſte, ut veſcerentur carne Humana potius, quàm Bouina. Idem memorat *Herodotus* de *Barcæis*, *Cyrenæis*, *Africanis* inde ab Ægypto ad *Tritonidem Lacum*. Ex alio principio morte mulctabant *Phryges* eum, qui Bouem aratorem interfeciſſet, teſte *Æliano Hiſt.* L. XII. c. 34. Et expreſſa legitur apud eundem *Var.* L. V. c. 14. *Athenienſium* Lex. Βȣ̃ν ἀρότην κ̀ ὑπὸ ζυγὸν πονήσαντα σὺν ἀρότρῳ, ἢ καὶ σὺν τῇ ἁμάξῃ, μηδὲ τȣ̃τον θύειν, ὅτι καὶ ȣ̃τος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός. *Bouem aratorem, & ſub jugo laborantem cum aratro, vel cum plauſtro, ne mactanto: quia ille etiam eſt agricola, & Hominum in laboribus ſocius.* Et *Plato* L. VI. *de Leg.* ὅτι ȣ̓δὲ βοὸς ἐτολμῶμεν γεύεσθαι, *cum ne bouem quidem guſtare audebamus.* Refert *Ælianus Var.* L. VIII. c. 3. in *Diipoliorum* & *Buphoniorum* Feſtis mactato boue enſem damnatum, tanquam cædis auctorem. Æneâ ætate, teſte *Arato*,

——— πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήριον,
——— Boues aratores primi guſtarunt.

Ad ferream deſcendit *Cicero* L. II. *Nat. Deor.*

Ærea ſed poſtquam proles terris data &c.
Ferrique inuento mens eſt lætata metallo,
Polluit & Taurus menſas aſſuetus aratro.

Apud *Plinium* L. VII. c. 56. *Animal occidit primus Hyperbius Martis filius, Prometheus Bouem.* Et *Pythagoras* ſui ſæculi Homines ab Animalium cæde abſterrens, hoc potiſſimùm urget apud *Ouidium Metam.* L. XV.

Quid meruere Boues, animal ſine fraude, doloque,
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?
Immemor eſt demum (an Diuûm?) nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curui dempto modò pondere aratri,
Ruricolam mactare ſuum, qui trita labore
Illa, quibus toties durum renouauerat annum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.

Neque veteres Romani ab hac ſuperſtitione fuere immunes. *Plin.* L. VIII. c. 45. *Damnatus à populo Romano, die dicta, qui concubino procaci rure omaſum ſe ediſſe negante, occiderat Bouem: actusque in exilium, tanquam colono ſuo interempto.* Et *Columella Præf.* L. VII. de Boue. *Cujus tanta fuit apud Antiquos veneratio, ut tam capitale eſſet Bouem necâſſe, quam ciuem.* His omnibus opponimus expreſſam DEI Legem tum generalem Gen. IX. 3. *Quicquid mouet, quicquid viuit, ſit vobis in eſcam.* Tum ſpecialem noſtri Textus. Ut proin non peccent, qui creaturas ad illum referunt uſum, propter quem à Deo creatæ ſunt. Hæc, & alia, *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. C. 33.

TAB.



DEUT. Cap. XIV. v. 4.
Animalia munda.

V. Buch Moſis Cap. XIV. v. 4.
Reine Thiere.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB

RPJCB



DEUT. Cap. XIV. v. 5. 6.
Ex mundis genus cervinum.

V. Buch Moſis Cap. XIV. v. 5. 6.
Hirſchen-Geſchlechte.

*I. A. Fridrich sculps.*

RPJCB



DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Rupicapra, Ibex, Bubalus.

V. Buch Moſes Cap. XIV. v. 5.
Gems, Steinbock, Büffel.

*I. A. Fridrich sculps.*

RPJCB




DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Monſtrum ex valle Tellina.

V. Buch Moſis Cap. XIV. v. 5.
Mißgeburt von Sondrio.

*I. A. Fridrich sculps.*

RPJCB



DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Tragelaphus, Pygargus.

V. Buch Moſis Cap. XIV. v. 5.
Hirſch = Bock.

*I. A. Fridrich sculps.*

BPJCB




DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Colon.

V. Buch Moſis Cap. XIV. v. 5.
Wilde Schaaf = oder Ziegen = Art.

*I. A. Fridrich sculps.*

RPJCB



DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Urus, Oryx, Alce.

V. Buch Moſis Cap. XIV. v. 5.
Urochs, Elend.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB



DEUT. Cap. XIV. v. 5.
Camelo - pardalis, Tarandus.

V. Bůch Moſis Cap. XIV. v. 5:
Cameel = Pardel, Rennthier.

*I. A. Fridrich sculps.*

# TAB. CCCXXXVI — CCCXLI.

## Deut. Cap. XIV. verſ. 5. 6.

5. Ceruum, Capream, Ibicem, (a) Hircoceruum, (b) Unicornem, Urum & Tarandum.

(a) Alii legunt Bubalum, aut Bouem ſylueſtrem.
(b) Tragelaphum.

6. Et omne Animal, quod ſeparat Ungulam, & findit fiſſuram utriusque ungulæ, ruminationem ſurſum reuocans in pecoribus, hoc comedetis.

5. Ceruum & Capream, Bubalum, Tragelaphum, Pygargum, Otygem, Camelopardalum.

6. Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comedetis.

PErgimus cum Legislatore ad Specialem Animantium mundorum enumerationem.

אַיָּל *aijal, Cerui* nomen eſt Hebræis, Chaldæis, Syris notiſſimum. Æthiopes ſcribunt *chajal.* Ἀιὰλ in Διὰλ mutauit Scribarum imperitia. *Heſychius.* Διὰλ τὴν ἔλαφον χαλδαῖοι. Apud Arabes legas *ijal, igial, ijiel, uijel, eijul, we-yll. Meninzk. Lex.* p 5889. Neque abludunt Perſarum *ahu, ahubere* Hinnulus, pullus Dorcadis. *Id.* p. 573. Polonorum item *Jelen.* Id. p. 2960. Eſum ceruinæ Carnis, tanquam mundæ ſuadent Characteres ratione ſuffulti, ſed quoque Sacri Codicis teſtimonium. Deut. XII. 15. *ex ea, carne, comedent, quemadmodum Capream aut Ceruum.* 22. *ſicut caprea comeditur atque Ceruus, ſic comedes illa;* Sane in quotidiano Solomonis victu 1. Reg. IV. 23. erant *decem boues ſaginati, & viginti boues paſcales, centumque oues, præter ceruos, capreas. (Decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes: excepta venatione ceruorum, caprearum)* Nimirum olim, ut hodie, erant Cerui in Principum deliciis. Et comparat Moſes Deut. ll. cc. teneram atque delicatam quamuis carnem cum ceruina, ut nos vulgari loquendi uſu cum Capone, *es iſt zu eſſen wie Capaunen-Fleiſch.* Non equidem diffitendum, eſſe carnem Ceruinam compactam magis eâ, quæ aliorum eſt Ruminantium biſulcorum, & palmam cedere bouinæ, & ouillæ, imò malè audire Veteribus Medicis: Febres quartanas excitare apud *Auicennam.* L. II. *Can. cap. de Carnibus:* ſuccum generare vitioſum & concoctu difficilem teſte *Galeno* L. III. *de Alim. Facult.* c. 2. & *Aetio Tetrab.* I. Serm. 2. c. 121. ut quoque *Simeon Sethi* damnat τὰ τῶν ἐλάφων κρέατα ut κακόχυμα, δύσπεπτα, ᾗ μελαίνης χολῆς γεννητικά. Ceruos autem in Canaanitide fuiſſe frequentes conſtat vel ex *Æliano,* qui in fine L. V. caput habet ſingulare περὶ τῶν ἐν τοῖς Σύροις ἐλάφων.

Proin Anno ſterili pabulum Ceruis defeciſſe queritur Jeremias XIV. 5. Et in ſacro dramate, cujus ſcena eſt in Judæa, Jeroſolymitanas virgines ſponſa ita compellat. Cant. II. 7. III. 5. *Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per Capreas & Ceruos Agri;* unde conſtat, deſcendiſſe aliquando ex montibus editioribus ad campeſtria loca. conf. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. III. c. 17. *Peyer. de Anim. Ruminant.* p. 32. 274.

צְבִי *tſebi, Dorcas, Caprea,* eaque mas. Chaldæis טביא *tabia,* Arabibus *dſabi, zæbi* comm. gen. Plur. pauc. *æzbi* Pl. mult. *zyba, zubi, zæbejat,* fœmina *zæbjet. Meninzk. Lex.* 3168. Ita quoque Chaldæi Fœmininum dant טביתא *tabietha, tabitha.* Hinc *Tabitha* puellæ nomen à Luca Græcè redditur Δορκάς. Act. IX. 36. Ipſum autem Hebræum nomen צְבִי proprie *decus* ſonat; decorum nempe & venuſtum eſt Animal Caprea, fuitque in deliciis apud veteres. *Martialis:*

Delicium paruo donabis dorcada nato.

Melioris notæ Capreæ caro, de qua jam ſupra occaſione Ceruinæ, apud veteres Medicos, quàm illa Cerui. Arabibus cluet venaticarum ſaluberrima. *Simeon Sethi.* τὰ τῶν δορκάδων κρέατα εὐχυμώτερά ἐςι τῶν λοιπῶν ἀγρίων ζώων, καὶ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον σῶμα ἔχει οἰκείωσιν. *Caprearum carnes melioris ſucci ſunt, quàm cæterorum agreſtium Animalium, & ad humanum corpus ſunt magis accommodatæ.* conf. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 25.

יַחְמוּר *jachmur* Animal pertinet certò ad Ceruinum genus, vel Caprinum. LXX. habent βέβαλος, *Bos ſylueſtris,* quem & in Gloſſis marginalibus indicat Latina noſtra. Et ipſi Arabes moderni *gamur* vocant Bubalum. *Meninzk. Lex.* 3854. Item *giamus,* Plur. *gewamis,* à Perſico *gawmis* Id. 1563. 2959. Sed obſeruandum, ne quid derogetur vel Ceruis, vel Capris, fuiſſe

βέβαλον eo tempore, quo vixere LXX. capræ genus, vel Capreæ, quam *Heſychius* vocat δορκάδιον. Conſtat id ex optimis Scriptoribus Græcis *Herodoto*, *Ariſtotele*, *Strabone*, *Æliano*, apud quos βέβαλοι, vel βεβαλίδες inuenias ſocios τῶν ἐλάφων & δορκάδων. Magnitudinem *Oppianus* mediam ſtatuit inter Ceruum eurycerota & Capream.

Βέβαλος ἄυτε πέλει μείων δέμας ἐυρυκέρωτος,
Μείων ἐυρυκέρωτος, ἄταρ δόρκε μέγ' ἀρείων.

Bubalus rurſus corpore minor eſt eurycerote,
Minor eurycerote, at capreâ multò præſtantior.

Quomodo vero Bubali vox ex genere Ceruino migrauerit ad Bouinum, errore vulgi, docuit jam olim *Plinius* L. VIII. c. 15. Sunt, qui ex noſtro *Jachamur* fabricant *Onagrum*, haud dubie propter affinitatem cum חֲמוֹר *Chamor*, quæ vox *Aſinum* notat. Et Arabibus, *Golio* interprete *Jæhmur* Animal eſt bicorne in ſyluis degens haud diſſimile Ceruo, at eo velocior, Onager ſiue Aſinus ſilveſter. Sed directè hæc de Onagro interpretatio contrariatur Scripturæ Sacræ, nam hoc Animal neque ruminat, neque biſulcum eſt, per conſequens immundis accenſendum. Originem vocum יַחְמוּר *jachmur* & חָמוֹר *chamor* ſi deriues à חָמַר *chamar*, *rubere*, erit noſtrum *jachmur capra* vel *caprea* rubris donata pilis: Characterem hunc habet *Cemas* apud *Ælianum* L. XIV. c. 14. Κέμας δραμεῖν ὠκίςη θυέλλης δίκην, ἰδεῖν δὲ ἄρα πυῤῥόθριξ ϗ λασιωτάτη. *Cemas inſtar turbinis curſus eſt citiſſimi, ſpeciem quod attinet pilis rufis, & perquam hirſuta.* Quod Animal nomine & re conuenit *Rupicapræ*, quam Germani vocamus *Gems*, Galli *Chamois*, Itali *Camuzzo* & *Camoſcia*. Eſt quippe hæc pilis rufis, & hirſuta, præſertim Æſtate. Noſtra ſanè Tigurina vernacula *jachmur* explicat per *Gems*. Sed obſtant *Bocharto* Cornua, quæ *Æliano* ſunt ἀντία. Verùm hic ipſe Character militat potius pro Rupicapris, quàm contra eas, ſunt quippe harum Cornua reuerà ἀντία, in contrarium verſa, retrò verſa, ſitui aliorum Cornuum aduerſa. In auxilium vocat *Bochartus* Arabes Scriptores *Damirem* & *Alkazuinum*, quorum teſtimonio *Jachmur* vel *Jamur* degit circa Euphratem, rufipile, formâ Ceruo ſimile, ſed celerius, ſerratis cornibus, quibus mediantibus non ſolùm decorticet Arbores, ſed has ipſas reſecet. His circumſtantiis Ἀνθόλοψ deſcribitur apud *Euſtathium in Hexaemeron.* p. 36. quæ verò ſuſpectæ ſunt fidei, quia de hujuſmodi Animalibus Truncos Arborum reſecantibus nil norunt moderni Rerum naturalium Scriptores. Serrata cornua conuenirent haud malè *Ibici*, quam habet Latina noſtra, & Arabs quidam *Ibno-Saida*. Ex quibus omnibus id elici poteſt eſſe *Jachmur* vel *Rupicapram*, quam habet vernacula noſtra, vel *Ibicem*, quam Latina.

Sequitur אַקּוֹ *akko* Animal ex mundis, certe non, quod quidem ſomniarunt duo Rabbini, Mardocheus & Pomarius, ad Aues pertinet, ſed ad Quadrupeda ruminantia biſulca: LXX. Vulgata, Latina noſtra Verſio habent τραγέλαφος, *Hircoceruus*, Animal ex fabuloſis, vel certè monſtroſis; Hujuſmodi Monſtra producit aliquando Heluetia noſtra montoſa, ubi accidit, ut Cerui Veneris Oeſtro perciti cum Vaccis coeant. Hujuſmodi monſtra, quæ ab anteriore parte Vitulum, à poſteriore Ceruum referunt, vidit *Regina* montium loco dicto *Ober Ebnit*, qui ad *Meggenſes* pertinet, A. 1649. *Mons Pilati* Lucernatum, A. 1653. *Entlibuchana* Regio, item Pagus *Benken* in *Valle Limoſa* A. 1606. teſte *Groſſio Annal. Baſil.* p. 234. *Sancto Gallum*, A. 1684. *Mons Tigurinus* A. 1688. teſte *Wagnero Hiſt. Nat. Helv.* p. 188. Et ſingulare commemoratione dignum atque peculiari Monſtri μοσχο-λαγω-αἰγαγρο-πρόβατο-κύνε Epitheto, *Sondrii* in *Valle Tellina* Calendis Januarii 1711. genitum à *Vacca*, cujus proin potiores partes ſunt *vituli*, caput formâ fere *Cuniculi* vel *Leporis* utrinque ad Latus binos habuit acutos dentes prominulos, tam in ſuperiori quàm inferiori maxillâ: Aures acutæ: Capiti adjacebat poſtica pars corporis cum caudâ: bini pedes poſteriores *Rupicapræ* ſimiles: infra caput propendebat pes alius Rupicapræ: Corporis ipſius Pili ab anteriore parte erant *vitulini* à poſtica *ouilli* teneri: Ex corporis latere prodibat pes *caninus*: Prope caudam, quæ ipſa fuit *canina*, aperiebatur aluus. Deſcriptionem hanc do, ut & Iconem, quam utramque feci ἀυτόπτης. Ab Hircoceruo tranſit vernacula noſtra Verſio ad *Ibicem*, ſecuta Syriacam, Chaldaicam & Arabicam. *Kimchi* vocat *Hircum ſilueſtrem*: Italis placet *Rupicapra*. Omnes in eo conſentiunt, eſſe *Hirci* cujuſdam feri ſiue ſilueſtris ſpeciem. Et conjectare licet, intelligi poſſe *Capras* illas Orientales, quas incolæ edomare nôrunt, ut etiam iis inequitare poſſint. Hujuſmodi Capras reperias circa *Damiatam* Palæſtinæ: vocantur *Capræ Indicæ*, & ab Ægyptiis *Capræ Mambrinæ* à Monte *Mambre* prope *Hebron*. Habent eæ, teſte *Ariſtotele Hiſt. An.* L. VIII. c. 28. ὦτα σπιθαμῆς ϗ παλαιςῆς, *aures ſpithamæas.* Hujuſmodi Capris inequitare ſolebant pueri in Circenſibus Ludis, de quibus ita *Antholog.* L. I. c. 33. *Epigr.* 28.

Ἡνία δή τοι παῖδες ἔνι, τράγε, φοινικόεντα
Θέντες, ϗ λασίῳ φιμὰ περὶ ςόματι,
Ἵππια παιδεύεσι θεῦ περὶ ναὸν ἄεθλα,
Ὄφρ' ἀυτὲς φορέῃς ἤπια τερπομένες.

Purpureas habenas, o Hirce, pueri tibi
Imponentes, & capiſtrum circa os hirſutum
Prope Dei Templum ludunt equeſtria certamina,
Ut ipſos portes blandè exhilaratos.

Inſer-

Inſeruiebant hujusmodi Hirci pueris in Arte equitandi initiandis. Quò pertinet illud *Juuenalis* Sat. V.

Qui tegitur parmâ & galeâ, metuensque flagelli,
Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.

Apud Arabem quendam Scriptorem occurrit *anak* pro *Capra*, vox *akko* noſtro affinis; & adhuc hodie Arabes Capram appellant *ænak*. *Meninzk. Lex.* 3335.

Propius, & nomine, אַקּוֹ noſtro accedit Quadrupes fera Tartaris *akkyk albo Vwana*, à Turcis *akoim* dicta, *Colon* aliàs appellata, apud *Scythas* & *Sarmatas* gregatim obuia, inter Ceruum & Arietem media, albicante corpore, carnis ſuauiſſimæ, cujus Cornu à Libero Barone *Joh. Bonar de Balice* noſtro *Conrado Geſſnero* miſſum, & in *Iconib. Quadrup. ferar.* p. 40. deſcripto inter rariora mei Muſei poſſideo.

Difficilius fortè conjectu, quid ſit דִּישֹׁן *Diſchon.* LXX. habent πύγαργος, quæ vox *Aquilam* notat caudâ albâ præditam, ſed quoque Animal quadrupes, quod ex *Herodoto*, *Æliano*, *Plinio* conſtat. Bellonius in ſuis *Obſeruationibus* baptizat id nomine *Tragelaphi*. *Tragelaphus*, inquit, *quoad pilos Ibicem refert, ſed barbâ caret. Cornua ei caprinis ſimilia, ſed aliquantò retorta, ſicut Arieti &c. Crura ejus albicant, ouillis ſimilia. Cauda nigra; coxæ ſub cauda albæ ſunt. Pili armorum & pectoris longi & nigri ſunt, cum duabus maculis cinereis utrinque ad ilia.* Hinc eſt, quod πύγαργος dicatur *natibus albus*, & דישן nomen habeat à דשן cinis. Etiam ad דישן referri poteſt *Ceruus* ille apud *Geſſnerum* & *Agricolam*, qui à ſemiuſti Ligni colore *Brand Hirtz* dicitur, niger colore, ſed dorſo cinereo. Hebræo *Diſon* affine eſt Chaldæorum דיצא *ditſa*, quòd *Rupicapram* denotat, Laconum δίζα, quæ vox *Capram* ſignificat apud *Heſychium*, Arabum *debſa*, capra rubro-nigra. Sed *Arias* ex *Diſon* fabricat *biſon*, qui ad genus Bouinum ſpectat. Tigurinis Verſionibus placet *Unicornu*, *Einhorn*, poſt Chaldaicam: In *Meninzkii Lex.* p. 807. legas pro Capra *Diſi Keci* Turcicum, & p. 1505. *teiſa* Arabicum vocabulum pro Capra hirceſcente, quæ Cornua oſtendit velut Hirci.

Sequitur תְּאוֹ *Theo* vel Tho תואו, LXX. ὄρυξ, ut & *Hieronymo*. Sunt ex Chaldæis & Arabibus, qui inde faciunt Boum ferorum genus, uti & nos in utraque Verſione *Urum*, *Urochs*. Suffragia ſua dat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 28. Græcorum ὄρυγι, quæ genus eſt Ceruorum grandium, aliquando unicorne. Eſt namque *Theo* heic loci in ſiccitate aliorum Animantium ex genere Ceruino vel Caprino: *Uri* aliique Boues feri Regionum potius frigidarum ſeptentrionalium, quàm Judææ incolæ: Imò Bubalus aliique ex feris bobus excluduntur menſis. Et Jeſ. LI. 20. legitur de hoc Animali, *reti implexum* capi, id quod Bobus feris non quadrat. Orygis Icon, quàm exhibet *Jonſton. Quadrup.* p. 86. Tab. XXXVI. eſt *Alces*.

Ultimum noſtri Verſus & Textus Animal mundum eſt זֶמֶר *zemer*, quod LXX. *Hieronymus*, & plerique Interpretes, multæque Verſiones dant per *Camelopardalim*, quæ Arabum eſt *zurapha*, *zerafet*, *zürafet*, Plur. *zerafi*, & *zeraif*, Turcarum *ſürnapa*, *zürnapa*, *zürnepa*, unde & Hiſpanorum *Girafa Meninzk. Lex.* 2438. 2443. 2484. Quæ Interpretatio dubios reddit Arabes atque Judæos circa carnis, an Lege permiſſa ſit, dura aliàs & δύσπεπτος, uſum. Aſt rejicit *Bochartus Camelopardalim*, quia neque Arabiæ neque Palæſtinæ ſit inquilina, ſed quidem Nubiæ & Æthiopiæ incola, propterea Europæis diu ignota. De ea nîl prorſus habet *Ariſtoteles*. Græcorum primus, qui eam deſcripſerit, eſt *Agatharchides*, qui vixit ſub Ptolemæo VI. *Philometore*. Romæ ante Cæſaris tempora Beſtia hæc non viſa. Unde inferre licet, non ignotam fuiſſe duntaxat Moſis tempore, ſed & Alexandri, qui Moſe poſterior eſt Annis 1200. Quapropter recurrit Zoographus noſter inſignis ad genus Ceruinum vel Caprinum, ſeligens *Rupicapram*. Binæ noſtræ Verſiones volunt *Tarandum*, *das Ellend*. Eſt ſanè *Alce*, de qua integrum ſcripſit Tractatum *Heinſius*, & Diſſertationem eruditam Inauguralem diſcipulus quondam meus, & optimus amicus *Joh. Fridericus Leopold* Lubecenſis νῦν ἐν ἁγίοις, Animal ruminans & biſulcum. Sed quoque eosdem characteres habet diuerſus ab Alce *Tarandus*, *Scythicus* ille, *Ceruus palmatus Geſſnero* dictus, *Renn-Thier*, *Rein*, *Reen*, *Reyner*, *Rainger*, *Reins Thier*, Polonis *Renſcheron* dictus, in Norwegia, aliisque Prouinciis Septentrionalibus frequens, qui ipſe gaudet cognomine *Sürnapa*, & *Giraffa* in *Meninzk. Lex.* p. 2602. aliâs *Rangifer*.

In Tabulis explicationi Textus inſeruientibus eſt

Tab. 336.
- A. Ceruus.
- B. Caprea.

Tab. 337.
- C. Rupicapra.
- D. Ibex.
- E. Bubalus.

Tab. 338.
- F. Monſtrum ex Valle Tellina ſupra deſcriptum.

*Fonteiæ* Familiæ Numus, in cujus prona Caput Vejouis laureatum, ſub quo Fulmen, in auerſa puerulus alatus inſidens Capræ, Vejoui in Sacrificium datæ, in vertice pilei Dioſcurorum Aſtris inſigniti, in imo acroſtolium trifidum. *Vaillant. Fam. Rom.* p. 450. Tab. CCLXXVII.

G. *Ennæ* urbis Siculæ Numus apud *Parutam* T. LXXX. n. 1. in cujus prona parte Cereris ΔΑΜΑΤΗΡ dictæ Caput, ab altera Animal ex Caprino ſimul & Ceruino genere, fortè *Hippelaphus*, *Tragelaphus*, vel *Pygargus*, vel *Dama* ſeu *Gazella*, v. *Spanhem. Præſt. Numiſm. Diſſ.* III. p. 156.

H. Himeræ urbis Siculæ Numus, in cujus una juuenis inſidens *Capræ* cum prolixo cornu in tergum reflexo, aure longa & demiſſa, fortè *Mambrinæ* vel *Indicæ* de qua ſupra. altera victoria in *Spanhem. Lib. cit.* p. 158.

Tab. 339.

I. Typus fere idem.

K. *Tragelaphus.*

L. *Pygargus.*

Tab. 340. a.

M. *Colon*, Capræ vel Ouis feræ genus ex Tartaria; & ad marginem *Cornu.*

Tab. 340. b.

N. *Urus.*

O. *Oryx*, ſiue ejus loco *Alce.* Tab. cit.

Tab. 341.

P. *Camelopardalis.*

Q. *Tarandus. Renntbier.*

# TAB. CCCXLII.

## Deut. Cap. XIV. verſ. 13.

Vultur, Pica & Miluus juxta ſpeciem ſuam.

Ixon, & Vulturem ac Miluum juxta genus ſuum.

TRes heic occurrunt ex impuris Aues אַיָּה, רָאָה & דַּיָּה, quarum binas priores expoſui ad Leuit. XI. 14. ut tertia duntaxat ſuperſit דַּיָּה *dajah*, per quam *Hieronymus*, Arabes, alii, intelligunt *Miluum*, *den Weihe*, ut & Latina noſtra, ac ſi eadem foret Auis, quæ in Leuitico vocatur דָּאָה *daah.* Sed oſtenſum fuit ſupra דָּאָה in Leuitico, & רָאָה in Deuteronomio eodem gaudere ſignificatu, & videt nemo non, in Textu præſenti diſtinctas eſſe דַּיָּה & רָאָה Aues. Angli, Itali, & ipſa noſtra Vernacula, ſubſcribentibus *Bocharto*, R. *Selomone*, *Caſtalione*, *Schindlero* דַּיָּה explicant per *Vulturem.* Argumentum petit *Bochartus* ex Jeſ. XXXIV. 15. ubi hæ Aues exprimuntur in plurali דַּיּוֹת *dajoth*, ſolæ autem ex rapacibus Vultures gregatim volent, teſtibus Rei Naturalis Scriptoribus. Et *Vultur* quidem *nigra* placet *Bocharto*, memorata quoque *Juuenali Sat.* 13.

——— nec ſaxum, aut Vulturis atri
Pœna.

*Senecæ* item in *Thyeſte* de *Tityo.*

Viſceribus atras paſcit effoſſis aues.

*Boch. Hieroz.* P. II. L. II. c. 9. p. 195.

In hac Tabula exhibet

Fig. A. Vulturem cinereum.

Fig. B. Vulturem aureum.

Nigri coloris eſt *Vultur Braſilienſis Urubu* dictus *Marcgrauio*, Belgis, *Menſchen-eeter*, *Tzopilote* Mexicanis Fr. *Ximenis* ſiue Aura *Niemberg. Vultur Gallinæ Africanæ facie.* Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica.* Vol. II. p. 294. Tab. 254. Fig. C.

Poſſem heic inferere Anatomen *Vulturis Bætici* d. 25. Jan. 1726. ex Baronatu Alto-Saxenſi mihi allati, ſed eam in aliam commodiorem occaſionem reſeruo, caput duntaxat exhibens Fig. D. & ex Deſcriptione ea, quæ circa Ventriculi ſtructuram obſeruaui, quæue immundas Aues diſtinguunt à mundis. *Gula* inde ab Ore ad usque Ventriculum eſt ampla valde, imò Ventriculus ipſe totus unà cum Gula una videtur eſſe Gula, quæ inflata ſupra Ventriculum in diametro habet 4. pollices. Diſtinguenda nihilominus ſunt *Gula*, *Ingluuies* & *Ventriculus.* Hic præter figuram ſuam ordinariam ventricoſam ſiue utricularem membranoſam (qualem & habent aliæ Aues carniuoræ) fibras habet circulares fortes, muſculoſas, Orificium ſuperius vel nullum, vel ejusdem cum ipſa Ingluuie amplitudinis & latitudinis. Ingluuiei ipſius longitudo ſeſe extendit ad 4. pollices circiter. Hæc obſeſſa copioſiſſimis Glandulis, ordinata ſerie transuerſim poſitis, ſubtiliſſimis vaſis, quæ ſub Microſcopio viſuntur, irrigatis, ex quibus copioſus extillat humor digeſtioni ciborum crudorum deglutitorum neceſſarius. Adſunt prætereà fibræ circulares validiſſimæ, quæ ipſæ etiam egregiè conſpiciuntur in Gula, ſed tenuiores hic longè & ſubtiliores. Sunt porrò obſervandæ duæ Valuulæ, major una ad ingreſſum Stomachi, minor altera ante egreſſum.

TAB.





DEUT. Cap. XIV. v. 13.
Vultures.

V. Buch Moſis Cap. XIV. v. 13.
Geyer.

I. A. Fridrich sculps.

RPJCB

RPJCB




DEUT. Cap. XVIII. v. 3.
Donaria pro Sacerdotibus.

V. Buch Moſis Cap. XVIII. v. 3.
Das Recht der Prieſter.

*I. G. Pintz sculps.*

# TAB. CCCXLIII.

## Deut. Cap. XVIII. verſ. 3.

Porrò jus Sacerdotum, quod eis à populo, nempe ab his, qui ſacrificant ſacrificia, ſiue Bos ſit, ſiue pecus, debetur, hoc eſt, dabunt ſacerdoti armum, & utramque Maxillam, atque Ventriculum.

Hoc erit judicium ſacerdotum à populo, & ab his, qui offerunt victimas: ſiue bouem, ſiue ouem immolauerint, dabunt ſacerdoti armum ac ventriculum.

EXponenda heic veniunt dona gratuita, quæ ad Sacerdotes jure deuoluebantur ab Iſraelitis ſacrificia DOMINO oblaturis, vel *pecudem mactaturis*, ut *Clericus* vertit זֹבְחֵי הַזֶּבַח. Ut hodie ad Paſtorum ædes aduolare ſolent Pernæ, aliæue pecudum mactatarum partes.

הַזְּרֹעַ *Zeroa* eſt *Humerus*, *armus*, crus eſt integrum anterius, unâ cum Scapula, & Muſculis incumbentibus. A.

הַלְּחָיַיִם *utramque maxillam*, id eſt, caput integrum, quod duabus maxillis conſtat. B.

קֵבָה *Kebah* non eodem ſenſu ſumitur ab omnibus. LXX. *Philo* & *Joſephus* vertunt per ἔνυςρον, ἤνυςρον, ſed notat hoc vocabulum non omnem ſeu totum, quadruplicem Ventriculum, ſed quartum duntaxat, Gallis *Caillette*, Italis *Quaglio* dictum, quod ibi Lac in coagulum abeat, Germanis nobis *der Mägen*. Hoc ſenſu ſumit ἤνυςρον *Ariſtoteles Hiſt. An.* L. II. c. 17. cujus origo eſt ab ἤνυσε, *perfecit*, *abſolvit*, quia coctio in ultimo hoc ventriculo perficitur. Sunt, qui per ἤνυςρον intelligunt potius primum ſeu maximum Ventriculum, *der Wanſt* dictum, quo vocabulo utitur & noſtra Verſio vernacula. Ita ἔνυςρον *Heſychio* eſt τὸ μέγα ἔντερον τῶν ζώων, ἡ κοιλία, item ἡ πρώτη κοιλία τῶν μηρυκαζομένων ζώων: ita quoque *Nicandri Scholiaſtes* ad *Theriaca* v. 579. Seu primus ſit ἤνυςρον ex Ventriculis, ſeu poſtremus, patet id ſaltem ex Veteribus Scriptoribus, numeratum fuiſſe inter delicatiores Corporis partes. *Ariſtophanes* in *Equitibus* *Act.* I. *Scen.* 3.

Ἐγὼ δὲ γ' ἤνυςρον βοὸς, καὶ κοιλίαν ὑείαν καλαβροχθήσας.

Ego verò cum enyſtrum Bouis, & Ventrem porcinum deglutiuero.

Et *Act.* 4. *Scen.* I.

Καὶ χόλικος, ἠνύςρε τε καὶ γαςρὸς τόμον.

Et viſceris, & enyſtri, & ventris tomaculum.

Fig. C. exhibet Ventriculos ruminantium apertos.

# TAB. CCCXLIV – CCCXLVI.

## Deut. Cap. XVIII. verſ. 10. 11.

Non inueniatur in te, qui traducat filium ſuum, aut filiam ſuam per Ignem: nec diuinus, qui diuinando futura prædicit, nec Mathematicus, nec veneficus, nec maleficus,

Nec incantator, nec conſulens Pythonem, nec Magus, nec à mortuis ſciſcitans.

Nec inueniatur in te, qui illuſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria: nec ſit maleficus,

Nec incantator, neque qui pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem.

Bellam ecce Societatem, ſub Satanæ ſignis militantem! *Molochitas* aliis linquo, de reliquis pauca dicturus, qui ex peccaminoſo res futuras præſciendi deſiderio, Satanâ ductore, in arcana DEI inuolare ſibi audacter præſumunt. Quæ fraudis plena Ars jam olim in Orientalibus illis Regionibus frequens fuit, & eſt adhucdum, ut paucos reperias inter Perſas, Mogoliſtas, Indos, qui ante ſuſcipiant res agendas, quam μάντην ſiue Aſtrologum conſuluerint. Et utinam Zizania hæc exularent ex hortis & agris Chriſtianorum! Quid enim, dic ſodes, aliud ſunt in Calendariis, publicâ licet authoritate ſancitis, obuia de Pace, Bello, Principum Morte, Rerumpublicarum Fatis Prognoſtica, Regulæ obſeruari ſolitæ circa Venæſectionem, Scarificationem, Unguium præciſionem, & hujus furfuris alia, aliud quàm Diuinationes, Auguria, toties in Sacro Codice, & ſub Anathematis pœnâ prohibita? *Abominatur enim* DOMINUS, *quicunque iſta facit, & ob iſtas abominationes excindit eos* DOMINUS DEUS *tuus ante te* v. 12. *(Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiusmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo)* Videamus hos magno oris rictu vel promittentes, vel minantes, ſuadentes, diſſuadentes, eâ, quam Textus præſcribit, ſerie.

קֹסֵם קְסָמִים *Koſem Keſamim*, LXX. μαντευόμενος μαντείαν, Vulgata, qui *ſciſcitatur hariolos;* propriè & juxta Textum Originalem *diuinans diuinationes;* Clericus, *qui diuinationibus utitur:* Latina noſtra, *diuinus, qui diuinando futura prædicit;* Vernacula, *ein Weiſſager.* Quibus terminis intelligere poſſumus vel peculiare quoddam Diuinationis genus, vel in genere Diuinatorem omnem, qui juxta regulas illicitas in Satanæ ſchola edoctas futura prognoſticari prætendit.

מְעוֹנֵן *meonen* haud dubiè deriuandum à עַיִן *ain, oculus*, vel עוּן *un, videre*, & eminus quidem, notatque dubio procul Aſtrologos ſiue Aſtromantas ἀστρομαντέας, qui ex Aſtrorum ſitu & Aſpectibus, conjunctionibus, oppoſitionibus res futuras contingentes prædicunt: malum Orienti inde ab antiquiſſimis temporibus endemium, & hodie tantùm non neceſſarium, ut Perſarum e. g. Monarchæ facilius foret fortè Statuta Imperii ſubruere, quàm hujus farinæ homines, Regis & ſubditorum emunctores, Aulâ abdicare. Ab *Ægyptiis* doloſæ Artis origo arceſſenda, ſi *Herodotum* audimus L. II. c. 82. Καὶ τάδε ἄλλα Αἰγυπτίοισί ἐστιν ἐξευρημένα μείς τε καὶ ἡμέρη ἑκάστη θεῶν ὅτευ ἐστὶ, καὶ τῇ ἕκαστος ἡμέρῃ γενόμενος, ὁτέοισι ἐγκυρήσει, καὶ ὅκως τελευτήσει, καὶ ὁκοῖός τις ἔσται. *Excogitarunt & alia Ægyptii, quis menſis diesue Deorum ſit, quid huic illiue hoc illoue die genito contingere debeat, quis qualisue ſit futurus, quis vitæ exitus.* Eſt ipſa hæc ſcientia, ſi quæ eſt, à qua tam ſeriò populum ſuum dehortatur DEUS per Prophetam Jer. X. 2. *Viam Gentium ne diſcatis, & à Cœli ſignis ne formidetis, nam Gentes ab illis formidant. (Juxta vias Gentium nolite diſcedere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes.)* Hujus farinæ, furfuris potius, homines vernacula noſtra appellat *Tagwehler*, quia certos dies, imò horas & minuta pro his illisue rebus agendis ſeligunt: aliis audiunt *præſtigiatores:* Latina noſtra habet, *Mathematici.* Sed diſtinguendi ſunt probè *Mathematici* à *Mathematicis*, ut *Auſonii Morelli* nomine *doctos à doctis* in *trutina Maceratæ* A. 1665. edita diſtinxit *Dan. Guil. Mollerus*, Eruditionis perraræ Prof. Altorffinus, quem aliquando audiui in Diſputatione publica Aduerſarium eludentem diſtinctione *inter me & te.* Sunt *Mathematici* proprio & genuino, qui in Scholis Veterum Græcorum obtinuit, ſenſu, & qui obtinet adhuc hodie, ii, qui ſeſe applicant Scientiis nobiliſſimis, certiſſimis, veriſſimis, quæ verſantur circa numeros, menſuras, Pondera, Arithmeticæ, Geometriæ, aliis, quæ his

inædi-



DEUT. Cap. XVIII. v. 10. 11.
Αϛρομάνται.

V. Buch Moſis Cap. XVIII. v. 10. 11.
Stern = Gucker.

*G. D. Heüman sculp.*

JCB




DEUT. Cap. XVIII. v. 10.
Augures.

V. Buch Moſis Cap. XVIII. v. 10.
Vogel-Wahrſager.

G. D. Heüman sculp.

JCB



DEUT. Cap. XVIII. v. 11.
Incantatores. Malefici.

V. Buch Moſis Cap. XVIII. v. 11.
Zauberer, Beſchwörer.

*I. I. Wagner sculp.*

RPJCB

inædificantur fulcris, Matheſeos partibus, ad DEI Gloriam, & Societatis humanæ Uſus multiuarios: eæ Scientiæ, quæ *Platoni VII. de Rep.* inſigniuntur juſtiſſimo titulo προπαιδείας, τῆς κατὰ παίδευσιν ὁδȣ̃, præinformationis, viæ ad Eruditionem: quæ Xenocrati vocantur λαβαὶ τῆς φιλοσοφίας, anſa Philoſophiæ, *Proclo* κινητικαὶ τῆς γνώσεως, καὶ ἐγερτικαὶ τῆς νοήσεως, καὶ καθαρτικαὶ τῆς διανοίας, καὶ ἐκφαντικαὶ τῶν κατ' ȣ̓σίαν ἡμῖν ὑπαρχόντων εἰδῶν, λήθης τε καὶ ἀγνοίας ἀφαιρετικαὶ, καὶ ἀπολυτικαὶ τῶν ἐκ τῆς ἀλογίας δεσμῶν, quia nempe præ aliis ſcientiis viam ſternunt ad ſolidam Eruditionem, animum excitant, Rationem purgant, præjudicia euerrunt, obſcura explanant, intricata euoluunt, Obliuionem & Ignorantiam fugant, ab errorum vinculis ſoluunt. Fuere equidem, in Romana ſpeciatim Republica, qui hocce *Mathematicorum* titulo, aſſumpto per nefas, & furtim, gloriam ſibi quæſiuere, ſed odium generale reportantes *Aſtrologi.* Quo ſenſu, & optimo quidem jure, *Tacitus Hiſt.* I. *Mathematicos* deſcribit ut *genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra ſemper vetabitur, & ſemper retinebitur.* Et nota in *Corpore Juris* Rubrica *de Maleficis & Mathematicis*, ubi Conſtantii Imperatoris Lex ita ſonat: *Nemo aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum, Augurum & Vatum praua confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac Magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò diuinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis noſtris obſequium denegauerit.* Imo verò fuere, juſtiſſimo Senatus Romani Decreto, hi malarum & pernicioſarum artium ſocii exilii pœnâ mulctati teſte *Tacito Annal.* I. De his *Seneca* in ἀποκολοκυνθώσει *Claudiana. Patere Mathematicos aliquando verum dicere, qui illum ex quo Princeps factus eſt omnibus annis, omnibus menſibus efferunt.* Ex *Gellio* L. I. c. 9. euidenter patet, quòd *vulgus Chaldæos* illos Aſtrologos, *Mathematicos dixerit*, *matti matti* titulo digniores. *Mathematicos* bene diſtinxit à *Mathematicis*, qui ſupra Vulgus, imò Oratores, ſapuit *Cicero de Diuinat. Num cenſes*, inquit, *eos, qui diuinare dicuntur, poſſe reſpondere, Sol majorne quàm Terra ſit? an tantus, quantus videatur? Lunaque ſuo lumine, an Sole utatur? Sunt enim ex Mathematicorum, non Ariolorum.* Judicium *Cicerone dignum*, quo Latiniſſimo Scriptore præeunte potuiſſet utique Latina noſtra adhibere titulum potius *Ariolorum*, quàm *Mathematicorum.* Condono autem facile lapſum hunc optimo viro *Leoni Judæ*, qui eo vixit ſeculo, quo Mathematicæ diſciplinæ languebant ſub Aſtrologorum Jugo. Sed condonare vix poſſum modernis miſomathematicis, qui perſuaſiſſimi licet de nobilitate & latiſſimo Mathematicarum Scientiarum uſu, hasce tamen virgulâ perſtringunt cenſoriâ, & atro irreligionis lapillo damnant, videntes meliora, deteriora ſequentes. Condonabit beneuolus Lector hancce digreſſionem, neque tamen expectabit fortiorem Apologiam; optima vina non opus habent ſuſpenſâ ederâ. Sed neque refutatione dignos exiſtimo Pſeudomathematicos illos ἀστρομάντας, irriſione digniores, quorum ſcientia, ſi quæ eſt, nullo vel ſtramineo nixa fulcro, dudum Mathematicarum diſciplinarum foro eſt expulſa. Pergo in Virorum à DEO maledictorum Catalogo.

מְנַחֵשׁ *menacheſch*, *Augur*, οἰωνὸς, *der auf Vögel-Geſchrey achtet*, eſt qui vel ex cantu vel volatu Auium futura prædicere temerè audet, vel in rebus obuiis conſilia impertire. Hoc ſenſu ſumuntur Augures, οἰωνίζοντες Græcis atque Romanis, ſummo apud has Nationes honore habiti. Sed videtur Hebrææ vocis originatio digitum intendere potius ad ὀφιομαντείαν, diuinationem ſiue augurium ex Serpentum occurſu vel flexu. נָחָשׁ *nachaſch* enim notat *Serpentem.* Ita *Calchas* apud *Homerum Iliad.* L. II. Trojani Belli octennem durationem prædixiſſe fertur ex obuio ſerpente, qui octo paſſeres una cum Matre deglutiuit. Ominis res plena erat Romanis, ſerpentem videre in Tecto, vel deciduum ex eo. *Terentius* in *Phormione.*

—— monſtra euenerunt mihi:
Introiit in ædes ater alienus Canis:
Anguis per impluuium decidit de tegulis.
Transuerſus item Serpentis per viam ſitus.

*Horat.* L. III. Od. 27.

Rumpat & Serpens iter inſtitutum,
Si per obliquam ſimilis ſagittæ
Terruit mannos.

Plura de hac re vide in *Bocharti Hieroz.* P. I. L. I. c. 3. Et forſan ab ipſa hac ὀφιομαντεία originem traxit ὀρνιθομαντεία, ὀρνιθοσκοπικὴ, οἰωνισμὸς, exercita quoque Arabibus, Judææ conterminis. Ita *Cicero L. I. de Diuinat. Arabes Auium ſignificationibus plurimum obtemperant, & quod paſtu pecudum maximè utuntur, campos & montes Hyeme & Æſtate peragrantes, propterea facilius cantus Auium & volatus notauerunt.* Et *Philoſtratus* L. I. c. 14. de *Apollonio* in peregrinatione per Arabiam Linguas Brutorum edocto, familiare narrat eſſe Arabibus, ex Auibus veluti viuis oraculis, futura prædicere, τό ὀρνίθιον ἀκȣ́ειν μαντευομένων (Ἀραβίων) ὁπόσα οἱ χρησμοὶ. Simile teſtimonium legas in *Porphyrio de Abſtin. Anim.* L. III.

מְכַשֵּׁף *mekaſcheph* deriuatur à כָּשַׁף *kaſchaph*, *reuelare*, *aperire*, notat proin eum, qui quidpiam occulti reuelat, vel prædicit. LXX. hujus farinæ præſtigiatores vocant Φαρμακȣ̀ς; præſtigias Φάρμακα. Latina noſtra *maleficos*, vernacula *Zauberer*, quia illi ad occultandas frau-

des magicis utebantur geſtibus, verbis, ceremoniis, in ſocietatis humanæ damnum.

חֹבֵר חָבֶר *chober chaber* vi vocis eſt *jungens junctionem, congregans congregationem.* LXX. habent ἐπαείδων ἐπαοιδὴν, Vulgata & Latina noſtra, *Incantator*, vernacula *Beſchweerer.* Hujus commatis Homines Animalia Bruta, Serpentes in ſpecie in certum quendam locum congregare norunt per artes illicitas, & incantamento ſiſtere. Huc pertinet Pſ. LVIII. 6. ubi mentio fit *vocis incantantium, incantatoris artibus Magicis præſtantis. (vocis incantantium & venefici incantantis ſapienter)* R. *Kimchi* in *Lib. Radicum* & ex eo *Michlal Jophi Artem* hanc faciunt duplicem, *magnam* & *paruam;* illâ majora Bruta, hac minora, Serpentes, Scorpiones, congregari volunt. Ad priorem pertinet, quod legimus de electione Regis Afrorum in *Gingira* apud P. Tellez. L. IV. c. 7. *Vem decendo com grandes gritos ſobre o lugar a onde eſta o eleyto, dam logo com elle, & o acham rodeado de Leœns, Tigres, Cobras & Onç'as, que toda eſta guarda, e todos eſſes Corteſãos ali fazem ajuntar com ſeus diabolicos feytic'os.* Si non & hîc fraus quædam ſubeſt.

שֹׁאֵל אוֹב *Shoel ob, interrogans Pythonem, conſulens Pythonem, Wahrſager* vernaculæ noſtræ. Vult *Clericus*, notare אוֹב Genium malum, qui certis Artibus prouocetur & incantetur, ut à mortuis ſciſcitando futura reuelet. Ita Maga illa Endorea vocatur בַּעֲלַת אוֹב *baalath ob, domina ob, habens ob.* Huc pertinet Jeſ. XXIX. 4. *Humilis eris, loquerisque de terra, & de puluere dejecta edes ſermonem tuum, erit enim vox tua velut Pythonis* כְּאוֹב *de terra (loquentis) & de puluere eloquium tuum garriet. (Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium muſſitabit)* Unde patet, prouocatos arte Magica Genios locutos aliquando fuiſſe ex terra, quæ νεκυομαντεία eſt. Conſtat id quoque ex Jeſ. VIII. 19. *Sciſcitamini à Pythonicis* אוֹבוֹת *& diuinis, qui muſſitant & diſſertant. (Quærite à Pythonibus, & à diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis.)* Ubi LXX. pro אוֹבוֹת habent ἐγγαστριμύθους.

יִדְּעֹנִי *Jiddeoni* Verſioni noſtræ eſt *Magus, Zeichendeuter*, aliis *præſcius, ſciolus* à יָדַע *ſcire*, qui proin futura præſcire, atque etiam prædicere ſibi audacter præſumit.

דֹּרֵשׁ אֶל הַמֵּתִים *doreſch el hammethim, à mortuis ſciſcitans, der die Todten fraget*, non tam is eſt, qui ad nutum ſuum habet genium, & hoc internuntio à mortuis futura ſciſcitatur, quàm is, qui mortuos ipſe alloquitur, ab iis arcana ſciſcitaturus. Utriusque ſceleris rea erat illa Endorea.

*Auguratum* apud Romanos conſtat fuiſſe ſummi Pontificatus partem. Hinc in Nummis præſertim Familiarum *Lituus*, ſiue auguralis baculus, adeò frequens. In Exempla ſint

Fig. A. Tab. 345. *Æmiliæ* Familiæ Numus, in cujus prona Caput *Julii Cæſaris* laureatum & velatum cum Lituo ante caput. CAESAR P. M. DIC. TER. in auerſa Caput *Lepidi* nudum.

Fig. B. 345. Alius ejusdem Familiæ, in cujus una Caput *Lepidi* nudum, in auerſa M. LEPIDUS PONT. MAX. III. VIR. R. P. C. cum ſignis Pontificalibus, Lituo, præfericulo, Simpulo & Cultro.

Fig. C. 345. ex *Minucia*, ubi in prona caput Romæ galeatum. ROMA. in auerſa C. AUG. columna ſtriata, ſupra quam Icuncula inter duas figuras ſtantes, quarum dexterior pileum Libertatis, altera Lituum tenet, hinc & inde ſpica.

# TAB. CCCXLVII.

## Deut. Cap. XXII. verſ. 8.

Quum extruis Domum nouam, facias Loricam Tecto tuo, ne ponas Sanguinem in domum tuam, quum quispiam caderet ex ea.

Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus, labente alio, & in præceps ruente.

Attendi heîc meretur, in Architecturæ ciuilis fauorem, Judæorum Tecta, ut ſunt adhuc Orientalium Populorum benè multorum, haud fuiſſe in acumen faſtigiata, ſed plana, ut ſuper iis deambulare potuerint, opus proinde fuerit, circum hæc Tecta circa Loricam extruere muratam, vel ſaltem ambitu clathrato ex Ligno Ferroue munire. Hujusmodi *Peribolum* Textus vocat מַעֲקֶה *maakeh*, LXX. στεφάνην, *coronidem*, Vulgata *murum Tecti*, Latina noſtra *Loricam Tecti*, vernacula *eine Lähne*

*um*



DEUT. Cap. XXII. v. 8.
Tecta Lorica plana defensa.

V. Buch Moſis Cap. XXII. v. 8.
Dächer mit Lehnen verwahrt.

I. G. Pinz sculps.

RPJCB

RPJCB




DEUT. Cap. XXII. v. 9.
Seminandi modi circa vites.

V. Buch Moſis Cap. XXII. v. 9.
Säungs-Arten bey denen Weinreben.

*I. G. Pintz sculps.*

*um das Dach.* Ita intelligi facile poteſt locus Joſ. II. 6. ubi Rahab *exploratores duxiſſe fertur ſurſum ſuper Tectum, abſcondiſſeque ſub cauliculis Lini, qui ſtructi erant ei ſub tecto. (Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat.)* 2. Sam. XI. 2. ubi Dauid *deambulaſſe* dicitur *ſuper tectum domus Regiæ, & vidiſſe de tecto lauantem ſe mulierem.* Matth. X. 27. ὃ εἰς τὸ ὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. Tecta hujusmodi plana, δώματα, *Solaria, cœnacula* nuncupata præualuere noſtris. Transigebant ibi non ſolum horas deambulando, ſed Noctes integras dormiendo: *Conſcendebant ſuper tecta* afflicti, ut Eccleſia Jeſ. XXII. 1. Ita Jerem. XLVIII. 38. *In omnibus tectis Moab, & plateis ejus omnibus planctus, quoniam confregi Moab tanquam vas, cui nulla eſt gratia, dicit* DOMINUS. *(Super omnia tecta Moab, & in plateis ejus omnibus planctus: quoniam contriui Moab ſicut vas inutile, ait* DOMINUS.) Habebat quis, quod conuerſetur cum alio, conuenticuli locus erat Tectum. *Samuel vocauit Saulem ſuper Tectum. (Et locutus eſt Samuel cum Saule in ſolario.)* 1. Sam. IX. 25. Qui hujusmodi tectis inſiſtebant, amœno gaudebant proſpectu. Ita *Claudianus* de *Stiliconis* ingreſſu L. II. *Plebe vias & tecta fuiſſe repleta;* & *Virgilius Æn.* XII.

Inualidosque ſenes turres & tecta domorum
Obſediſſe.

Jer. XIX. 13. de Judæis εἰδωλολάτραις. *Erunt ædes Jeruſalem, & ædes Regum Juda perinde atque locus Topheth, immundæ ſcilicet, cum omnibus domibus, in quarum tectis ſuffitum incenderunt uniuerſæ militiæ cœlorum, libando libamina Diis aliis.* Cujusmodi de Paganis nil legimus. Videntur & tecta fuiſſe Cathedræ, è quibus conciones habuerint ad populum. Huc referunt locum Matth. X. 27. ſupra allegatum. Et lucem fœneratur hæc explicatio Matth. IV. 5. ubi Satanas ſtitiſſe CHRISTUM dicitur ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ. Variis item Locutionibus Sacri Codicis metaphoricis, ut cum Jeſai. XXXVII. 27. impii comparantur *fœno tectorum, quod antequam enaſcatur, plerumque exareat.* Ita Syrus interpres *noctambulones* vocat *filios tecti*, quia noctu è lecto ſurgentes tecta conſcendunt.

# TAB. CCCXLVIII.

## Deut. Cap. XXII. verſ. 9.

Ne conſeras Vineam tuam diuerſis generibus, ne forte (a) ſanctifices uniuerſum ſemen, quod conſeris, atque vineæ prouentum.

(a) al. prophanes.

Non ſeres vineam tuam altero ſemine; ne & ſementis quam ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea, pariter ſanctificentur.

DE hac re imprimis ſe exercuere Doctores Talmudici. En Gloſſas! quas reperias in *Maimonide Hilch Cilajim, Jom tobh Hilch Cilajim, Jacobi Kaphelii Omek halacha.* Quodſi in vinea quadam diſtantia unius Vitis ab altera (Fig. A.) fuerit 4. cubitorum, poſſeſſor autem circa mediam e. g. Vitem coluerit Braſſicam aliudue olus, abominationi fuere vites intra Circulum, cujus Semidiameter fuit 16. cubitorum: intelligunt proin per *uniuerſum ſemen*, ſiue totam plenitudinem, quæ fuerit *ſanctificata* i. e. profanata, non ſolùm ipſa in loco prohibito conſita olera, ſed circumpoſitas vites in Circulo, cujus diameter a. b. eſt 32. cubitorum. Sed mundæ fuerunt c. c. c. vites extra hunc circulum. Præualet hæc, cui omnes ſubſcribunt ex recutita Gente, explicatio illi *Oſiandri*, qui vult, haud fuiſſe DEO gratas hujusmodi vinearum primitias ſiue Decimas: prætendunt quippe Judæi, haud potuiſſe DEO in ſacrificium offerri quidquam ex hujus generis vineis, imò adeò fuiſſe ſubjectas maledictioni Vites, ut harum Lignum ne quidem ad uſum foci adhiberi potuerit. Poterant adhuc illi diuerſi generis Plantis, de quibus Leuit. XXIX. 19. nutrire ſaltem jumenta ſeu pecora, licet earum eſus fuerit Hominibus prohibitus, ſed de vineis, de quibus nunc, ne in Brutorum quidem alimoniam poterat transire quidquam. Quodſi fortè lubuit Judæis, vineas diuerſis conſerere Plantis, ſeligere poterant (Fig. B.) ubi voluerint cunque in Vinea Aream quadratam, in ea ſemina condere olerum, ſed circumcirca intra diſtantiam 4. cubitorum non licebat vitem ullam ponere: vel & licuit Hortum quendam ſiue Agrum vitibus cingere, ſed interuallo præmemorato. Legatur *Theod. Daſſouius de modis ſeminandi diuerſa ſemina Hebræorum.*

Th. XII. De uſu abuſuue Phyſico
aliâs: myſticum aliis
linquo.

# TAB. CCCXLIX.

## Deut. Cap. XXII. verſ. 10.

Non arabis cum Boue & Aſino ſimul. Non arabis in Boue ſimul & aſino.

Adhibitos quoque fuiſſe Aratro *Aſinos* conſtat vel ex Textu: & Jeſ. XXX. 24. *Tauri quoque & pulli* (Aſini), *qui terram colunt, farraginem ſapidiſſimam comedent. (Et tauri tui, & pulli aſinorum, qui operantur terram, commiſtum migma comedent.)* Et XXXII. 20. *O vos felices, qui ad omnes Aquas ſeretis, immittentes pedem Bouis & Aſini.* Idem teſtatur *Joſephus contra Apion.* L. II. *Varro* item *de Re Ruſt.* L. II. c. 6. VIII. c. 1. *Campaniam, Bæticam* & *Lybiam* in Exempla allegans, ubi nempe locorum Terra eſt friabilis, ſequax, ſubactu facilis. Quin imò dari poſſunt Agri, adeo mollis & friabilis texturæ, ubi Boues arationi ſunt inidonei, nimio ſuo pondere deſidentes. Plin. L. XVII. c. 5. *In Byzacio Africæ* (à quo Blattæ illæ Byzantinæ dictæ, aliàs Ungues odorati, de quibus ad Exod. XXX. 34. nomen habent, non à Byzantio) *illum centena & quinquagena fruge fertilem campum nullis, cum ſiccus eſt, arabilem Tauris, poſt imbres, vili aſello, & à parte altera jugi anu vomerem trahente, vidimus ſcindi.* In noſtris contra Terris Helueticis compactioribus, lutoſis, vel glareoſis, Bobus opus eſt, & Equis, & viris, non Aſinis & Anubus.

De Legis hujus cauſa & Scopo non eſt omnibus ſententia eadem. Sunt, qui homogeneitatem obſeruandam volunt, & Legem ad omnia heterogenea Animalia extendunt, ut *Jonathan* in *Paraphraſi*, *Joſeph. Ant.* L. IV. c. 8. R. *Selomo*. Alii Societatem Bouis & Aſini abominationi eſſe volunt, quòd ille mundus ſit, hic immundus. Ita R. *Bambam Tract. de heterogeneis* c. 9. *ſect.* 7. Addit R. *Iſaac in Columnis Exilii Præcept.* 168. ἐξηγήσεως loco, euitandam piis eſſe communionem cum impiis, quò & tendere volunt alii monitum illud Paulinum 2. Cor. VI. 14. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες τοῖς ἀπίστοις. Ubi obſeruandum, in ipſo noſtro Textu LXX. vocem כלאים *cilajim* reddidiſſe etiam per ἑτερόζυγα. Hac proin ſymbolica Lege dicunt prohibitam eſſe communionem Judæorum cum Gentibus in Veteri Teſtamento, in Nouo piorum cum impiis. Placet hæc ſententia *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 13. *Clerico*, pluribus Theologis.

Quodſi fides eſt *Baal Hatturim*, latet heic ſubtilis quædam Logica Aſinina. Nam ecce ſyllogiſtizantem Aſinum! Videt is Bouem diu ruminantem, credit ſemper de nouo manducantem, ingemiſcit, ſortem ſuam deplorat, duri laboris ſocius, ſed pauci cibi particeps. Phyſicæ magis, & per conſequens & noſtræ conſiderationis eſt, quod Abenezra vult, non σύζυγα eſſe debere inæqualis roboris Animantia, Bouem & Aſinum. Pertinent huc Euclionis illa in *Aulularia Plauti* Act. 2. *Scen.* 2.

Venit hoc mihi in mentem Megadore, te eſſe hominem diuitem,
Factioſum, me item eſſe hominum pauperum pauperrimum,
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit
Te Bouem eſſe, & me eſſe Aſellum, ubi tecum conjunctus ſiem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego Aſinus in luto:
Tu me Bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem,
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid diuortii fuat:
Aſini me mordicitus ſcindant, Boues incurſent cornibus.
Hoc magnum eſt periculum, me ab Aſinis ad Boues tranſcendere.

Quæ item extant in *Anthol.* L. I. c. 33. de Aſino & Equo:

Τίπτε τὸν ὀγκηστὴν βραδύπουν ὄνον ἄμμιγ᾽ ἐν ἵπποις
Γυρὸν ἀλωειναῖς ἐξελάατε δρόμον;

Cur ubi flauentes diues terit area culmos,
Jungitur alipedi tardus Aſellus Equo?

Et quæ *Paulinus* ad *Auſonium:*

Diſcuſſiſſe jugum quereris me, quo tibi doctis
Junctus eram ſtudiis. Hoc ne geſtaſſe quidem me
Aſſero, namque pares ſubeunt juga. Nemo valentes
Copulat infirmis, neque ſunt concordia fræna,
Si ſit compulſis menſura jugalibus impar.
Si Vitulum Tauro, vel Equum committis Onagro.

Poſtu-



DEUT. Cap. XXII. v. 10.
Ομοζυγία injuncta.

V. Buch Moſis Cap. XXII. v. 10.
Ackern unter gleichem Joch.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

RPJCB



DEÜT. Cap. XXII. V. 13-21.
Virginitas defenſa.

V. Büch Moſis Cap. XXII. v. 13-21.
Vertheidigte Jungfraüſchafft.

*H. Sperling sculps.*

RPJCB



DEUT. Cap. XXII. v. 20. 21.
Poena Vitæ diſsolutæ.

V. Büch Moſis Cap. XXII. v. 20. 21.
Beſtraffte Leichtfertigkeiten.

M. Tyroff sculps.

oſtulant id & Leges Motus, ut eidem oneri
:u ponderi ſubmittantur Animalia ejusdem
ɔboris; Hinc ſubjugat *Homerus Odyſſ.* σ. Bo-
es ἰσοφόρους, id eſt, ex mente Scholiaſtæ, ἴσως
ιέροντας καὶ ἕλκοντας. Et *Palladius* L. IV. *Illud*
*nte uniuerſa curandum eſt, ut viribus ad tra-*
*bendum* (Boues) *comparentur æquales, ne va-*
*lentioris robur alteri procuret exitium.*

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juuenci?

*Ouid.*

# TAB. CCCL. CCCLI.

## Deut. Cap. XXII. verſ. 13 - 21.

13. Si quiſpiam uxorem duxerit, acceſſeritque ad eam, & odiſſe eam cœperit,

14. Obtruſeritque ei technas verborum, diuulgans de ea famam malam, ut ſi dicat, duxi hanc mulierem, & quum eſſem ad eam ingreſſus, non inueni in ea ſigna Virginitatis.

15. Tollent pater puellæ & mater ejus, & proferent ſigna Virginitatis puellæ ad ſeniores Ciuitatis, qui ſunt in Porta.

16. Dicetque Pater Puellæ ad Seniores: Hanc filiam meam dederam viro uxorem, cœpitque eam odiſſe.

17. Et en, obtrudit ei commenta Verborum, & dicit, non inueni in filia tua Virginitates, hæc verò ſunt ſigna Virginitatis filiæ meæ, & expandent Veſtimentum coram Senioribus ciuitatis.

18. Tollentque Seniores Ciuitatis illius virum illum, & caſtigabunt eum.

19. Damnabuntque eum centum (Siclis) Argenti, quos dabunt Patri puellæ, eò quod ſparſit famam malam de virgine Iſraelitica, habebitque is eam in Uxorem, nec poterit eam dimittere cunctis diebus ſuis.

20. Quodſi verum eſt Verbum illud, & ſigna Virginitatis in puella non fuerint inuenta:

13. Si duxerit vir uxorem, & poſtea odio habuerit eam:

14. Quæſieritque occaſiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen peſſimum, & dixerit: Uxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam, non inueni Virginem:

15. Tollent eam pater & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores urbis, qui in Porta ſunt.

16. Et dicet Pater: Filiam meam dedi huic uxorem: quam quia odit,

17. Imponit ei nomen peſſimum, ut dicat: Non inueni filiam tuam Virginem: & ecce hæc ſunt ſigna Virginitatis filiæ meæ: expandent veſtimentum coram ſenioribus ciuitatis.

18. Apprehendentque ſenes urbis illius virum, & verberabunt illum.

19. Condemnantes inſuper centum ſiclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamauit nomen peſſimum ſuper virginem Iſrael: habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ ſuæ.

20. Quod ſi verum eſt quod objicit, & non eſt in puella inuenta virginitas:

21. Ducent puellam ad oſtium domus Patris ſui, obruentque eam ciues illius ciuitatis lapidibus, ut moriatur, quia facit nephas in Iſrael, ſcortando in domo patris ſui, & exures malum è medio tui.

21. Ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui: & auferes malum de medio tui.

SUnt heîc res ad Judæorum Jus tum Matrimoniale, tum Criminale, pertinentes, quas Juris utriusque, ſiue etiam Canonici & Ciuilis conſultis lubens linquo. Præſtolabitur abs me Lector explanationem *ſignorum Virginitatis*, vel *Virginitatum*, בְּתוּלִים *bethulim*, quæ Judæi tum Hiſpani tum Luſitani vocant *eſcoſſedades*, ſigna Dolorum, excipienda olim & aſſeruanda in Linteo albo pùro: Originalis Textus habet הַשִּׂמְלָה, Græci ἱμάτιον, hinc & Vulgata, atque Tigurinæ ambæ *Veſtimentum, die Kleider*, LXX. ἐκμαγεῖον. *Iſidorus Philoſophus* citante *Photio*, Φυλακεῖα οἱ Ἀλεξανδρεῖς ἐκάλεν τὰ ἐκμαγεῖα τῶν γυναικείων μολυσμῶν. Judæi Hiſpani *la Savana*, virgini in prima copula ſupponi ſolitum. Judæos Interpretes ſi conſulamus de tenore hujus Legis, videbimus ſpectaſſe ſolas unius diei atque duodecim annorum virgines ad usque Annos duodecim cum dimidio; non, quæ adultioris fuere ætatis; non doloſis perſuaſionibus circumuentas, non vi ſuppreſſas, non alienigenas: non eas, quibus 50. ſiclorum dos haud fuit extradita; non quæ ante ſponſalia, ſiue matrimonialia Pacta fuere defloratæ. Ejus proin fuit ſeuera hæc primo intuitu Lex conditionis, ut arctis limitibus clauſa euitari potuerit facile. Quæ ſeu Traditiones ſeu Exegeſes viam pandunt Anatomico ad Ætiologiam. Facile quippe concipere licet, & dolores parere primum cum Virgine adeo teneræ Ætatis, qua in Oriente Matrimonia fuere, & ſunt adhuc, familiaria, concubitum, & prolicere Sanguinem ex dilatatis vaginæ oſculis. Audiamus teſtimonium de Muhamedanis Afris *Joh. Leonis Deſcript. Afric.* L. III. *Apparatur conuiuium, & fœmina quædam pro foribus expectat, donec deuirginata ſponſa hic linteolum ſanguine tinctum illi porrigat, quod manu geſtans hoſpitibus oſtendit, alta voce clamans, virginem hactenus incorruptam fuiſſe. Hanc cum aliis quibusdam fœminis primo ſponſi, deinde ſponſæ quoque Parentes excipiunt ſplendidè. Quod ſi fortaſſe non Virginem fuiſſe reperiatur, mox maximo omnium dedecore nuptiisque infectis ad Parentes relegatur.* Concilianda ſanè haud difficulter hæc Judæis præſcripta Lex cum Naturæ Legibus, ſi ſolas tangat 12. annorum ſponſas, ſed difficulter admodum, ſi omnes alias, cujuscunque fuerint Ætatis, vel Temperamenti. Ad Fabulas relegari *Hymen* notum, & Virginitatis ſigna indubia haud dari. Videantur pluribus *Franc. Valles. Sacr. Philoſ.* c. 25. *Marc. Donatus de Medicæ Hiſt. mirabili* L. IV. c. 15. *Alberic. Gentilis de Nupt.* L. VII. c. 9. *Joubertus de errorib. vulgi* L. V. c. 4. *Paul. Zacchias Quæſt. Med. Legal.* L. III. Tit. 2. *quæſt.* 1. *Seuerinus Pinæus de Virginit. notis* L. I. *Joh. Beuerouicius Epiſtol. Quæſt. Spencer. Uxor. Hebr.* L. III. c. 1. p. 227. *de Mey Phyſiolog ſacr.* p. 216. alii. Qui omnes omninò ſine diſcrimine Virgines huic ſubmittit Legi, juniores, adultas, macilentas, obeſas, bilioſas, ſanguineas, pituitoſas, ſanas, ægras, cacochymicas, is neceſſe habet, vel propriam illam ſtatuere Judaicæ Nationi, vel difficultatibus ſe implicare tantùm non inſolubilibus. Neque forſan erit extra rhombum, ſtatuere, ſi limitata illa Judæorum minus arrideat Problematis ardui ſolutio, primarium Legislatoris ſcopum fuiſſe vitæ caſtæ perſuaſorium, diſſolutæ dehortatorium. Dum autem de Iconibus rem hanc illuſtraturis meditor, conſultum duco Hiſtoricum potius agere, quàm Anatomicum, conſultum, ut heic, ita & alibi, obſcœnis omnibus cogitationibus, ad quas laſciua caro aliâs prona eſt, præſcindere viam.

TAB.

JCB



DEUT. Cap. XXVIII. v. 21. 22.
Poenæ peccatoribus dignæ.

V. Buch Moſis Cap. XXVIII. v. 21. 22.
Wohlverdiente Sünden = Plagen..

*M. Tyroff sculps.*

# TAB. CCCLII.

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 21. 22.

21. Adhæreſcere faciet tibi DOMINUS Peſtem, donec conſumat te de ſuperficie Terræ, in quam tu venis, ut eam poſſideas.
22. Percutiet te DOMINUS Tumore, Ardore, Inflammatione, Æſtu conſumente, Siccitate, Rubigine(a), Aurigine (b), & inſequentur te, donec pereas.

(a) Peſtis eſt frugum, quam alii Uredinem, alii Carbunculum nominant.

(b) Alii legunt Pallore, alii Ærugine.

21. Adjungat tibi DOMINUS peſtilentiam, donec conſumat te de Terra, ad quam ingrederis poſſidendam.
22. Percutiat te DOMINUS egeſtate, febri & frigore, ardore & æſtu, & aëre corrupto ac rubigine, & perſequatur, donec pereas.

DEUM Moſes ut heîc, ita & alibi, proponit omnis in Natura Motus, omnis in Humano Corpore, Authorem unicum, ne fortè Iſraelitis naſcatur ſuſpicio, ab hæreſi haud aliena, induci morbos vel caſu vel fatali neceſſitate: *Adhæreſcere faciet tibi DOMINUS Peſtem*, morbum, qui præ aliis omnibus ſubitaneo inſultu, crudeli raptu, copioſâ ſtrage, & prompta diffuſione Humanæ eſt Societati infauſtus, θεῖόν τι ex ſententia ipſorum Gentilium ſecum ferens, impenetrabile hactenus DEI flagrum, adeò in ſuis minimis particellis, ſeu animatis, ſeu inanimatis, ſubtile, ut omnem hactenus effugerit Lynceorum Medicorum aciem. Et non ſine ἐμφάσει Moſes inſit, *adhæreſcere* hunc Morbum; Experientiâ ſane teſte nouimus, adhæreſcere corpuſcula peſtifera ita Lanæ, Lino, pelliciis, cannabi, plumis, ut hujusmodi corporum vehiculo facilè pernicioſiſſimus hic Morbus transferatur ex uno loco in alium.

Exprimunt Morbi omnes v. 22. nominati Ardorem exquiſitum, vel Æſtum comitem.

שַׁחֶפֶת *Schachepheth* in utraque Verſione noſtra eſt *Tumor*, *Geſchwulſt*. Sed non ſunt Judæi Doctores concordes circa Speciem. R. *Selomo* & *Dauid de Pomis* volunt intumeſcentiam totius Corporis, ſpeciatim Tumores pugni vel pomi magnitudine ſurgentes, per quos commodè intelligimus *Anthraces* ardentes, ſiue *Bubones* peſtilentiales. In oppoſitam plagam ſe vertit R. *Jonas* teſte *Kimchio* in *Lexico*, intelligens marceſcentem ſeu tabem totius corporis, unde & *Bochart Hieroz.* P. II. L. II. c. 18. vertit *Phthiſin*, LXX. ἀποϱίαν, i. e. ἀτϱοφίαν, ut legit *Bochartus*, *Hieronymus Egeſtatem.*

קַדַּחַת nobis *Ardor*, *Fieber.*

דַּלֶּקֶת *dalleketh*, *inflammatio*, *Hitz.*

חַרְחֻר *Charchyr*, *æſtus conſumens*, *Brand*, ἐϱεθισμὸς, *Ardor.*

חֶרֶב *Chereb*, *ſiccitas*, *ardor*, *Brunſt*, φόνος.

שִׁדָּפוֹן *Schiddaphon*, *Rubigo*, *Dürre*, ἀνεμοφθορία, *Aer corruptus.*

Quæ nomina omnia manifeſtè ſatis indicant vel totidem Febrium acutarum ſpecies, gradusue ad peracutas ſurgentes, vel variantia ejusdem Morbi Symptomata, ut ſanè obuia ſunt vel in Peſte, vel etiam Febribus Petechialibus, quæ pro fomite agnoſcunt inſignem acrimoniam, ſæpe viſcoſitati junctam, corrodendo urentes dolores cauſantem, vel & talem ſeu coagulationem, ſeu condenſationem, quæ circulum ſanguinis per extrema impedit.

יֵרָקוֹן *jerakon*, nobis *Aurigo*, *Bleiche*, LXX. ὤχϱος, Vulgatæ *Rubigo*, denotare poteſt *Icterum.*

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 23.

Erunt tibi Cœli ſuper caput tuum æ-rei, & Tellus, quæ ſub te eſt, fer-rea.

Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra, quam calcas, ferrea.

ITa & Leuit. XXVI. 19. *Faciam Cœlum veſtrum veluti Ferreum, & Terram veſtram veluti Æs. (Dabo vobis cœlum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam.)* Non Naturæ Idolum vix obſcuro nomine notum, ſed EGO, Creator æternus & omnipotens, Conſeruator omnium rerum omniſapiens, Naturæ & uniuerſi DOMINUS, à meo liberrimo arbitrio dependens, per me ipſum exiſtens, *EGO faciam cœlos ſuper caput tuum*, cœlum nempe æreum, quod vobis mortalibus creaui utiliſſimum ſimul & neceſſarium, vitæ veſtræ ratione Grauitatis, Raritatis, Elaſticitatis, Caloris, aliarumue proprietatum præciſiſſimè adæquatum, promptuarium vaporibus aqueis diues, Plantis veſtris & Animalibus cedens in ſolatium & nutrimentum. *Cœlum* hocce, Atmoſphæram hanc, *faciam veluti Ferrum, & Terram veſtram veluti Æs.* Tunc nempe, ſi, quod legitur 1. Reg. XVII. 1. *non fuerit* per annum, vel annos, *ros vel Pluuia*, Vegetabilia proin areſcent, ſiccabuntur Fontes, Homines & Animantia ſiti marceſcent, Terra indurabitur ita, ut culturæ fiat inepta; ut nouimus, quotannis in Climatibus illis Zonæ Torridæ calidiſſimis ita Terram menſibus æſtiuis à continuato Solis æſtu exiccari, ut coli non poſſet, niſi, prouidente DEO, ante, menſibus nempe hybernis, ſiue humidis, à continuis ibi Imbribus fuiſſet humectata.

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 24.

Dabit DOMINUS Terræ tuæ pro Pluuia Arenam & Puluerem, de Cœlis deſcendet ſuper te, donec fueris deletus.

Det DOMINUS Imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo deſcendat ſuper te cinis, donec contera-ris.

COelum licet ſit *Ferrum* & *Æs*, ſpirabunt tamen *Venti*, ſed tibi, rebellis Natio, noxii: Qui juxta ordinarium Naturæ curſum, dirigente ita Authore Naturæ, colligunt Vapores aqueos in Nubes, hasque ab una Regione deportant in alias, & hìc ibi Pluuiæ forma præcipitant, aſportabunt *Arenam & Puluerem.* In teſtes voco, qui per Arabiæ Deſerta Iter facientes ab hujusmodi pluuiis ſiccis ſiue arenoſis non minus ſuſtinent periculi, quam qui in Oceano nauigant à ſpumoſis Fluctuum undis, imò haud rarò Arena obtecti ſepeliuntur viui. Vid. *Theuenot* voy. P. I. L. II. c. 80. Ita in Mari veluti arenoſo *delentur* Homines & Animantia Bruta: Accedit Raritas Aeris nimia, Reſpirationi inepta, qua ſuffocantur: Tranſpiratio nimia, qua conſumuntur, auolantibus partibus Sanguinis ſubtilioribus, condenſato reſiduo.

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 27.

Percutiet quoque Te DOMINUS Ulcere Ægyptiaco, Ficu, Scabie fluida, & Scabie ſicca, ita ut ſa-nari non poſſis.

Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quam ſtercora egeruntur, ſcabie quoque & prurigine: ita ut curari nequeas.

REdimus ad Morbos. שחין *Schechin* reddimus Nos *Ulcus*, *Drüſen*: *Clericus Inflammatio*, à Radice שחן *Schechan*, *calere*. Ad eundem ſcopum collimat Interpretatio. Calet prius vel inflammatur locus Apoſtemate ſiue Furunculo affectus, quàm maturatur, ſiue in Ulcus abit congeſta materia. *Theuenotio* teſte, Ægyptii Nilo incrementa capiente affici ſolent efflorеſcentia Cutis doloroſa valde, acribus nempe particulis ad Cutim extre-

RPJCB

TAB. CCCLIII.




DEUT. Cap. XXVIII. v. 38. 39-42.
Insecta Regioni infeſta.

V. Buch Moſis Cap. XXVIII. v. 38. 39-42.
Land-verderbliche Ungeziefer.

M. Tyroff sculp.

extremam ductis, ejusque canaliculos extimos & poros acicularum inſtar erodentibus & perforantibus. Cujusmodi fortè quidpiam heic ex *Clerici* mente intelligi debet. Occurrit idem vocabulum שְׁחִין inter Ægypti Plagas.

עְפָלִים *epholim*, nobis *Ficus*, *Feigwartzen*, aliis *Hæmorrhoides Ani.*

עָרָב nobis *Scabies fluida*, *Grind.*

חָרֶס *Chares*, *Scabies ſicca*, *Raud.*

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 35.

Percutiet te DOMINUS ulcere noxio in genubus & cruribus, quod curari haudquaquam poterit à Planta Pedis tui usque in verticem tuum.

Percutiat te Dominus ulcere peſſimo in genibus & in ſuris, ſanarique non poſſis à planta pedis usque ad verticem tuum.

VEniunt heic rurſum שְׁחִין nomine *Ulcera* Cacoethea, Ægyptiorum illis ſimilia, quorum meminit *Theuenot* l. ſupra citato.

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 65.

Et apud Gentes hujusmodi requiem non inuenies, neque erit, quo Plantam pedis tui colloces: & dabit tibi DOMINUS cor palpitans, conſumptionem oculorum, & mœrorem Animi.

In gentibus quoque illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui: dabit enim tibi DOMINUS ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore.

QUid mirum, ſi, qui conſumitur Triſtitia, incidat & in *conſumptionem oculorum* כִּלְיוֹן עֵינַיִם, Oculorum atrophiam? Minor eſt in omni Triſtitia ſanguinis ex corde expulſio, debilior tantò, ſi jungamus retropreſſo veluti ab extremis cruori ejusdem denſitatem atque viſciditatem, Melancholicis familiarem. Rota hæc Corporis primaria Cor, ſi tot reſiſtentias ſuperare nequeat, corpus totum collabatur veluti neceſſe eſt. Et Neruo ſpeciatim pathetico adſcribi debet, quòd hunc, de quo nunc, Affectum in Oculis videamus veluti in ſpeculo.

# TAB. CCCLIII.

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 38. 39. 42.

38. Multum ſeminis proferes in agrum, parum colliges, vaſtabit illud Locuſta.
39. Vineas plantabis & coles, ſed Vinum non bibes, neque colliges, eo quod Vermis ſit illud abſumpturus.
42. Omnes Arbores has, & fructus Terræ tuæ perdet (a) Ærugo.

(a) Zilzal Græci eryſibe transtulerunt, quod Theophraſtus æruginem interpretatur, vitium eſt ſegetum, aliis magis placet rubigo vel robigo. Quidam genus Locuſtæ dicunt Zilzal.

38. Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia Locuſtæ deuorabunt omnia.
39. Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vaſtabitur vermibus.
42. Omnes arbores tuas & Fruges Terræ tuæ rubigo conſumet.

DE *Locuſtis*, formidabili DEI Exercitu, earumque damnis alibi plura. Differunt à Plantarum vermibus, quòd aliunde Arboribus & Segetibus inuolent, dum hi Plantis ipſis innaſcuntur, & plerique quidem, de *Erucis* in ſpecie loquor, quæ mirum in modum differunt, certo duntaxat Plantarum genere veſcantur, patrii cibi auidi. v. 39. memorantur *Vitium vermes*, quos Græci vocant ἴπας vel ἴκας à ſingulari ἴψ vel ἴξ. Hi *Theophraſto* teſte *de cauſ.* L. III. c. 27. auſtro potiſſimùm flante gignuntur, vel ſi lenes ſpirant venti, loco neque humido nec pingui; & oculos inprimis abſumunt. *Ammonius Libello de ſimilibus:* ἴκες, τὰ διεσθίοντα τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀμπέλων. Ἀλκμὰν, Ποικίλον ἴκα, τῶν ὀφθαλμῶν ἀμπέλων ὀλετῆρα. *Ikes dicuntur Animalcula, quæ oculos vitium comedunt.* Alcman. *Varium* Ikem *vitis oculorum perditorem.* Latinis hic Vermis *Inuoluolus* dicitur & *Conuoluolus*, & *Voluox*. *Plautus Ciſtellar. Act.* IV. *Scen.* 2.

LA. Imitatur nequam beſtiam, & damnificam.
Ph. Sed quamnam amabo?
LA. Inuoluolum, quæ in Pampini folio intorta implicat ſeſe.

En proin & rationem nominis! Sed quæ Inſectis benè multis aliis eſt communis, utpote quæ vel deficiente alimento, vel Hyeme appropinquante ſeſe foliis inuoluunt, Hybernacula ibi transactura. Planum ſanè hinc, Vitis Vermem, ἴπα, ἴκα, Inuoluolum, pertinere ad Erucas. Licitum proin, eas heic ſiſtere, quæ Vitis vel gemmis, vel foliis veſcuntur.

Fig. A. exhibet Erucam, Chryalidem & Papilionem Viti inſidentes ex *Merianæ Surinaamſche Inſect.* p. 34.

Fig. B. ex *Gœdart Hiſt. des Inſect.* T. II. p. 112.

Fig. C. aliam ex *Gœdart.* T. I. p. 56. quæ nutritur viti ſylueſtri.

Conf. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 27.

Vel ex Latinæ noſtræ Gloſſis videre eſt צְלָצַל *Tſelatſal.* v. 42. variam admittere interpretationem. Græci habent ἐρυσίβη, Vulgata *Rubigo*, Latina noſtra *Ærugo*, vernacula *Röthe.* Sed Hebræis omnibus, *Onkeloſo* & Arabi *Erpeniano* placet *Locuſta*, quam propter alarum ſtrepitum deriuant à צָלַל *tſalal*, *tinnire*, *Bochartus Hieroz.* P. II. L IV. c. 1. potius à *tſalal*, *obumbrare*, quia Solem Locuſtæ obumbrant.

# TAB. CCCLIV.

## Deut. Cap. XXVIII. verſ. 49.

Excitabit contra te DOMINUS Gentem è longinquo ab extremitate Terræ, quæ inuolabit ut Aquila, Gentem, cujus Linguam tu non capies.

Adducet Dominus ſuper te Gentem de longinquo, & de extremis Terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu: cujus Linguam intelligere non poſſis.

ALas habet *Aquila* fortes, expanſas, ingenti Muſculorum, inprimis Pectoralium, robore nixas, quibus rapidiſſimè fertur, & cum impetu, maxime ſi in prædam ruat: *fulminis vice*, ut ſcribit *Apulejus* Lib. I. *Floridor.* Hinc eſt, quòd *Aquilonem* Ventum appellari vult *Feſtus* à *vehementiſſimo volatu ad inſtar Aquilæ*, & Aquilam ipſam Græci ἀετὸν ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν, *cum impetu ferri*, *irruere*, plerique deriuant, alii ab עַיִט *ajit*, quod & ipſum deſcendit ab הֵעִיט *heit*, *inuolare*, *irruere*. Hinc eſt, quod in Textu, & alibi velocitas & impetus eorum, qui ad pugnam ruunt, conferatur cum Aquilis, iisque ad prædam inuolantibus. Græci heic habent ὡσεὶ ὅρμημα ἀετοῦ. Et Iliad. φ'. v. 252. *Achilles* in Trojanos irruens ab *Homero* deſcribitur, αἰετοῦ οἴματ' ἔχων, *Aquilæ impetus habens.* Οἴματα enim Scholiaſti ſunt ὁρμήματα. Hinc eſt, quod *Saul* & *Jonathan* viri pugnaciſſimi Dauidi vocentur Aquilis velociores. 2. Sam. I. 23. De Chaldæis Jeremias. IV. 13. quòd *Equi* eorum *Aquilis* ſint *celeriores*. Idem de illorum Rege XLVIII. 40. *Ecce inuolabit veluti Aquila, & expandet alas ſuas ſuper Moab.* XLIX. 22. *Ecce ſicut Aquila aſcendet, inuolabit & expandet alas ſuas ſuper Bozram.* Thren. IV. 19. *Velociores fuerunt perſequutores noſtri Aquilis cœli. Boch. Hieroz.* P. II. L. II. c. 2.



DEUT. Cap. XXVIII. v. 49.
Exercitus irruentes.

V. Buch Moſts Cap. XXVIII. v. 49.
Ein wie Adler einfallendes Kriegs-Heer.

I. G. Pintz sculp.

RPJCB

RPJCB



DEUT. Cap. XXIX. v. 18.
Absinthium Calamitatis Symbolum.

V. Buch Moſis Cap. XXIX. v. 18.
Wermüth ein Trübſals-Bild.

*I. G. Pintz sculps.*

JCB



DEUT. Cap. XXXII. v. 2.
Ros, ſtilla et Imber.

V. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 2.
Thau und Regen.

*I. G. Pintz sculps.*

# TAB. CCCLV.

## Deut. Cap. XXIX. verſ. 18.

Ne forte ſit in vobis Vir aut mulier, familia aut Tribus aliqua, cujus cor ſe auertat hodie à DOMINO DEO veſtro, ut abeat & ſeruiat Diis Gentium illarum, & ne fortè ſit in vobis radix germinans fel & Abſinthium.

Ne forte ſit inter vos vir aut mulier, familia aut Tribus, cujus cor auerſum eſt hodie à Domino Deo noſtro: ut vadat & ſeruiat Diis illarum Gentium, & ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.

JUngitur aliquoties *Fel abſinthio* in Sacris. Jer. IX. 15. XXXIII. 15. *Ego cibabo populum iſtum Abſinthio, potaboque eos Aquis fellinis.* Thren. III. 15. *Recordando afflictionis meæ, & rebellionis meæ, Abſinthii & Fellis.* Amos VI. 12. *Quandoquidem judicium in fel, & fructum Juſtitiæ in Abſinthium vertiſtis.* Notum in Medicorum Scholis, eſſe *Bilem* Fluidum nobiliſſimo dicatum uſui, *Abſinthium* Herbam præſtantiſſimam, Ventriculo inprimis amicam. Verùm enim verò docet nos & copula illa, & ſubſtrata in Locis citatis materia, ſumi & Fel & Abſinthium pro Symbolo Afflictionis, Doctrinæ falſæ; Injuſtitiæ. Alluſionis fundamentum latet in amarore guſtui ingrato; & hic ipſe in vocis לַעֲנָה *labanah*, quæ *Abſinthium* notat, originatione, ſiue eam deriues ex ל præpoſitione & עָנָה cognato vocum עָנִי & עֱנוּת, quæ afflictionem & moleſtiam denotant, ſiue ex Arabico *labana* abegit, procul eſſe juſſit, auerſatus, abominatus eſt. Conſtat ex *Pierii Hieroglyphicis*, fuiſſe Abſinthium funebrem herbam, proin in Cœmiteriis plantatam. Eſt autem Abſinthium Orienti familiare. Offerunt Botanici *Abſinthium Santonicum Alexandrinum* C. B. quod *Lumbricorum* eſt ſemen *Matthioli* I. B. v. Fig. A. item *Abſinthium Santonicum Judaicum* C. B. *Lumbricorum ſemen Rauwolffio.* I. B. quod Arabes *Scheba* vocant, ut apud nos *Abſinthium vulgare majus* I. B. *Ponticum ſeu Romanum Officinarum ſiue Dioſcoridis* C. B. Fig. B. Characteres autem omni Abſinthio communes ſiſtuntur ad marginem inferiorem Fig. C.

# TAB. CCCLVI.

## Deut. Cap. XXXII. verſ. 2.

Stillabit veluti pluuia doctrina mea, fluet ut Ros eloquium meum, ſicut Imber pluuius ſuper Herbam, & ſicut Stillæ ſuper Plantulas.

Concreſcat in pluuiam doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi Imber ſuper Herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina.

GRatius nihil eſt Homini & Brutis Animantibus, Æſtu languidis, copioſam perpeſſis Tranſpirationem, potu frigidæ, qui reſtauret particulas fluidi deperditas: quem ipſum in finem, optimo Creatore id ita ordinante, Animata corpora afficit Sitis, ut ea mediante ſtructura maneat ſalua & ſana: Obtigit eadem ſors Plantis: patiuntur & hæ conſtantem particularum fluidarum, aquearum, διαπνοὴν, quæ reſarciri neceſſariò debent. Hunc ipſum in finem Sapientiſſimus Conditor largitur Pluuiam & Rorem. Quærunt illa, vel apportari jubent, mobilia de loco in locum, gradientia, volantia, ſerpentia, humidum ſibi neceſſarium. Aſt Vegetabilibus, quia eodem ſemper hærent fixa loco, prouidere voluit DEUS beneficio, quod ipſum eſt mobile, eaque irrigat. Beneficium id eſt utiliſſimum inprimis, & neceſſarium, in Climatibus illis Orientis calidioribus,

Æſtu Solis ibi magis intenſo. Hinc eſt, quòd Populi hi, Allegoriarum præ aliis amantes, mutuati ſunt varias, easque judicii plenas, loquendi formulas, ut heic Moſes in Cantico ſuo Cygneo. Jobus XXIX. 22. 23. *Sermo meus in eos ſtillabat. Meque velut Pluuiam expectabant, & os aperiebant ſuum velut ad Pluuiam ſerotinam. Homerus* Iliad. Γ'. 222. *Ulyſſi* ſermones tribuit Imbribus hybernis ſimiles, ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν propter judicii acumen, & inſigne, quod poſſederat, Eloquentiæ donum, διὰ τὸ τάχος τῶν νοημάτων, διὰ τὸ πυκνὸν, διὰ τὸ τῆς σαφηνείας διάλευκον, ut *Euſtathius* explicat. Mentio fit autem in Textu noſtro duplicis Pluuiæ. שְׂעִירִים *ſeirim*, ὄμβρος, *Imber*, denſa eſt Pluuia, vento plerunque ſociata, germinantibus inprimis, vel creſcentibus Plantis proficua, ſed florenti maturoue Frumento noxia, utpote id proſternens. *Imber in herba utilis tantum; florentibus autem Frumento & Hordeo nocet* —— *Matureſcentia Frumenta imbre læduntur, & Hordeum magis. Plin.* L. XVIII. c. 17. Eadem habet *Theophraſtus Hiſt. Plant.* L. VIII. c. 6. *de cauſ. Plant.* L. II. c. 3. רְבִיבִים *tenuiores* ſunt *Pluuiæ*, Nobis *Stilla*, *Tropfen*, ut & Vulgata, LXX. νιφετὸς, alibi σταγόνες, *guttæ*, adultis inprimis Plantis gratæ: *Pluuia non uniuerſa ingurgitans diluensque, ſed quomodo ſititur, deſtillans velut ex ubere alit omnia, quæ inundat. Plin.* Sed Pluuiam omnem antecellere perhibetur *Ros*, perſuaſi id ſunt coloni, Rationes dant Philoſophi: Eſt Ros non mera & cruda Aqua, ſed quæ jam actu circulauit per Plantarum tubulos, imo particulis nutritiis purioribus, ſubtilioribus, quæ Poris Plantarum exhalarunt, imprægnata. Applicationem Pluuiæ ſeu denſæ, ſeu tenuis, ſeu roriferæ ad doctrinam & ſermones eorum, qui Verbum DEI populo inſtillant, aliis linquo.

# TAB. CCCLVII.

## Deut. Cap. XXXII. verſ. 11.

Quemadmodum Aquila excitans nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos volitans, expandensque alas ſuas, tollit illum, & portat eum ſuper alas ſuas.

Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas: & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.

COmparat heic Moſes Amorem DEI, erga Populum ſuum, Amori, quo *Aquila* fertur erga pullos ſuos. *Quemadmodum Aquila excitans nidum ſuum*, id eſt, pullos ſuos. Metonymica locutione, qua continens ſumitur pro contento, obuia quoque apud profanos Scriptores. *Virgil.* L. IV. *Georgic.* de Hirundine.

Ore ferunt dulcem nidis immitibus eſcam.

id eſt, pullis crudelibus, juxta explicationem *Seruii* & *Nonii*.

*Columella* in *Horto*.

Veris & aduentum nidis cantarit Hirundo.

*Juuenalis Sat.* V. applicat hanc loquendi formulam ipſis pueris.

Sed tua nunc, Mygale, pariat licet, & pueros tres
In gremium Patris fundat ſemel, ipſe loquaci
Gaudebit nido.

Hinc & Gloſſæ habent νεοσσὸς, *nidus*, *pullus.* Excitationem ipſam, cujus Moſes meminit, explicat ita R. *Selomo*, quod Aquila non inuolet nido violento quodam impetu, ſed blando ſeſe demittat volatu, alis ad Arborum ramos alliſis, ut pullis non deſit vel otium, vel occaſio, ſeſe excitandi, & parentem excipiendi. De eo nempe agitur, ut pulli foueantur, non comprimantur. Senſum Moſis clarè ſatis παραφράζει *Hieronymus: Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, &c.* Ut huc redeat ſenſus, inuitare & excitare Aquilam pullos ſuos ad volatum propriâ ſuarum Alarum expanſione & vibratione, de qua *expanſione* ipſe loquitur in Textu Moſes. Sunt nempe primi πτερυγισμοὶ, ſiue ὀρταλισμοὶ veluti δοκιμαστικοὶ, & Aquilæ ita naturales, ut & pulli inter cibandum continuò fere expandant alas ſuas, quod quidem plerisque aliis Auibus eſt commune.

Vocantur *Aquilarum pulli* Prov. XXX 17. בְּנֵי נָשֶׁר *Aquilæ filii*, & Job. XXXIX. 33. אֶפְרֹחָיו, voce omnibus Auium pullis communi. Sed heic occurrit vox גוֹזָלָיו, ubi notandum גּוֹזָל ſignificare propriè columbarum pullos.

Silen-



DEUT. Cap. XXXII. v. 11.
Aquila nidum excitans.

V. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 11.
Ein aufgewecktes Adler = Neſt.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

RPJCB

TAB. CCC



DEUT. Cap. XXXII. v. 13. 14. 15.
Ieschurun pinguis.

V. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 13. 14. 15.
Der fette Ieschurun.

*I. G. Thelot sculps.*

Silentio haud prætereundum, quòd Moſes Aquilæ pullos in Plurali numero tribuat, uti & Jobus, quos ſcilicet & foueat & nutriat, quum contra *Muſæus*, quidam ex veteribus Poetis, apud *Ariſtotelem Hiſt. Anim.* L. VI. c. 6. de Aquila memoret, eam tres quidem parere, duos excludere, ſed unicum duntaxat curare.

Ὃς τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλείπει, ἓν δ' ἀλεγίζει.
ſiue ἓν δ' ἀλυβάζει.

Unum alit, ut *Plutarchus* legit in *Mario*. Fatetur tamen *Ariſtoteles*, tres etiam pullos in eodem nido fuiſſe inuentos, ſeptem à *Mario* apud *Plutarchum*, itemque à *Clodio Albino* apud *Julium Capitolinum* teſtimonia adſunt.

Plura in hunc Textum legere licet ad Exod. XIX. 4. Interim haud è re erit heic apponere Veteris cujusdam Poetæ παράφρασιν in Textum præſentem, & Exodi jam citatum, ubi ſequentes Hexametros in Supplementis videbis adnexos.

Ac velut alituum Princeps, fuluusque tonantis
Armiger, implumes & adhuc ſine robore natos
Sollicitâ refouet curâ, pinguisque ferinæ
Indulget paſtus: mox ut cum viribus alæ
Veſticipes creuere, vocat ſi blandior aura,
Expansâ inuitat plumâ, dorſoque morantes
Excipit, attollitque humeris, plauſuque ſecundo
Fertur in arua, timens oneri, & tamen impete preſſo
Remigium lentans alarum, incuruaque pinnis
Vela legens, humiles tranat ſub nubibus oras.
Hinc ſenſim ſupra alta petit, jam jamque ſub aſtra
Erigitur, curſusque leues citus urget in auras,
Omnia peruolitans latè loca, & agmine fœtus
Fertque refertque ſuos vario, moremque volandi
Addocet, illi autem longa aſſuetudine docti
Paulatim incipiunt pennis ſe credere cœlo
Impauidi. Tantum à teneris valet addere curam.

# TAB. CCCLVIII.

## Deut. Cap. XXXII. verſ. 13. 14. 15.

13. Inuexit eum in ſublimitatibus terræ, ut comederet prouentus Agrorum, deditque ei, ut ſugeret Mel de Petra, Oleumque è duriſſimo ſaxo.

14. Butyrum Boum & Lac Ouium, cum Adipe *(a)* Arietum pinguium, & Hircorum, cum Adipe *(b)* delicatiſſimi Tritici, & Sanguinem Uuæ biberet meracum.

*(a)* Al. Arietum Baſan.
*(b)* Ebr. cum Adipe Renum frumenti, alii referunt Adipem & Renes ad Hircos, ſed ſimpliciter eſt, ſimilagine præſtantiſſima & optima.

15. Et pinguis factus rectus calcitrauit, craſſus factus es, obeſus, & adipe obductus. Dereliquit DEUM factorem ſuum, & ingratus fuit Petræ ſalutis ſuæ.

13. Conſtituit eum ſuper excelſam terram: ut comederet fructus agrorum, ut ſugeret mel de Petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.

14. Butyrum de armento, & Lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinem uuæ biberet meraciſſimum.

15. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Pergit Orator DEI extraordinarius Populo Iſraelitico demonſtrare maxima beneficia, ſed & atram reprobat Ingratitudinem. *Inuexit eum in ſublimitatibus Terræ*, Gileaditicæ montoſæ, *ut comederet prouentus agrorum*, Moabiticæ. *Mel de Petra, & Oleum è duriſſimo Saxo ſugere*, Poetica eſt & figurata locutio, qua deſcribitur *Terra Lacte fluens & melle*, fertilis undiquaque. Ita & *Virgilius Eclog.* IV. 29.

Incultisque rubens pendebit ſentibus uua,
Et duræ Quercus ſudabunt roſcida mella.

Nemo non videt, propriâ ſignificatione Mel neque è Petra fluere, neque ex Quercu, neque Oleum magis ex duro Saxo, quam è Silice excutitur Aurum, aut pecunia. Sed ubi Apes non nutriuntur mites duntaxat, ſed quoque ſylueſtrium examina nidificant in Saxis, Syluis, Dumetis, uti in Orientalibus Regionibus, Polonia, Ruſſia, Elogium meretur regio, quod Canaanitidi tribuit Moſes. Ita & *Euripides* in *Bacchis* v. 14.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσῶν
Νέκταρι.

Fluit Lacte ager,
Fluit etiam vino, fluit & Apum
Nectari.

*Virgilius Eclog.* III.

Mella fluunt illi, ferat & rubus aſper Amomum.

*Ouidius Metam.* L. I. de Aureo Seculo.

Flumina jam Lactis, jam flumina Nectaris ibant.

*Horatius* L. II. Od. 19.

\- - - - - lactis & uberes
Cantare riuos atque truncis
Lapſa cauis iterare mella.

His omnibus jungimus Jobum XX. 17. *Non videbit riuos fluminum torrentium mellis & butyri.*

Pergimus ad *Butyrum Boum & Lac Ouium*, donaria DEI, de quorum præſtantia nos inprimis atteſtari poſſumus *Heluetii*, qui γαλακτοφάγων & γαλακτοπότων Epitheta non minori jure meremur, quàm *Nomades* illi & *Getæ*. Sunt Jumenta & Pecora nobis, quod Palma Indis: dat Pellis veſtes, caro cibum, Lac & Serum potum, Butyrum & Caſeus non nobis ſufficit ſolis, ſed quoque in vicinas exportatur Regiones. *Lac eſt omnium rerum, quas cibi cauſa capimus, liquentium maximè alibile, & id ouillum, inde caprinum. Varro de Re Ruſt.* L. II. C. II. Alimenti pretium haud vertet in dubium, qui in Scholis Anatomicorum & Medicorum eſt edoctus, quàm ſit Lac fluidum puriſſimum, per tot præuias ſecretiones defæcatiſſimum, particulis nutritiis caſeoſis, butyroſis, ſeroſis, fœtum, ſanguinis albi nomine dignum, ut hic eſt Lac rubrum. *Columella* iterum L. VIII. c. 2. *Caſei Lactisque* (ouilli) *abundantia non ſolùm agreſtes ſaturat, ſed etiam elegantium menſas jucundis & numeroſis dapibus exornat. Quibusdam verò Nationibus frumenti expertibus victum commodat.* Elogio, quod heîc ouillo caſeo impertitur Rei Ruſticæ expertiſſimus, ſubſcribere poſſum & ego, cui aliàs eſt omnis Caſeus auerſationi. Accidit aliquando mihi in caſula alpina ad Fontes Rheni poſterioris, in extremis Syluæ Rhenanæ Alpibus, ubi vix aliud reperias quàm juga horrida, & Plantas odoratiſſimas ſimul & rariſſimas alpinas, ut incidens in caſeum ouillum recentem eo tanquam ſapidiſſimo ferculo fuerim uſus, quo gratius nil per vitam guſtaſſe judicaui, & mecum Itineris ſocii. Eſt *Butyrum* rarius ouium productum, communius, ut heîc, Moſe teſte, *Vaccarum ſiue Boum*, à quibus & nominis originem βούτυρον habet. Obſeruari tamen meretur, *Caſeum* antiquitate præire *Butyro*. *Lactis* & *Caſei* frequentiſſima fit mentio apud vetuſtiſſimos Scriptores, *Homerum, Theocritum, Euripidem*, nulla *Butyri*. Et *Ariſtoteles Hiſt. Animal.* L. III. c. 20. 21. multa narrat de Lacte & Caſeo, de Butyro nihil, hujus nomine intelligens fortè quendam ἐν τῷ γάλακτι λιπαρότητα, ἣ καὶ ἐν τοῖς πεπηγόσι γίνεται ἐλαιώδης. Uti &, quod Butyrum nos vocamus, *Athenæo* L. X. c. 14. audit ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος, *Oleum ex Lacte.* Quum è contra apud Orientales populos *Butyri* uſus & eſus ſit antiquiſſimus, vel S. Scripturâ teſte ἀναντιῤῥήτῳ. *Tulit* Abraham Hoſpitibus ſummis *Butyrum* & *Lac*, Gen. XVIII. 8. Et exemplo Jahelis Heroinæ, quæ fugitiuo Imperatori Siſſaræ *Lac* offerebat & *Butyrum*, Jud. V. 25. honeſtiſſimorum item virorum in Mahanaim, qui Regi Dauidi fugâ vitam ſaluanti attulerant *Butyrum & Caſeos vaccinos*, 2. Sam. XVII. 29. honori ſibi ducunt Senni, quo nomine nobis veniunt Alpini paſtores, Hoſpites excipere, quod faciunt, Lacte, Butyro recenti, & Caſeo: honori ducunt hi ab illis excipi.

Sequitur ordine *Adeps Arietum pinguium & Hircorum.* In Textu Originali vocantur Arietes בְּנֵי בָשָׁן *filii Baſan*, ut & in vernacula *Söhne Baſans*, quia *Baſanitis* pecoribus fuit abundantiſſima, propterea & à Rubenitis & Gaditis petita in hæreditatis portionem, NUM. XXXII. 4. Memorantur Dauidi Pſ. XXII. 13. *Tauri prævalidi ex Baſan.* Ezech. XXXIX. 18. *Arietes, Agni, & Hirci, & Boues, qui in Baſan omnes ſaginati ſunt.* Amos IV. 1. *Vaccæ Baſan*, *Symmacho* βόες εὔτροφοι, *Hieronymo Vaccæ pingues*, qui ad l. c. plura, ut & *Cyrillus.* Notandum heîc, *DOMINO eſſe omnem Adipem*, Leuit. III. 16. h.e. omnem Adipem fuiſſe DEO adolendum in grati odoris ſacrificium, & prohibitum fuiſſe Iſraelitis ſeuerâ Lege eſum Adipis & Sanguinis. v. 17. heîc tamen Adipem Arietum, ouium & hircorum iisdem promitti in uſum. Sed hanc ἐναντιοφάνειαν diſcuſſimus alibi, ſcilicet TAB. CCXXV.

Per *Adipem delicatiſſimi Tritici* intelligunt communiter Interpretes optimum Triticum, addentes, optimum quodque non ſolùm in Animalibus, ſed & Vegetabilibus nomine veniſſe *Medullæ*, *Adipis.* Offert Pharao Joſe-

pho

RPJCB



DEUT. Cap. XXXII. v. 15.
Buena vida padre y madre olvida.

V. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 15.
Wenn der Geiß wohl iſt, ſo ſcharrt ſie.

I. G. Thelot sculps.

ho & toti Familiæ Jacobi *bonum Terræ Ægy-*
*ti, pinguedinem Terræ*, μυελὸν τῆς γῆς, Gen. XLV.
8. & Num. XVIII. 12. ad Aharonem DEUS:
*Omnem pinguedinem Olei, omnem quoque pingue-*
*dinem Muſti & Frumenti —— tibi tradidi. (O-*
*mnem medullam olei, & vini, ac frumenti ——*
*tibi dedi.)* Minus placet *Clerico* communis
interpretatio, *adeps renum Tritici*, quia inter
renes & Triticum nullam videt conuenien-
tiam. Mihi contra videtur Orientalium illa
adipis ad optima quæque translatio in ipſa
Natura fundata, proin & *adeps renum Tritici*,
quia ex optimis quibuscunque alimentis opti-
mum, oleoſum, pingue, præuiis digeſtioni-
bus & ſecretionibus transit in Adipem; Adeps
proin potentialiter, ut in Scholis loquuntur,
Vegetabilibus ineſt.

Par ratio eſt *Sanguinis uuæ*, qua Metapho-
rica locutione indigitatur vinum, idque rubri
coloris, præſtantiſſimum, quod & ipſum tranſit
in Sanguinem, nec Sanguinei duntaxat eſt co-
loris. Nota eſt vel imæ Plebis perſuaſio, ſan-
guinem Venæſectione emiſſum reſarciendum
eſſe largo meraci rubri potu. Neque in Scri-
ptura Sacra ſola, & paſſim, occurrit hæc Phra-
ſis, ſed & apud profanos Scriptores. *Achilli*
*Tatio* L. II. Vinum cluet αἷμα βοτρύων, *Sanguis*
*uuæ. Statius* L. XI. *Theb.*

Deferit & pingues Bacchæo ſanguine colles.

Ita & *Ouidius* Mori ſuccum ſanguinis nomine
tingit.

- - - - madefactaque Sanguine radix
Purpureo tinxit pendentia mora rubore.

# TAB. CCCLIX.

## Deut. Cap. XXXII. verſ. 15.

Et pinguis factus rectus calcitrauit, craſſus factus es, obeſus, & Adipe obductus. Dereliquit DEUM factorem ſuum, & ingratus fuit petræ Salutis ſuæ.

Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à DEO ſalutari ſuo.

IN *Equis* aliisque Animantibus id obſeruamus, petulantia reddi & libidinoſa à nimio pabulo. Pari fere paſſu ambulant luxurioſa vita, & officiorum erga DEUM, Proximum, nosmetipſos neglectus. Notum illud Hiſpanorum, *Buena vida padre y madre oluida*; Germanorum, *wann der Geiſs wohl iſt, ſo ſcharret ſie.* Sunt in promptu Phyſicæ Rationes. Ex pabuli ſeu Alimenti abundantia multus generatur Sanguis, copioſus nerueus ſuccus: infarciuntur omnes tubuli, tenduntur Nerui, luxuriat ſemen, cientur in motus omnia. Verùm exuberante Pinguedine pigreſcunt Animantia, preſſis nimium tum ſanguivehis vaſis, tum chordis nerueis. Haud difficilis eſt Phyſicæ hujus & locutionis & interpretationis ad vitam Hominis Rationi difformem applicatio. Teſtis eſt, proh dolor! Experientia vitaque quotidiana. Fundatur hoc Ratiocinio promiſſio illa & comminatio Ezech. XXXIV. 16. *Perditam requiram, propulſatam reducam, confractam ligabo, infirmam roborabo, pinguem verò & fortem compeſcam, & paſcam eam in judicio. (Quod perierat, requiram: & quod abjectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, conſolidabo: & quod pingue & forte, cuſtodiam: & paſcam illas in judicio.)* Pſal. LXXVIII. 31. *Quum ira DEI deſæuire in eos inciperet, occideretque pingues eorum, atque ſelectiores in Iſraele dejiceret. (Et ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſrael impediuit.)*

# TAB. CCCLX.

## Deut. Cap. XXXII. verſ. 24. 33.

24. Aduſti fame, conſumpti ardenti Lue, & amara ægritudine, quin & dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore ſerpentium in puluere.
33. Virus Draconum vinum eorum, & fel Aſpidum ſæuum.

24. Conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.
33. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.

NEmo non & nouit & concipit facile, quod à Fame reddantur Homines τηκόμενοι, conſumpti, ut LXX. habent v. 24. Perdunt continuo plùs, quàm addunt, & id ipſum, quod corpori dant in alimentum, nutriendo corpori eſt inidoneum. Et quid mirum, ſi Homo à lauta victus ratione, à cibis εὐχύμοις ϗ εὐπέπτοις, boni ſucci & facilis digeſtionis, deſcendat ad δυσπέπτȣς ϗ κακοχύμȣς, crudos, inſolitos, mali ſucci, difficilis concoctionis, Naturæ noſtræ non conuenientes, quid, inquam, mirum, ſi deficiat habitus, conſumantur carnes, Homo viuum præſentet Sceleton?

Per רֶשֶׁף *reſcheph, ardentem Luem, brennende Sucht*, commode intelligit *Clericus Anthracem*, ſiue *Carbunculum*, Tumorem ex ardentiſſimis, vel & *Bubonem peſtilentialem*, quia mox ſequitur, conſumptum iri ab *amara ægritudine*. Peſte autem nihil eſt amarius, ſæuius nihil.

בְּהֵמוֹת *Behemoth* nomine, cujus ſpecialior ſignificatus enucleabitur in Jobo, intelligimus varii generis Quadrupedes feras, quæ Dentibus obuia quæque diripiunt.

זֹחֲלֵי עָפָר *Zochale aphar* ſunt in proprio ſignificatu Animalia in puluere Terræ proſerpentia: qua Poetica loquendi formula intelliguntur *Serpentes*, de quorum Veneno varias varii fouent Hypotheſes.

De תַּנִּינִים *Thanninim*, *Draconibus*, multa legas paſſim in Sacris Codicibus, & profanis Scriptoribus, ſed apud hos incerta multa, imo fabuloſa. De qua re nunc fuſiùs differendi nec locus ſufficit, nec tempus. Ex certiſſimis id eſt, *Draconum* nomine intelligi *Serpentes* magnos, ex incertiſſimis id, dari Dracones alatos. In *Hiſtoria* mea *Heluetiæ naturali* & *Itineribus Alpinis* offendes longam ſatis Draconum Helueticorum ſeriem, de qua notari volo, non me Beſtias haſce deſcripſiſſe propriâ Experientia, ſed aliorum relatione fultum.

*Draconibus* denegant *Venenum* Aetius, Iſidorus, *Plinius* L. XXIX. c. 4. Et *Nicander* teſtatur, à morſu Draconum non majus inferri damnum, quàm à muris morſu.

- - ȣ̓ μὲν ὅ γ᾽ αὐτῶν
Ἐγχρίμψας ἤλγυνε; καὶ ἢν ἔκπαγλα χαλεφθῇ.
Βληχρὸν γὰρ μυὸς οἷα νυχηβόρȣ ἐν χροῒ νύγμα
Εἴδεται αἱμαχθέντος ὑπὸ κραντῆρος ἀραιȣ̃.

- - - - - Non is æquè (ac alii Serpentes)
Pungens Dolorem excitat, etiamſi grauiter lædat:
Nam à debili dente cruentato leuis in cute punctio
Apparet, tanquam à Mure, qui noctu vorat.

Attamen heic Moſes memorat *virus Draconum*, & Sap. XVI. 10. τȣ̀ς δὲ υἱȣ́ς σȣ ȣ̓δὲ ἰοβόλων Δρακόντων ἐνίκησαν ὀδόντες. *Filios autem tuos ne venenatorum quidem Draconum ictus vicerunt. (Filios autem tuos, nec draconum nec venenatorum vicerunt dentes.)* Notandum heic, non eſſe Serpentes in Climatibus temperatis & frigidioribus adeò noxios, imo nec in Græcia, niſi vel iræ furore ſuccendantur, vel calidioribus viuant Herbis aut Animalibus, ut Draco ille apud *Homerum Iliad.* χ'. βεβρωκὼς κακὰ φάρμακα. In Africa è contra & Barbaria adeo exaltata ſunt & veluti exacuata ſpicula ſalina volatilia, ut horum Animantium morſus periculo haud careant, imò perſæpe ſint lethiferi. Teſtis eſt præter Experientiam *Lucanus*:

Vos quoque, qui, cunctis innoxia numina Terris,
Serpitis aurato nitidi fulgore Dracones,
Peſtiferas ardens facit Africa.

Quapropter ſagittæ illæ Draconum veneno tinctæ apud *Heliodorum* vulneratis illicò mortem inferebant. *Prudentius Hamartigenæ* v. 481.

Ecce!



DEUT. Cap. XXXII. v. 24 - 33.
Vindicta peccatorum.

V. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 24 - 33.
Gott und Natur der Sünden Feinde.

I. G. Thelot sculps.

PJCB

RPJCP



DEUT. Cap. XXXII. v. 32.
Κακοῦ κόρακος κακόν ῷον.

V. Buch Moſis Cap. XXXII. v. 32.
Der Apfel fällt nicht weit vom Stam̄.

*I. G. Pintz sculps.*

Ecce! Jebuſiacæ ferüent ad prælia turmæ:
Aurea tela, quibus de ſanguine tincta Draconis,
Mortifero ſplendore micant.

*Horatius* L. II. *Satyr.*

\- - - - - - - velut illis
Canidia afflâſſet, pejor Serpentibus Afris.

Obſeruari meretur, occaſione Textus, *Serpentes, cùm occaſio eſt, vinum præcipuè appetere*, teſte Plinio L. X. c. 72. imò vinum temulentiam quandam illis inferre, ut capi facilius poſſint, ſaltim allici. Ariſt. Hiſt. L. VIII. c. 4. Vino etiam intendi eorum venenum. Hinc *Jonathan* in *Paraphraſi* ſua Chaldaica. *Ecce! ut eſt fel Draconum, cum ſunt à vino ſuo (id eſt, poſtquam vinum biberunt,) ita erit fel calicis, è quo bibent in die ultionis eorum.*

*Virus Draconum* ſocium habet *fel Aſpidum ſæuum.* Habent LXX. θυμὸς Ἀσπίδων ἀνίατος, Vulgata *Venenum Aſpidum inſatiabile.* De quo Aſpidis Veneno tradunt unanimiter Hiſtoriæ naturalis Scriptores, eſſe acutiſſimum, cordique per venas redux infeſtum. Ὀξύτατόν ἐςι τὸ ἐξ αὐτῆς φάρμακον, καὶ διαδραμεῖν ὤκιςον. *Ælian.* L. IX. c. 61. Unde Adagium apud *Apoſtolium* & *Eraſmum*, Δῆγμα Ἀσπίδος, *morſus Aſpidis*, de inſanabili malo. De Indole autem hujus Veneni legantur *Ariſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 29. *Plin.* L. VIII. c. 23. *Ælian.* L. I. c. 44. VI. c. 38. *Phile.* c. 59. *Galen.* L. I. *de Theriaca* c. 8. & ex iis Bochart Hieroz. P. II. L. III. c. 5. & 14.

In Tabula hac vinum ex patina lingit *Aſpis vulgaris;* marginem autem ornat *Serpens Indicus Nieremberg.* Si qui enim ex Serpentium Familia Draconum nomine digni ſunt, ſunt prægrandes illi Indici.

# TAB. CCCLXI.

## Deut. Cap. XXXII. verſ. 32.

Quoniam de vinea Sodomorum vitis eorum, atque de aruis Amorræ. Uua eorum uua (a) fellis, botrus amariſſimus eis.

(a) Al. Abſinthii.

De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: uua eorum, uua fellis, & botri amariſſimi.

Dubium haud eſt, abundaſſe, ut aliis præcellentibus fructibus, ita & præſtantiſſimis vitibus totam illam Regionem, quæ juſto DEI judicio cœleſti Igne fuit exhauſta. *Nam priusquam vaſtaret DOMINUS Sodomam & Gomorram, ea pars, quæ circa Zoar eſt, erat ſicut Hortus DOMINI, & ſicut Terra Ægypti.* Gen. XIII. 10. *(Antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.)* Sed poſt cataſtrophen illam, cujus Hiſtoria Tragica legitur Gen. XIX. 24. produxerat, teſte Textu noſtro, *uuas fellis, & botros amariſſimos.* Teſtem habemus *Joſephum Bell. Jud.* L. IV. c. 27. ἔςι δὲ κἂν τοῖς καρποῖς σποδιὰν ἀναγεννομένην ἰδεῖν, οἳ χρόαν μὲν ἔχουσι τοῖς ἐδωδίμοις ὅμοιαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν εἰς καπνὸν διαλύονται καὶ τέφραν, *eſt quoque in fructibus renaſcentes videre cineres, qui colorem quidem habent edulibus ſimilem, carpentium verò manibus in fuliginem fumumque diſſoluuntur ac cineres.* Et *Tacitus Hiſt.* L. V. c. 6. *Haud procul inde, à Lacu ſcilicet Judææ, qui bitumen egerit, campi, quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos, fulminum jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ſpecie torridam, vim frugiferam perdidiſſe. Nam cuncta ſponte edita, aut manu ſata, ſiue herbatenus aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt. Ego ſicut inclitas quondam urbes igne cœleſti flagraſſe conceſſerim, ita halitu Lacus infici Terram, corrumpi ſuperfuſum ſpiritum, eoque fœtus ſegetum & Autumni putreſcere reor, ſolo cœloque juxta graui.* Nec malè philoſophatur magni nominis Hiſtoricus. Terra Sulphure & Bitumine ſaleque prægnans quidnî daret Plantis iisdem particulis imprægnatum nutritium ſuccum? Quodſi, Experientiâ teſte, imo cineribus teſtibus, per Plantarum tubulos ſurgunt ipſæ particulæ Ferri, cur non ſurgeret & ſal bituminoſum amarum, & ſaporem corrumpens & ſtructuram? Nouimus, minus grati eſſe ſaporis uuas, ubi fœtida exhalat mephitis: fumi odore infici vinum iis in vineis, quæ editiori loco ſitæ Urbes habent inprimis ad occaſum. Exempla proſtant apud nos Tiguri.

*Felle* tinctas *uuas* prædicat Textus & Verſio noſtra, ςαφυλὰς χολῆς LXX. per conſequens & male ſanas, imò venenatas *uuas Cicutæ*, ſi ראש *roſch*, præeuntibus *Tremellio* & *Buxtorffio*, red-

damus *venenum*, *Cicutam*, quo ſenſu *Chriſtoph. Helwig Specim. Pharmacol. Sacr. de Antimonio, Cicuta, &c.* Gryphiswaldiæ 1708. vocem hanc ſumit, & Locum Deuter. XXIX. 18. ita vertit: *Ne quis veſtrum ſit Radix germinans Cicutam & Abſinthium, und werde vielleicht eine Wurtzel unter euch, die Schierling und Wermuth trage:* quem eundem ſenſum tribuit aliis quoque locis Jer. IX. 15. XXIII. 15. Thren. III. 5. Hoſ. X. 4. Amos. VI. 12.

Non mutant ſenſum variantes hæ interpretationes, quinimò conſpirant amicè. Quales ſunt vites, tales ſunt uuæ, quales uuæ, tale eſt vinum, quale vinum, talis effectus. Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Uuæ ſi ſint amaræ, ſi felleæ, imò ſi venenatæ, ſi venenum Cicutæ eſt ſimile, quid expectes niſi virulentos in ipſam illam Judæorum degenerem Nationem, niſi virulentos, inquam, lethiferos, quos DEUS interminat effectus?

In gratiam eorum, quibus *Cicuta* pro *Roſch* placet, ſiſto *Cicutam majorem* C. B. I. B. unà cum ejus characteribus. Licet hæc non ſit in noſtris Climatibus adeò venenata, atque *Cicuta aquatica Gesneri* I. B. *Sium alterum Erucæ folio* C. B. de cujus noxis præſtantiſſimum habemus Librum Hippocratis Helvetici *Conr. Wepferi.*

# TAB. CCCLXII.

## Deut. Cap. XXXIII. verſ. 13. 14. 15. 17.

13. Ad Joſeph dixit: Benedicta eſt à DOMINO Terra ejus à delicatiſſimis & dulciſſimis fructibus Cœli, à Rore, & ab Abyſſo infernè cubante.

14. A delicatiſſimis & dulciſſimis fructibus Solis, & à dulciſſimis & delicatiſſimis fructibus (a) menſium.

(a) Ebr. ejectione Lunarum, ejectio autem maturus eſt fructus; Lunæ curſu menſes conſtant, in quibus fruges matureſcunt.

15. Et à capitibus montium Orientalium, & à delicatiſſimis fructibus collium, qui jam olim fuerunt.

17. Decor ejus ut primogeniti Bouis illius, & Cornua illius ut Cornua Unicornis, quibus populos deturbabit pariter usque ad fines Terræ, atque hæc ſunt decem millia Ephraim, & iſta millia Manaſſe.

13. Ad Joſeph quoque ait: De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, & rore atque abyſſo ſubjacente.

14. De pomis fructuum Solis ac Lunæ.

15. De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum.

17. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ: hæ ſunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manaſſe.

Iſdem prope Verbis benedicit agonizans *Jacobus Joſepho* filio Gen. XLIX. 25. atque ſunt ea, quæ leguntur v. 13. *A DEO Patris tui, qui adjuuit te, & cum omnipotente, qui benedixit te, Benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus Abyſſi cubantis infra.* Qui heîc promittuntur *fructus Cœli*, ſunt ibi *benedictiones Cœli.* Utrobique, ut frequentiſſime in Sacro Codice, *Cœli* nomine intelligitur *Aer*, ſiue *Atmoſphæra*, & inde deſtillans Pluuia & Ros: En proin Regionis fœcundiſſimæ proſpectum, cui influxus Aeris eſt benignus, calor Solis maturandis frugibus ſufficientiſſimus, Pluuiæ vernales & autumnales, Ros abundantiſſimus, omnia ad felicitatem diſpoſita. En quomodo DEUS ipſe adloquatur Populum ſuum Malach. III. 10. *In hoc periculum de me ſumite, dicit DOMINUS Exercituum, ſi non aperuero vobis feneſtras cœli, & benedictionem omnigenam vobis effundam. (Probate me ſuper hoc, dicit DOMINUS: Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem*

*usque*



DEUT. Cap. XXXIII. v. 13 - 17.
Iosephi Bos et Rhinoceros.

V. Buch Moſis Cap. XXXIII. v. 13 -17.
Joſeph mit Ochſen und Naßhorn verglichen.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB

*usque ad abundantiam.)* Ubi rurſum ex una parte ſiſtitur *benedictio omnigena* fructuum, ex altera *apertura feneſtrarum cœli;* ex una fructificationis media, ex altera מְגָדִים *megadim* fructus dignitate & præſtantia aliis ſuperiores, מֶגֶד *meged* enim generatim notat rem præſtantiorem & pretioſam.

Per *abyſſum inferne cubantem* hîc & Gen. XLIX. 25. intelligimus Hydrophylacia ſubterranea, à quibus jugiter aſcendentes vapores corticem Terræ ſuperiorem irrigant, Plantis allaturi nutrimentum, ſed quoque ſurgentes in Aera Pluuiæ aliisque Meteoris aqueis materiam præbent. Hujusmodi תְהוֹמוֹת *Thebomoth, Abyſſorum* mentio quoque fit Deut. VIII. 7. DOMINUS DEUS *tuus introducet te in Terram bonam, terram, in qua ſunt Torrentes Aquarum, Fontes & Abyſſi* תְהוֹמוֹת *erumpentes ex Vallibus & montibus.* Ita comparatur *Aſſur Cedro in Libano*, quam *Aquæ nutriuerant, Abyſſus extulit*, Ezech. XXXI. 4. Detegit nobis omnibus his locis Sacer Codex ea, quæ aliàs in ſenſus non incurrunt, ut in penetralia Terræ introſpicere, & videre liceat Theſauros abſconditos, quos quidem & Ratio conjectare valet ex variis indiciis, præſertim in Regionibus montoſis, ubi ſuffena ſatis ſunt Hydrophylaciorum ſubterraneorum indicia, ex quibus flumina, riui, fontes potiori jure deriuanda veniunt, quàm à pluuia vel Niue. Et obſeruandum probe, promittere DEUM heic per Moſen, & ſupra per Jacobum populo ſuo beneficia duo inſignia, quibus Iſraelitæ carebant in Ægypto, utpote cui deeſt & Pluuia ſufficiens, & Abyſſi, de qua Terræ conſtitutione alibi plura.

Sed quoque, ὡς ἐν παρόδῳ, edocemur, Vegetabilia nutriri non ſolùm ex Aquis cœlo deciduis, verùm & ex Abyſſinis: quæ duæ ſcaturigines adeò & præciſè à DEO ſunt commenſuratæ, ut ea ſemper portio Aquarum vel ſuperiorum, vel inferiorum Plantis nutriendis impendatur, quæ & nutritioni & augmento earum eſt neceſſaria, & euidentiſſimum Supremæ Sapientiæ & Bonitatis τεκμήριον.

Dat v. 14. anſam diuerſis Meditationibus. *Solem* ſi conſideremus in reſpectu ad Motum, dat annuus, ut vocant, Tempora quatuor Anni, & in ſingulis nouos fructus, alios Autumno, alios Æſtate, Vere alios, alios Hyeme: diurnus alios tantùm non quotidie in Regione adeò fertili, qualis fuit Canaanitis. Beneficum hocce, Sidus conſideratum ut ingentis molis Globus igneus, Calorem largitur, eumque ſufficientem & neceſſarium, non Terræ ſoli, ſed & toti Vortici Planetico; & docet nos, quotquot ſumus Terricolæ, quotidiana Experientia, producere Solem *fructus*, urgendo vi proportionali ſui caloris ſuccum nutritium in Plantas harumque tubulos ab ipſo illo calore dilatatos. De Solis proin actione nullum eſt dubium.

*Lunam* ſi conſideremus in menſtruo ſuo circa Terram circuitu, commodè poſſumus per גֶּרֶשׁ יְרָחִים *gereſch jerachim*, *ejectionem* vel *protruſionem Lunarum* intelligere ipſos Fructus, quos Terra largitur de menſe in menſem, juxta curſum Lunæ, vel *protrudit*. Sed Phyſico mouere videtur difficultates vernacula noſtra Verſio, *Früchte, welche der Mond hervor trucket*, & ipſi Lunæ vim prementem, vegetabilia ex Terra protrudentem, ſuccumue nutritium in tubulos cogentem. Ut ſanè Agricolæ Hortorumue cultores Regulas ſuas ita dictas Ruſticas motui Lunæ inædificarunt, quibus plus accedit momenti & authoritatis ab imaginatione ſæpe illuſoria, & præconcepta opinione, quàm à Ratione & Experientia. Extra dubitationis aleam eſt, premere Lunam in Globum huncce Terraqueum, & ab ipſa hac preſſione dependere Maris Æſtum, Paroxyſmos epilepticos, conuulſiuos, alia Accidentia. Neque eſt Ætiologia Phyſicis modernis incognita. An verò eadem hæc Preſſio vim ſuam exerat in Plantas, & quousque ſeſe protendat, adhuc eſt incompertum.

Verſiculo 15. parallelus eſt locus Gen. XLIX. 26. ubi abiens ad Patres Jacobus chariſſimo ex filiis Joſepho: *Benedictiones patris tui ampliores ſunt, quam benedictiones majorum meorum, usque ad deſiderabiles colles, qui jam olim fuerunt. (Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictiones patrum ejus: donec veniret deſiderium collium æternorum.) Clericus* habet utrobique *montes & colles æternos, perpetuos.* Notandum autem, Ephraimo & Manaſſi ceſſiſſe in hæreditatem Regionem cis- & trans-Jordanicam, ad Mare usque Mediterraneum, Baſanitidem, Gileaditidem, à Jumentorum pecorumue præſtantia atque copia paſſim in Scriptura commendatas. Jer. L. 19. *Reducam Iſraelem ad ſepta ſua, & depaſcet Charmelum & Baſan, & in monte Ephraim atque in Gilead ſaturabitur deſiderium ejus. (Et reducam Iſrael ad habitaculum ſuum; & depaſcetur Carmelus & Baſan, & in monte Ephraim & Galaad ſaturabitur anima ejus.)* Obtulit ſeſe occaſio ad Deut. XXXII. 14. deprædicandi fertilitatem inſignem Baſanitidis. Sed quoque meretur legi teſtimonium *Joſephi Bell. Jud.* L. III. c. 4. ubi de Samaria, quæ portio fuit Ephraimi & dimidiæ Tribus Manaſſe cis Jordanem: Montes & campos heîc eſſe fertiliſſimos, Arboribus omnis generis obſitos, frugibus refertiſſimos, non quidem abundanti Aquâ irriguos, ſed Pluuiâ largâ fœcundari ſolitos. Aquas dulces, paſcua pinguia, Lac optimum. Regionem in omni angulo habitatam, id quod ſit μέγιστον τεκμήριον ἀρετῆς καὶ εὐθηνίας. Quacum Aſiatica Regione multa conformia habet Heluetia noſtra montoſa, ſed & diſſimilia. Palmam illi lubentes cedimus, quoniam frigus nobis ſæpe infeſtum tranſit ibi in blandum calorem, & montes ipſi colleſque apud nos graminiferi, ibi ſunt arboretis, & vinetis obſiti;

ipſo Borea aſpero mutato in blandum quoddam refrigerium.

Æternitas *montium* & *collium*, *qui jam olim fuerunt*, haud contrariatur Syſtemati, quo Montium horum, qui nunc extant, originem deduco ex Diluuio: extitere enim & ante Diluuium, licet fertiliores fortè noſtris: capita proin ſua extulere in ipſa Creatione. *Priusquam montes mergerentur, ante colles formata ſum, (nec dum montes graui mole conſtiterant, ante colles ego parturiebar,)* id eſt, ante jacta Montium, Mundique fundamenta, infit Sapientia æterna Prov. VIII. 25. eruntque dubio procul ad usque Mundi fines. *Citius & montes locum deſerent, & colles nutabunt, quam vel bonitas mea te deſerat, vel fœdus pacis meæ nutet, ait DOMINUS, qui tui miſeretur.* Jeſ. LIV. 10. *(Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur: dixit miſerator tuus DOMINUS.*

*Decor ejus* (ita clauditur & veluti obſignatur benedictio Joſephi v. 17.) *ut primogeniti bouis illius*; eſt namque Bos ſtaturâ & cornubus multis aliis Animantibus præſtans. *Virgilius.*

Paſcitur in magnis ſyluis formoſa Juuenca.

Hinc eſt, quod Ægyptiorum Rex *Mneuis* Bouem adorari juſſerit tanquam formoſiſſimum, ἁπάντων ὡραιότατον εἶναι πεπιϛευκὼς. *Homerus Iliad.* β'.

Ἠΰτε βȣ̃ς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων
Ταῦρος ——

In armento præcellit ut omnibus unus
Taurus ——

Controuertit apud *Ciceronem L. I. Nat. Deor. Cotta* in conflictu cum Epicureis de Creaturarum eminenti pulchritudine. Hominem volebant hi. *At mehercle*, inquit ille, *quamuis ego amem ipſe me, tamen non audeo dicere pulchriorem eſſe me, quàm ille fuit Taurus, qui vexit Europam.* Sunt ex eruditis, qui ex præſenti Textu, ut & circumſtantiis inſomnii Pharaonis de bis ſeptem Vaccis euincere conantur, veneratos eſſe Ægyptios Joſephum formâ Bouis, *Apis* & *Serapis.* Verùm enim verò non tam perſona Joſephi ipſa heìc comparatur cum Boue, quàm poſteri ejus, *decem millia Ephraim, & iſta millia Manaſſe*, quæ binæ Tribus Bos fuere fortis, ornamento & adjumento toti Iſraeli. Ex Tribu Ephraim fuere fortiſſimus ille Imperator *Joſua*, *Jeroboam*, Reges alii: ex Tribu *Manaſſe Jair*, *Jephthe*, *Gedeon.* Benè quidem conferri poterat Joſeph cum primogenito Bouis, quoniam Jus Primogenituræ, quo Ruben excidebat commiſſo inceſtu, deuoluebatur ex parte ad Joſephum, cui binæ accedebant hæreditatis portiones. vid. 1. Paral. V. 1. 2.

De *Unicornu*, an ſit ad *Capreas*, præeunte *Bocharto*, releganda, vel *Rhinoceros*, quod *Ludolfo* placet, egimus ad Num. XXIII. 22.

# TAB. CCCLXIII.

## Deut. Cap. XXXIII. verſ. 19.

Populos ad montem vocabunt, ubi ſacrificabunt ſacrificia Juſtitiæ, quoniam inundationem Marium ſugent, & reconditos Theſauros arenæ.

Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas juſtitiæ: qui inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum.

Ecquis heic quæſiuerit *Vitrum?* Et ſanè per *reconditos theſauros arenæ* intelligit *Jonathan*, Chaldæus interpres, ipſum Vitrum & Specula, quia Vitri potiſſima Materia eſt ipſa Arena, quæ ſub Microſcopio conſpicitur ſub forma ſiliculorum varicolorum & pellucidorum. Videas oculo nudo Arenæ puluiſculum, armato Adamantem, Rubinum, aliam ex pretioſis Gemmam: ita ſub Imaginationis tuæ Microſcopio vanam Mundi Gloriam, ablato eo puluiſculum, fragile Vitrum. Siliculo huic arenoſo adſociatur Cinis, ut Salium beneficio fluida reddatur Arena. Sed videamus, quo nitantur fundamento *Jonathanis* Theſauri ſeu Arenæ, ſeu Vitri. Spectat, de quo nunc, Verſiculus Benedictionem impertitam *Sebuloni.* Ad fines hujus Tribus oſtium eſt *Beli* Fluminis, quod præſtantiſſimam dabat pro Vitri confectione arenam, & aliquandiu ſolam. Audi *Strabonem* L. XVI. p. 521. Μεταξὺ τῆς Ἄκης ϗ Τύρȣ θινώδις αἰγιαλός ἐϛιν, ὁ φέρων τὴν ὑαλίτην ψάμμον. Ἐνταῦθα μὲν ȣ̃ν φασὶ μὴ χεῖσθαι, κομισθεῖσαν δὲ εἰς Σιδόνα τὴν χωνείαν διέχεσθαι. *Inter Acen & Tyrum Littus eſt vitri arenam*



DEUT. Cap. XXXIII. v. 19.
Thesauri in arena.

V. Buch Moſis Cap. XXXIII. v. 19.
Sand = Schätze.

*I. G. Pintz sculps.*

JCB

RPJCB



DEUT. Cap. XXXIII. v. 25.
Aser Metalli foſsor.

V. Buch Moſis Cap. XXXIII. v. 25.
Aſer ein Berg-Knappe.

I. G. Pintz sculps.

*arenam ferens ; non quidem ibi fundi dicunt, ſed Sidone. Plinium* L. V. c. 19. *Riuus Pagida ſiue Belus Vitri fertiles arenas paruo litori miſcens. Tacitum Hiſt.* L. V. *Et Belus amnis Judaico Mari illabitur, circa cujus os conlectæ arenæ admixto nitro in vitrum excoquuntur. Modicum id litus, ſed egerentibus inexhauſtum.* Similia habet ex *Solino* Auctor *Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ* inſertæ Geſtis DEI per Francos p. 1166. Imò fortè Vitri nomen ὑελὸς, ὕαλος vel de nomine Fluminis hujus *Beli* ductum conjectat Cl. *Relandus Palæſtin.* p. 290. aut ab Hebraico חול *Chol, arena.* Et quid ſi ipſum Germanorum *Glas* deriuaretur à Græco ὑελὸς? Sed hanc vocum Genealogiam aliis linquo. Adde *Joſephum de Bell. Jud.* L. II. c. 9. cui Fluuius hic βηλεὺς nuncupatus, binis ſtadiis à Ptolemaide labens alluit Vallem rotundam, cui dat ὑαλίνην ψάμμον, vitri feracem arenam, quâ integræ onerantur Naues. v. plura ad Job. XXVIII. 17.

# TAB. CCCLXIV.

## Deut. Cap. XXXIII. verſ. 25.

Ferrum & Æs ſub calceamentis tuis —

Ferrum & Æs calceamentum ejus —

FUit, ſi quæ alia Palæſtinæ Regio, *Aſeritis* omnibus & præſtantiſſimis rebus ad vitæ tum neceſſitatem, tum jucunditatem, affluentiſſima. Tritici ſeges uberrima, olei præſtantiſſimi abundantiſſima copia. *In oleo tinget* Aſer *pedem ſuum.* v. 24. Vinum generoſiſſimum dabat *Sarepta.* Piſces ſapidiſſimos, imò & Purpuram pretioſiſſimam *Mare Tyrium.* Ligna in æuum duratura *Libanus. Ferrum & Æs ſub calceamentis* Aſeris. *Aſer* ergò *metallifoſſor*, uti eum ampla & erudita Diſſertatione exhibet *Erneſtus Fridericus Cobius* Eisfelda-Francus Præſide *Joh. Chriſtophoro Wichmanshauſen*, Ling. Or. Prof. Wittemb. 1722. Lit. viduæ Gerdeſiæ. Æris fœcundus fuit, qui totus Aſeris fuit, *Carmelus* Mons, ὄρος ἱερὸν Διὸς, ut *Scylaci* cluet. En *Heſychii* Teſtimonium! Κέρμηλος, ἀφ' οὗ χαλκὸς γίνεται. *Cermelus, unde Æs prouenit, ſeu gignitur.* צַרְפַת *Sarepta*, urbs inter Tyrum & Sidonem media, Aſeritidi contermina, ſed Sidoniorum, ab ipſa metallorum conflatura צָרַף *tſaraph* nomen habere videtur. *Eumæus* ipſe Sidonius patriam ſuam ut Ære diuitem laudat apud *Homerum Odyſſ.* ὀ. v. 424.

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι.

Ærifera ex Sidone genus mihi glorior eſſe.

*Libanum* montem Æris feracem deprædicat vel χαλκολίβανος, vox in Apocalypſi obuia, ſi *Æs Libani* vel *Libanenſe* notat, ita eam exponentibus *Andrea* & *Aretha* Cæſarienſibus, Syro atque Æthiope. De Dauide conſtat ex 2. Sam. VIII. 8. eum multum Æris deprompſiſſe ex Urbibus *Hadadezeri, Bethacb,* & *Berothai*, quæ *Tibbchath* & *Chun* vocantur. 1. Paral. XVIII. 8. Has autem Urbes ad Libani radices *Emeſam* inter ſeu *Epiphaniam* & *Damaſcum* collocant multi, tanquam *Syriæ Zobæ* oppida, licet hanc ad Euphratem & in Arabiam usque promoueat *Bochartus.* Imò primas Æris fodinas ad Libanum relegat *Matheſius Sarept.* p. 99. b. Alia, quæ in hunc Textum dici poſſunt, linquo Geographis, Criticis, Interpretibus aliis, ablegans inprimis Lectorem ad *Aſerem metallifoſſorem* ſupra & laudatum & citatum.

# SUPPLEMENTA IN DEUTERONOMUM.

## Deut. Cap. IX. verſ. 9.

Quum aſcenderem in Montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas fœderis, quod DOMINUS feriit vobiscum, & manerem in Monte quadraginta dies, & quadraginta noctes, quando nec panem comedi, nec Aquam bibi.

Quando aſcendi in Montem, ut acciperem duas tabulas lapideas pacti, quod pepigit vobiscum DEUS: & perſeuerаui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens.

*Vide Exod. XXXIV. 28.*

## Deut. Cap. IX. verſ. 21.

Peccatum quoque veſtrum, quod feciſtis, nempe vitulum, tuli, & igne illum combuſſi, & contudi eum molendo, idque benè, donec puluis fieret tenuis, abjecique pulueгem ejus in torrentem, qui è monte defluit.

Peccatum autem veſtrum, quod feceratis, id eſt vitulum, arripiens, igne combuſſi, & in fruſta comminuens, omninoque in pulueгem redigens, projeci in torrentem, qui de monte deſcendit.

*Vid. Exod. XXXII. 20.*

## Deut. Cap. XII. verſ. 15. 21. 22.

15. Veruntamen pro omni Animi tui deſiderio mactabis & comedes carnem juxta benedictionem DOMINI DEI tui, quam dedit tibi in omnibus portis tuis, tam immundus, quàm mundus ex ea comedent, quemadmodum Capream aut Ceruum.

21. Si verò procul à te fuerit locus, quem elegerit DOMINUS DEUS tuus, ut illuc ponat nomen ſuum, mactabis de armentis tuis & gregibus tuis, quæ dederit tibi DOMINUS, quemadmodum præcepi tibi, & comedes in portis tuis pro omni deſiderio animi tui.

15. Si autem comedere volueris, & te eſus carnium delectauerit, occide, & comede juxta benedictionem DOMINI DEI tui, quam dedit tibi in urbibus tuis; ſiue immundum fuerit, hoc eſt maculatum & debile: ſiue mundum, hoc eſt integrum & ſine macula, quod offerri licet, ſicut Capream & Ceruum, comedes.

21. Locus autem, quem elegerit DOMINUS DEUS tuus, ut ſit nomen ejus ibi, ſi procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, ſicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.

22. Et

22. Et ſicut Caprea comeditur atque Ceruus, ſic comedes illa, mundus & immundus pariter veſcentur illis.

22. Sicut comeditur caprea & ceruus, ita veſcèris eis: & mundus & immundus in commune veſcentur.

Deut. XIV. 4. 5. adnumerantur Cerui & Capreæ Animantibus mundis, & 1. Reg. IV. 23. pro menſa Regia Salomonis in parato ſtabant quotidie *decem boues ſaginati, & viginti boues paſcales, centumque oues, præter Ceruos, Capreas, Ibices, ſaginata & altilia.* Ferunt Cerui & Capreæ notas Animantium mundorum characteriſticas, Ruminationem, & Ungulas fiſſas. Imo in Textu noſtro commendatur Animalium horum caro ut deliciosa admodùm, qua veſci poterant Judæi, *& pro deſiderio Animi ſui.* Ita in Prouerbium apud Germanos abiit Caponum caro, quacum comparamus aliam omnem boni guſtus, *es iſt zu eſſen wie Capaunen-Fleiſch.* Numeroſiſſimos fuiſſe, & obuios ubique in Judæa Ceruos, conſtat ex *Æliano*, qui ad finem Libri V. caput habet περὶ τῶν ἐν τοῖς Σύροις ἐλάφων, idque inchoat ita. Ὁι ἐν Σύροις ἔλαφοι γίνονται μὲν ἐν ὄρεσι μεγίςοις, Ἀμάνῳ τε ϗ Λιβάνῳ, ϗ Καρμήλῳ. *In Syria Cerui degunt in Montibus altiſſimis, Amano, Libano, & Carmelo.* Hinc eſt, quòd ut heic, ita alibi quoque in Sacris frequens fiat dictorum Animalium mentio, & ex iis deſumatur non una loquendi ratio. Jer. XIV. 5. *Cerua, quem in agro fœtum peperit, reliquit, quod non ſupereſſet herba,* nempe præ nimia ſiccitate. Cant. II. 7. III. 5. *obteſtatur* ſponſa Eccleſia *fœminas Hieroſolymitanas per Capreas & per Ceruas in agris agentes;* ex quo Loco colligere eſt, demiſiſſe ſeſe hæc Animalia ex Montibus in campos. Eſt aliàs ceruina caro malæ famæ apud Medicos. Τὰ τῶν ἐλάφων κρέατα κακόχυμά ἐςι καὶ δύσπεπτα, καὶ μελαίνης χολῆς γεννητικά. *Sunt Carnes Ceruorum mali ſucci & difficilis coctionis, atramque generant bilem. Simeon Sethi* & *Aet. Tetrab.* 1. Serm. 2. c. 121. Licet vero in deliciis reponatur Ceruorum & Caprearum caro paſſim in Sacris, exulauit tamen à Sacrificiorum uſu.

## Deut. Cap. XII. verſ. 16. 23. 24.

16. Modò ſanguinem ne edatis, ſed in terram effundatis velut aquam.

23. Modò in hoc ſis firmus, ne ſanguinem edas, (nam ſanguis eſt ipſa anima) ne ergò comedas animam cum ipſa carne.

24. Non, inquam, comedas ipſum, ſed eum in terram ut aquam effunde.

16. Abſque eſu duntaxat ſanguinis, quem ſuper terram quaſi aquam effundes.

23. Hoc ſolum caue, ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus.

24. Sed ſuper terram fundes quaſi aquam.

*Vid. Gen. IX. 4.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 7.

Hoc tamen non comedetis ex his, qui ruminationem ſurſum reuocant, & ex his, qui ungulam ſeparant ac fiſſuram, nempe Camelum, Leporem & Cuniculum, quæ quidem ruminationem reuocant, at ungulam non ſeparant, ergò immunda erunt vobis.

De his autem, quæ ruminant, & ungulam non findunt, hæc comedere non debetis, Camelum, Leporem, Chœrogryllum: quia ruminant, & non diuidunt ungulam, immunda erunt vobis.

*Vid. Leuit. XI. 4. 5. 6.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 8.

Et ſus, tametſi ungulam ſeparat, non tamen ruminat, ideo immundus ſit vobis. De carne talium non comedetis, & cadauer eorum non tangetis.

Sus quoque, quoniam diuidit ungulam, & non ruminat, immunda erit: carnibus eorum non veſcemini, & cadauera non tangetis.

*Vid. Leuit. XI. 7. 8.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 9. 10.

9. Hoc verò comedetis ex omnibus, quæ in Aqua ſunt. Quidquid pinnulas habet & ſquamas, comedetis.
10. Quicquid verò pinnulas & ſquamas non habet, immundum ſit vobis.

9. Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis. Quæ habent pinnulas & ſquamas, comedite:
10. Quæ abſque pinnulis & ſquamis ſunt, ne comedatis, quia immunda ſunt.

*Vid. Leuit. XI. 9 — 12.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 11.

Omnem Auem mundam comedetis.

Omnes aues mundas comedite.

*Vid. Leuit. XI. 13.*

In Latina Verſione noſtra pro *autem* lege *Auem.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 12.

Hæc verò ſunt, de quibus non comedetis, Aquila, Accipiter, Aquila marina.

Immundas ne comedatis: Aquilam ſcilicet, & Gryphem, & Haliæëtum.

*Vid. Leuit. XI. 13.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 14.

Omnis quoque Coruus juxta ſpeciem ſuam.

Et omne Coruini generis.

*Vid. Leuit. XI. 15.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 15.

Struthio, Noctua, Cuculus, Niſus juxta ſpeciem ſuam.

Et Struthionem ac Noctuam, & Larum, atque Accipitrem juxta genus ſuum.

*Vid. Leuit. XI. 16.*

Deut.

## Deut. Cap. XIV. verſ. 16.

| | |
|---|---|
| Ny&icorax, Bubo, Porphyrio. | Herodium ac Cygnum, & Ibin. |

*Vid. Leuit. XI. 16. 17.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 17.

| | |
|---|---|
| Ibis, Pelecanus & Mergulus. | Ac Mergulum, Porphyrionem & Nyćticoracem. |

*Vid. Leuit. XI. 16. 17.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 18.

| | |
|---|---|
| Ciconia, Graculus juxta ſpeciem ſuam. Upupa & Veſpertilio. | Onocratulum, & Charadrium, ſingula in genere ſuo: Upupam quoque & Veſpertilionem. |

*Vid. Leuit. XI. 19.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 19.

| | |
|---|---|
| Quidquid ex volucribus repit, immundum ſit vobis, nec comedatur. | Et omne, quod reptat & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur. |

*Vid. Leuit. XI. 20.*

## Deut. Cap. XIV. verſ. 20.

| | |
|---|---|
| Omnem vero Volucrem mundam edere poteſtis. | Omne quod mundum eſt, comedite. |

Inferre licet ex v. 11. quo eſus Auium mundarum eſt conceſſus, & collatis Lev. XI. 21. 22. ubi mentio fit *volucrium reptantium*, ſiue Inſectorum, etiam mundorum, quod heic per עוֹף *oph*, & in Leuitico per שֶׁרֶץ הָעוֹף *Scherets haoph* intelligi debeant non Aues propriè ita dictæ, τὰ πετεινὰ τῶν ἐρανῶν, ſed Animalia volatilia ſimul & reptantia, & in ſpecie Locuſtæ.

## Deut. Cap. XIV. verſ. 21.

| | |
|---|---|
| Ne edatis ullum morticinum, ſed peregrino, qui eſt intra portas tuas, dabis illud, ut ipſum comedat, aut vendas ipſum alieno, quia tu populus ſanctus es DOMINO DEO tuo. Ne coquas Hoedum in lacte matris ſuæ. | Quicquid autem morticinum eſt, ne veſcamini ex eo: peregrino, qui intra portas tuas eſt, da ut comedat, aut vende ei: quia tu populus ſanctus DOMINI DEI tui es. Non coques Hoedum in lacte matris ſuæ. |

*Vid. Exod. XXIII. 19.*

## Deut. Cap. XXII. verſ. 11.

Ne induas veſtem, quæ ex Lana & lino ſimul contexta eſt.

Non indueris veſtimento, quod ex Lana linoque contextum eſt.

*Vid. Leuit. XIX. 19.*

## Deut. Cap. XXIII. verſ. 12. 13.

12. Locus quoque ſit tibi extra Caſtra, ad quem foras egrediaris.

13. Lignumque præacutum in baltheo, cum quo foris ſedens fodias, conuerſusque operias excrementum tuum.

12. Habebis locum extra Caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ.

13. Gerens paxillum in baltheo: cumque ſederis, fodies per circuitum, & egeſta humo operies, quo reuelatus es.

VIdimus ſupra occaſione Lepræ aliorumque Morborum immundorum, eam ab Iſraelitis excultam fuiſſe vitæ puritatem, quam nullus unquam ullibi locorum obſeruauit Exercitus. Teſtimonium hujus rei euidentiſſimum eſt Lex, quæ præcipitur in Textu, ſed non ita intelligenda venit, quod qui officio hocce Naturæ neceſſario defungi debebat, exeundum habuerit extra omnia tria Caſtra, qualia fuere in Deſerto, id enim neque conueniſſet cum innumera Hominum multitudine, neque cum viæ longinquitate. Sed applicanda eſt futuris quibusuis Caſtrametationibus, quod conſtat ex v. 9. *Quum egreſſus fueris cum exercitu contra hoſtes tuos, cuſtodies te ab omni re mala.* Et præcauere vult Legislator cumprimis morbis caſtrenſibus epidemicis, peſtilentialibus, qui ſi corripiant Exercitum, inprimis in Orientalibus illis Regionibus, ingentes edunt ſtrages, diſperſis μιάσμασι noxiis majori copia, majorique velocitate per Aera, pro intenſiori gradu caloris. Docet nos Experientia, Dyſenteriam in ſpecie mediantibus halitibus Excrementorum ab una domo in aliam, in Caſtris ab uno Tentorio ad aliud, ab una Cohorte in aliam, tranſire facillimè, & vel ea propter injungi effuſionem fæcum aluinarum in aquam fluentem, vel etiam earundem defoſſionem ſub Terra.

## Deut. Cap. XXIX. verſ. 5.

*Vid. Deut. VIII. 4.*

## Deut. Cap. XXIX. verſ. 23.

Sulphure & Sale exurentibus uniuerſam Terram ejus, ut ſeminari non poſſit, non germinante, neque exoriente in ea ulla herba, ſicut in loco ſubuerſionis Sodomæ & Aemoræ, Admæ & Zeboim, quas ſubuertit DOMINUS in ira ſua atque furore ſuo.

Sulphure & Salis ardore comburens, ita ut ultra non feratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum ſubuerſionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira & in furore ſuo.

DE Excidio illo triſti Sodomæ ac Gomorræ actum fuſius ad Gen. XIX. 24. &c. Ibi legas *Sulphur & Ignis* heic *Sulphur & Sal.* Inde conjectat *Guil. Clarke* in *Hiſt. Nat. Nitri* c. 2. p. 34. per *Ignem* intelligi debere *Sal Nitri:* Si conjecturæ huic eſt locus, conferri poteſt commodè materia illa ſuper maledictas urbes effuſa Pulueri Pyrio, cujus ſtupendas vires hodie multæ urbes atque Fortalitia experiuntur, atque deplorant, proprio exitio.

LIBRI

RPJCB




Ios. cap. II. v. 6.
Exploratores ſub lino.

Buch Joſua Cap. II. v. 6.
Verborgene Kundſchaffter.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

TAB. CCCLX



Ios. Cap. II. v. 9-24.
Canaanitæ perterriti.

Buch Joſua Cap. II. v. 9-24.
Die erſchrockene Canaaniter.

M. Tyroff sculp.

# LIBRI HISTORICI.

# LIBER JOSUÆ.

## TAB. CCCLXV.

### Joſ. Cap. II. verſ. 6.

At ipſa duxit eos ſurſum ſuper Tectum, abſconditque eos ſub cauliculis Lini, qui ſtructi erant ei ſub Tecto.

Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat.

De *Tectis* Judæorum, aliorumque Orientalium Populorum planis egimus ad Deut. XXII. 8.

פִּשְׁתֵּי *Cauliculi Lini*, *Flachs-Stengel* Nobis, LXX. λινοκαλάμη. Dubitet quis, an intelligi debeant integri Lini cauliculi, quales ex Agris domum portantur, vel ἀποσπασμάτια illa ex Lini ipſius ſeparatione reſidua in cumulos congeri ſolita? Linum certè ipſum ſeparatum haud eſt. Quicquid illorum ſit, potuere exploratores abſcondi ſub cauliculis integris æquè ac fractis. In Originali legitur בְּפִשְׁתֵּי הָעֵץ *in linis Ligni*, per hypallagen pro *Lignis Lini*, ubi obſeruandum, עֵץ *etz*, *Lignum* Orientalibus populis ſignificare omne id, quod Ignem ſuſcipit, & in flammam atque cineres abit. Locus extat *Ulpiani in Digg.* L. XXXII. *Leg.* 55. *Ligni* §. 5. *Lignorum appellatione in quibusdam Regionibus, & in Ægypto, ubi Arundine pro Ligno utuntur, & Arundines & Papyrus comburitur, & herbulæ quædam vel Spinæ vel Vepres continebuntur.* Dubitat nihilominus *Hillerus Hierophyt.* P. II. p. 131. an paruulus Lini cauliculus Ligni mereatur nomen, & ſuffragium potius dat *Cannabis* cauli, quæ Planta ramis latè diffuſis arbuſculæ præbeat ſpeciem, & ex ipſo hoc ſtipite quidem faciant Carbones pyrio pulueri parando utiles. Lectori interim utramque Plantam ſiſto. Seligat is quam velit. *Linum* commune ſatiuum quia alibi jam exhibuimus, ſiſtere nunc lubet ex ſplendido opere Ill. *Sloanii Hiſt. Nat. Jamaic.* vol. I. p. 206. Tab. 130. *Linum ſcandens flore dilute purpureo ſemine triangulari:* An *Linum ſarmentoſum ſeu volubile Jamaicanum flore cœruleo. Plukenet Almag.* p. 224. Fig. A. *Cannabis* Fig. B.

## TAB. CCCLXVI.

### Joſ. Cap. II. verſ. 9. 24.

9. Dixitque ad viros: Noui, quod DOMINUS tradiderit vobis hanc Terram, irruit enim Terror veſter ſuper nos, omnesque Terræ hujus habitatores conſternati (a) ſunt metu veſtri.

(a) Ebr. liquefacti ſunt à facie veſtra, ſeu reſoluti.

24. Dixerunt autem ad Jehoſua: DOMINUS tradidit uniuerſam

9. Et ait ad eos: Noui, quod DOMINUS tradiderit vobis Terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores Terræ.

24. Atque dixerunt: tradidit DOMINUS omnem terram hanc in



ter-

terram in manum noſtram; metu noſtri omnes habitatores Terræ iſtius diffluxerunt.

manus noſtras, & timore proſtrati ſunt cuncti habitatores ejus.

MEmorabile heic, ſi in Sacro Codice ullibi, ſi in toto Terrarum Orbe unquam occurrit *Metus* Exemplum, *Terroris*, qui à DOMINO *irruit* non in Mortalium unum, non in decem, centum, *ſed in omnes Terræ* Canaaniticæ *habitatores*, qui omnes *conſternati*, juxta originale נָמֹגוּ *namogu liquefacti* ſunt, à מוּג *mug liquefactus*, nempe præ metu. Vocem hanc omiſere LXX. in Codicibus Aldino, Alexandrino, & Romano. Sed Complutenſis habet v. 9. καὶ κατέπτησσαν πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν ἀφ᾽ ὑμῶν.

Sunt equidem omnes *Animi Paſſiones* Ventis impetuoſis, imò Turbinibus ſimiles, quæ placidum Mare, Sanguinis Maſſam, Neruorum ſubtiliſſimum fluidum, imo totum Hominem in fluctus ſpumoſos concitant, & quoties irruunt, totum ex Anima & Corpore compoſitum, integrum Hominem conſternunt, & proſternunt. Sed eſt una ex impetuoſioribus, & periculi plena, *Metus* ſiue *Terror*, quæ pro objecto habet imminens malum. Fugit id Anima noſtra, & ſeſe ipſa veluti in ſeipſam contrahit quaſi, non videns extra ſe, quò ſe vertat, aufugium. Salutem quærunt reflui ad Cerebrum Spiritus veluti in Caſtris Prætorianis, ſed & heic motibus inordinatis diſcurrunt anxii: ſtant comæ, vox faucibus hæret. Tardigradus eſt fluidi hujus neruei in exteriora Senſus & Motus Organa influxus, ſpeciatim vero in Corporis Machinam primariam, Cor: remittunt in tenſione Nerui. Hinc non mirum, refrigeſcere extrema, palleſcere faciem, ſudorem prodire frigidum per Cutis poros, laxari Sphincteres alui & Veſicæ, vincula Linguæ, congeri Sanguinem & tantùm non coagulari in Cordis Thalamis: qui coagulationis ſtatus oppoſitus prorſus videtur illi *liquefactionis* vel *diſſolutionis*, de quo Textus. Hic nodus ut ſoluatur, ſciendum, in ipſa Laticis ſanguinei coagulatione, ſiue partium viſcidiorum congeſtione fieri quoque fluidiorum ſeparationem, proin veram liquefactionem. In ſtatu hocce eſt optimum remedium Ratio ſana, quæ dominium arripit, & fluidum nerueum ad extremas partes amandat, Imperatorio veluti juſſu. Hæc ipſa verò ſi nihil inueniat aufugii, nihil auxilii, ſeipſam veluti ſepelit in corpuſculo viuo, ſed debili, præcipitatque in *Deſperationem*, vel & dubia anxiaue media quæcunque obuia arripit, naufragium euaſura, ſicque tranſit in *Audaciam* ſiue *Temeritatem*, ubi omnia minantur exitium, Cor violentam patitur & concuſſionem & contractionem, Muſculi corporis totius in vagos cientur Motus, roborantur Brachia, Vultus toruam induit faciem. Et conſtabit ex ipſo Hiſtoriæ Joſuæ, quam tractandam ſumſimus, progreſſu, præcipitaſſe ſe Canaanitas ex Terrore ac Metu in bina hæc extrema, Deſperationem & Temeritatem, id quod paſſim obſeruare licet in Melancholicis & Maniacis.

Ex hac Metus Terroriſque Ætiologia haud difficulter concipere licet, quomodo *Cor Nabalis emortuum fuerit in ipſo, & factum tanquam lapis*, poſtquam nempe euaporauerat Vinum, & Dauidis generoſa declaratio fuerat Euclioni illi ab Abigaele indicata. 1. Sam. XXV. 37. Ita *corruerat* Saul *ilico in terram quantus quantus erat*, nam *timuit vehementer à verbis Samuelis, ut nullum robur eſſet amplius in eo. (Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo.)* 1. Sam. XXVIII. 20. Ita *Daniel* de ſeipſo: *Per hanc apparitionem in me conuerſi ſunt cardines mei, nec vires retinui. — Me virtus modo deſtituit, neque in me reliquus eſt factus ſpiritus vitalis.* X. 16. 17. *(In viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium. — nihil enim in me remanſit virium, ſed & halitus meus includitur.) Jobo* Patientiæ illi Exemplari *Cor expaueſcebat, ac luxabatur è loco ſuo.* XXXVII. 1. Ita *forma Regis Belſazar immutata eſt, & cogitationes ſuæ perturbauerunt eum, vinculaque lumborum illius ſoluta, & genua mutuum colliſa ſunt.* Dan. V. 6. Et quod heic de Canaanitis legimus, conſectarium fuit imprecationis Moſaicæ, Exod. XV. 16. *Cadat ſuper eos tremor & pauor, in magnitudine brachii tui obſtupeſcant quaſi lapis, donec pertranſierit populus tuus, o* DOMINE! *(Irruat ſuper eos formido & pauor: in magnitudine brachii tui, fiant immobiles quaſi lapis: donec pertranſeat populus tuus,* DOMINE!)

TAB.

RPJCB



Ios. Cap. III. v. 4-14.
Transitus per Iordanem.

Buch Joſua Cap. III. v. 4-14.
Iſrael geht durch den Jordan.

M. Tyroff sculps.

# TAB. CCCLXVII.

## Joſ. Cap. III. verſ. 4. 13. ad fin.

4. Sic tamen, ut ſpatium ſit inter vos & illam circiter duo millia Cubitorum, ne ad illam appropinquetis, ut ſciatis, qua via vobis ſit incedendum, nam hac via antea non inceſſiſtis.

4. Sitque inter vos & arcam, ſpacium cubitorum duûm millium: ut procul videre poſſitis & noſſe, per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulaſtis per eam, & cauete, ne appropinquetis ad arcam.

13. Et quum conſtiterint Plantæ pedum Sacerdotum, qui portant Arcam DOMINI Dominatoris uniuerſæ Terræ, intra Aquas Jordanis, Aquæ Jordanis ſcindentur, & Aquæ illæ, quæ ſupernè defluunt, conſiſtent inſtar muri.

13. Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum Sacerdotes, qui portant Arcam DOMINI DEI uniuerſæ terræ, in Aquis Jordanis, Aquæ quæ inferiores ſunt, decurrent atque deficient; quæ autem deſuper veniunt, in una mole conſiſtent.

14. Factum eſt autem, quum proficiſceretur Populus è Tabernaculis ſuis, ut transiret Jordanem, (ibant) ante populum Sacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis.

14. Igitur egreſſus eſt populus de Tabernaculis ſuis, ut tranſiret Jordanem: & ſacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis, pergebant ante eum.

15. Quumque hi, qui Arcam Fœderis portabant, ingrederentur Jordanem, pedesque Sacerdotum, qui Arcam ferebant, tincti eſſent in prima parte Aquarum. (Solet enim Jordanis ſuper omnes ripas ſuas cunctis diebus Meſſis effundi.)

15. Ingreſſisque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis: (Jordanis autem ripas aluei ſui tempore Meſſis impleuerat.)

16. Conſtiterunt Aquæ, quæ ſupernè defluebant, inſtar Muri, valde procul à ciuitate Adam, quæ erat à latere Zarthani, quæ verò infra erant (aquæ) defluebant ad Mare ſolitudinis, mare ſcilicet Salis, ſeparatæ defecerunt, transiitque populus à regione Jericho.

16. Steterunt aquæ deſcendentes in loco uno & ad inſtar Montis intumeſcentes apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Edom, usque ad locum Sartham: quæ autem inferiores erant, in Mare ſolitudinis, (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt, usque quo omninò deficerent. Populus autem incedebat contra Jordanem.

17. Stabant autem Sacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis DOMINI, in ſicco in medio Jordane præparati, & cunctus Iſrael

17. Et ſacerdotes qui portabant Arcam Fœderis DOMINI, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Jordanis accincti, omnis-

 trans-

transibat in ſicco, donec uniuerſus populus perfectè transiiſſet Jordanem.

que populus per arentem alueum tranſibat.

Debebat, ex deuota Iſraelitarum erga Arcam veneratione, *ſpatium* inter illos & hanc eſſe *circiter duo millia Cubitorum*, id eſt 3333. pedum Pariſinorum, quibus addere, ſi lubet, poteris 1. pollicem, 4. Lineas. Conſtant hæc ex v. 4. & à *Clerico* intelliguntur duntaxat de Itineris progreſſu, non de caſu præſenti. Sed videtur mihi applicabile hoc Præceptum ad Tranſitum per Jordanem. Stabat, quod ex ſequentibus patebit, Arca in medio Fluminis alueo, & defendebat, paries uti intergerinus defendit Ædem ab incendio, Populum DEI ab irruptione Fluuii & inundatione. Defluebat Aqua infra Arcam verſus Mare mortuum, & poterat adeò Tranſitus fieri 2000. Cubitorum ſpatio infra Arcam, ut in Tabula videre licet.

Stupendum heic occurrit, μέγα λίαν θαῦμα. Stat Fluidum contra, imo ſupra Naturæ vires, perpendiculariter Muri ad inſtar erectum: perdunt globuli Aquei & Grauitatem in ſe mutuam, & inteſtinum motum, vel ſaltem non exſerunt. Exercitus prorſus ſingularis & ſui generis, in quo Aciem primam conſtituit Arca lignea à Sacerdotibus nonnullis geſtata, imò DEUS Ter Optimus, Ter Maximus, Exercituum DOMINUS, qui Prætorianis militibus haud opus habet: ubi Lorica extructa ex Aqua contra fluentis Aquæ impetum: ubi oppoſitæ ripæ non ſtipantur Hoſtium numeroſo Exercitu, ſed ſolus & inuictus toti Naturæ hoſtis eſt Aqua, victus ab Eo, qui in ipſa Creatione *congregari* juſſit *Aquas*, *ſub expanſione*, *ſub cœlis*, *unum in locum*, *ut appareret continens.* Gen. I. 7. 9. Victoria reportata, non de Exercitu Canaanitico, ſed fluido & mobiliſſimo Elemento, imo de Natura ipſa, & Motus Legibus, adſcribenda Authori Naturæ, *Dominatori uniuerſæ Terræ.* v. 13. Eſt hoc Phænomenon infinitis diſtans paraſangis à Naturæ terminis, per conſequens & omni Ratiocinio Philoſophico ſuperius. Poſito licet, quod vult *Grew Coſmol. Sacr.* L. IV. c. 5. ſpiraſſe Ventum, quem Tornado vocant, contra Jordanem, de quo tamen nullum extat indicium in Sacro Codice, non plus tamen is contribuere poterat ad ſuſpenſionem vel erectum ſitum Aquarum, quàm contulit ille Orientalis in Tranſitu populi Iſraelitici per Mare Rubrum. Miraculo aſſurrexere Aquæ in cumulum, potentiſſima DEI manu ſuffultæ.

Debebat Miraculo hocce fides Iſraelitarum firmari, & Prophetiæ addi pondus. *Dixit* DOMINUS *ad Jehoſuam: Hodie incipiam te magnificare in oculis totius Iſraelis, ut intelligant, me tecum fore, quemadmodum fui cum Moſe.* Joſ. III. 7. & v. 10. *In hoc cognoſcetis, quod DEUS viuens ſit in medio veſtri, & omnino expellat ante vos Chananæum, &c.* Eodem ſtylo utitur Moſes Numer. XVI. 28. *In hoc cognoſcetis, quod DOMINUS miſerit me, ut facerem cuncta iſta opera, neque ex corde meo.* Quapropter Imperator prædixit ante, quod venturum mox erat: *Quum conſtiterint Plantæ pedum Sacerdotum — intra Aquas Jordanis*, id eſt, ſtatim atque intrabunt illi Flumen, *Aquæ Jordanis ſcindentur, & Aquæ illæ, quæ ſuperne defluunt, conſiſtent inſtar muri*, v. 13. Et ecce ſtat DEUS promiſſis; adimpleta ad Literam, quæ Belli Dux θεόπνευστος prædixerat. *Conſtiterunt Aquæ, quæ ſuperne defluebant, inſtar Muri — quæ verò infra erant Aquæ, defluebant ad Mare.* v. 16.

Lucem fœneratur & Miraculo & Ratiocinio Temporis, quo illud contigit, circumſtantia. Demeretur aliquid ſaltem de Miraculi Magnitudine, ſi contigiſſet tranſitus eo tempore, quo Jordanem vidit *Bellonius*, qui ita L. II. c. 86. *Amnis Jordanis à ſeptentrione in Meridiem tendit, non adeo latus, quin puer lapidem in contrariam partem jacere poſſit, ſeptem aut octo forte orgiarum latitudinis: alueique non adeò profundi, ut nauis per eum vehi poſſit.* Contigit Miraculum eo tempore, quo Fluuius ſummum attigit accrementum, tempore Meſſis, *ſolet enim*, ita Sacer Textus v. 15. *Jordanis ſuper omnes ripas ſuas cunctis diebus Meſſis effundi.* Et comparat Siracides XXIV. 28. *fœcundum ingenium Jordani*, ut eſt *tempore Meſſis.* Idem tradit de *Eridano Polybius Hiſt.* L. II. de *Nilo Philo Lib. de profugis* p. 476. *Glycas Annal.* Part. I. p. 10. *Theophylactus Hiſt.* L. VII. c. 17. ubi ita. Θέρους τοίνυν ἀκμάζοντος τὰς αὐξήσεις λαμβάνει ἐνάντιον τῇ φύσει τῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ποταμῶν. *Adulta Æſtate incrementum accipit contra Naturam Fluminum, quæ in uniuerſo Orbe Terrarum ſunt.* De omnibus Europæ Fluminibus, qui ex Montibus iis, in ſpecie ex Montibus niue tectis oriuntur, nouimus altiſſima eſſe media Æſtate. Par ratio erit Jordanis, qui è Libano monte oritur teſte *Joſepho Ant.* L. V. c. 1. Par erit & *Euphratis* Syrac. l. c. & aliorum Fluminum Aſiaticorum. Neque in obſcuro eſt ratio. Hyeme parum Niuis ſoluitur in Montibus, Æſtate plurimum. Dat autem Libano perennem niuem Jeremias XVIII. 14. *Num ager deſerit niuem Libani, quæ de petra fluit? Num deſerentur aquæ alienæ frigidæ fluentes? (Numquid deficiet de petra agri nix Libani? aut euelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ, & defluentes?)* Ad quem locum *Hieronymus*, qui Regionem illam incoluit: *Quando Nix de Libani*

*ſummi-*

*ſummitatibus deficere non poteſt: nec ullo, ut omnis liqueſcat, Solis ardore ſuperatur; fluenteſque de montibus rivi nequaquam ſiccantur in fontibus: ſic meum nomen, quod per ſe ſtabile eſt atque perpetuum, non poterit immutari.* Hinc non mirum, exundare Libanum meſſis tempore. Affulget Lux ex I. Paral. XII. 15. *Hi* (Gaditæ) *ſunt, qui trajecerunt Jordanem menſe primo, quum exundaret omnibus ripis ſuis.* Ex hoc quippe Loco conſtat, intelligendam eſſe primam Meſſem Hordei, non ſecundam Tritici. Et fuit fortè hæc temporis circumſtantia, qua *Maundrellus* A. 1697. vidit Jordanem eò loci, quo Jerichunti eſt vicinus, in ſexaginta pedum latitudine circiter, & rapiditate tanta, ut nemo in aduerſum ejus natando obniti poſſit. Conf. *Theuenot.* P. I. L. II. c. 41.

De Aquis ſuperioribus, quid eis euenerit, quousque aſſurrexerint, dubias Quæſtiones mouent curioſuli, & mouent potius, quàm ſoluunt. Veriſſimum id, quod legitur v. 16. *Conſtiterunt Aquæ, quæ ſuperne defluebant, inſtar Muri. (Steterunt aquæ deſcendentes in loco uno & ad inſtar Montis.)* Quæ verba adeo ſunt clara, ut ſibi ipſis ſint Commentarius. Aſcenderunt Aquæ in cumulum, & veluti murum conſtituerunt ab una Fluuii ripa ad oppoſitam, imò, ſi Lugendiſtis Judæis in Tr. *Sota Babyl.* c. 7. fol. 34. a. fides, præaltum; 12. milliaria ſtatuit R. *Juda:* ſed R. *Elieſer* his nondum contentus ad 300. aſcendit milliaria, & ultra, impoſitis porticibus ſuper porticibus, donec omnes Orientis & Occidentis Reges eas viderent. Hæc narraſſe eſt refutaſſe. Aſſurrexiſſe altius, quàm quidem fuerant ante, in fluxu ſuo ordinario, concedi poteſt facile, niſi Miraculum velis continuatum usque ad Fontes Libani, ſaltim deſcenſum Aquarum cohibitum ex Lacu Tiberiadis; id quod ſtatuere neceſſe eſt, ſi velimus euitare inundationes vicinarum Jordani Regionum, de quibus nîl legimus in Sacris. Quapropter ſunt, qui refluxiſſe volunt verſus fontes, & hujusmodi prodigia allegant ex Hiſtoria Romana. *Amnes*, ita *Plinius* L. II. c. 103. *retrò fluere & noſtra vidit ætas Neronis Principis annis ſupremis.* Idem de Vulturno & Glani, Campaniæ fluuiis tradit *Dionyſius Halicarnaſſ. Rom. Antiq.* L. VII. p. 419. *omiſſo naturali curſu vertiſſe curſus ſuos, aliquamdiu ab oſtiis retrocedentes ad fontes ſuos*, ἀφέντες τὰς κατὰ φύσιν ὁδοὺς ἀνέστρεψαν τὰ νάματα καὶ μέχρι πολλοῦ διετέλεσαν ἀπὸ τῶν στομίων ἀναχωροῦντες ἐπὶ τὰς πηγάς, eo nempe tempore, quo Hetruſci ad exſcindendas Cumas profecti eſſent. Hujusmodi prodigii, quod heic locum non habet, cauſas merè naturales jam olim detexit *Seneca Nat. Quæſt* 4. L. 3. *Si crebrioribus ventis oſtium cæditur & reuerberatur fluctu amnis reſtitit; qui creſcere videtur, ſi non effunditur.* Ita quoque *Horatius* Lib. I. Od. 2.

> Vidimus flauum Tiberim, retortis
> Litore Etruſco violenter undis,
> Ire dejectum monumenta Regis
> Templaque Veſtæ.

Alia Exempla aliis ratiociniis ſociata videſis in Hiſtoria miraculoſi tranſitus Iſraelitarum per Mare Rubrum, quem hujusmodi nebulis obfuſcare tentarunt nonnulli.

Proſequimur nos filum Tranſitus, de quo nunc, miraculoſi; ſtabat, hoc durante, Arca Sacerdotibus ſuis ſtipata in Jordanis medio alueo, veluti antemurale contra Aquas Jordanis erectas inſtar muri ſtantes. *Stabant Sacerdotes, qui portabant Arcam Fœderis DOMINI in ſicco in medio Jordane præparati, & cunctus Iſrael tranſibat in ſicco*, nempe 2000. cubitorum ſpatio infra Arcam, *donec uniuerſus Populus perfecte tranſiiſſet Jordanem.* v. 17. In hac profectione mutatus fuit Caſtrorum ſitus, mutata acies prima in poſtremam. *Quumque jam tranſiſſet omnis populus, tranſibat & Arca DOMINI.* Joſ. IV. 11. Suſpenſæ proin miraculo manebant Naturæ Leges, donec omnis tranſierit exercitus, reſtitutæ Arcâ alueo exportata. *Factumque eſt, cum aſcendiſſent Sacerdotes ferentes Arcam DOMINI è medio Jordanis, extractæque eſſent plantæ pedum in ſiccum, reuerſæ ſunt aquæ Jordanis in locum ſuum, inundaruntque ſuper omnes ripas ejus ſicuti heri & nudius tertius.* Joſ. IV. 18. *(Cumque aſcendiſſent portantes Arcam Fœderis DOMINI, & ſiccam humum calcare cœpiſſent, reuerſæ ſunt aquæ in alueum ſuum, & fluebant ſicut ante conſueuerant.)* Nouum heic fingunt ſomniantes Judæi miraculum: ſtabant juxta eos Sacerdotes cum Arca in citeriori aluei latere; reuerſæ erant Aquæ ad priſtinum ſtatum, poſtquam trajecit omnis Exercitus: ſeparabat Sacerdotes à Populo fluuius; tunc auulſit Arca plantas pedum ſacerdotum, & portauit portitores ſuos, tranſtulitque eos ſuper Aquas; tranauit adeò Arca unà cum ſacerdotibus. Ita *Raſchi* ad v. 18. *Schmuel Laniado* in *Cle chemda* fol. 172. *Col.* 3. *Reſchith Chochma* fol. 108. Legatur pluribus *Andreas Herman. Münter* Oſteroda - Hannoueranus *Diſp. de Tranſitu Iſraelitarum per Jordanem*, Joſ. III. 15. 16. Præſ. D. *Jo. Georgio Abicht*, Lipſ. 1712. 4. Lit. *Brandenburgerianis.*

# TAB. CCCLXVIII.

## Joſ. Cap. V. verſ. 2. 3.

Tunc temporis dixit DOMINUS ad Jehoſuam: fac tibi cultros (a) acutos, & effice denuo, ut filii Iſrael ſecundo circumcidantur.

(a) Al. legunt lapides acutos, vel cultros lapideos.

Et Jehoſua fecit ſibi cultros acutos, & circumcidit filios Iſrael in colle præputiorum.

Eo tempore ait DOMINUS ad Joſue: fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael.

Fecit quoque quod juſſerat DOMINUS, & circumcidit filios Iſrael in colle præputiorum.

IN moleſto ſatis 40. Annorum per Deſerta Itinere conuicti eſſe poterant per innumera & quotidiana Miracula Iſraelitæ de pacti Diuini cum Majoribus initi ſeruatione; ſuſpenſum proin & per omne illud tempus omiſſum ordinarium Fœderis ſignum Circumciſio, quæ inter tot Itineris incommoda locum habere non poterat. Fuſius hæc exponuntur v. 4. & ſeqq. Nunc eſt, ceſſantibus partim, partim diminutis numero Miraculis, populus integer incircumciſus nouo eoque ordinario Fœderis ſigno cum DEO uniendus.

Inſtrumenta operationis hujus, doloroſæ ſatis, in Natione integra & numeroſa inſtituendæ erant חַרְבוֹת צֻרִים *Charboth tſyrim*, quæ voces non eodem apud Interpretes ſumuntur ſenſu. *Jonathan* Chaldæus *Nouaculas acutas*. LXX. μαχαίρας πετρίνας ἐκ πέτρας ἀκροτόμȣ, i. e. *cultros acutos ex petra acuta.* Chaldæum ſequitur *Raſchi*, *R. Leui Ben Gerſon*, *Abeneſra*, *Kimchi*, *Abarbanel*, Judæorum doctiſſimi. Ex Chriſtianis *Theodoretus*, *Auguſtinus*, *Origenes*, alii LXX. Nos Tigurini in Vernacula Verſione, & Interpretes alii benè multi, cultros lapideos, i. e. ex lapide, ſaxo, vel petra confectos. Ut Gen. III. 21. כָּתְנוֹת עוֹר *tunicæ pellis* ſunt veſtes pelliceæ, ex pellibus confectæ. Gen. VI. 14. תֵּבַת עֲצֵי גֹפֶר *Arca Lignorum Gopher*, i. e. ex Lignis Gopher.

Manemus nos in Cultris lapideis, interpretationem hanc illuſtraturi exemplis & rationibus ex Hiſtoria Naturali petitis. Romani Lapidem hujusmodi acutum vocabant *Teſtam*, hinc *Samia teſta* pro lapide omni acuto, ſcindere apto. Cujusmodi Teſta *Atys* genitalia ſibi defecuit, teſte *Arnobio aduerſus Gentes* L. V. p. 94. ubi quidem *fiſtula* legitur pro *teſtula*. *Ouidius* L. IV. Faſtorum v. 237. *ſaxum* vocat *acutum*.

Ille etiam ſaxo corpus laniauit acuto:
Longaque in immundo puluere tracta coma eſt.
Vox fuit: merui: meritas do ſanguine pœnas:
Ah pereant partes, quæ nocuere mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc, onus inguinis aufert;
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.

Ita *Plinio* teſte L. XXXV. c. 12. *Samia teſta Matris Deûm Sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant.* Et notum, Americanos Naturæ neceſſitate edoctos ante Europæorum aduentum ferrique uſum ſcindentium Inſtrumentorum loco adhibuiſſe Lapides. Dantur nempe & Achatæ, & ſilicei pyritæ, quorum fragmina omni fere Ferro acutius ſcindunt, imo Ferrum ipſum Adamantis ad inſtar. Imò in Sacris legimus Exod. IV. 25. *Ziporam arrepto acuto ſilice abſcidiſſe præputium filii ſui. (Tulit ilicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui.)* Ad quem locum ex Antiquitatis monumentis delineari curaui hujusmodi ſilices acutos ſectioni vel ſciſſioni olim adhibitos. Plura in hanc rem, & renouatam hanc ſolenniter Circumciſionem videſis in erudita Diſſertatione *Joh. Philippi Seſemann* Numburgenſis *de Cultris ſaxeis in Circumciſione à Joſua denuo inſtituta uſurpatis ad* Joſ. V. 2. Præſ. D. *Joh. Georgio Abicht*, P. P. Lipſ. 1712. Lit. *Brandenburgerianis*.



IOS. Cap. V. v. 2. 3.
Circumcisio Galgalitica.

Buch Joſua Cap. V. v. 2. 3.
Die Beſchneidung zu Gilgal.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

RPJCB



Ios. Cap. VI. v. 20.
Lapsus murorum Hierichuntis.

Buch Joſua Cap. VI. v. 20.
Einfallende Mauren zu Jericho.

M. Tyroff sculps.

# TAB. CCCLXIX.

## Joſ. Cap. VI. verſ. 20.

Jubilans igitur populus clanxerunt cornibus. Quumque audiſſet populus ſonum Cornu, vociferabatur & ipſe Populus jubilo magno, & corruit murus ſubter ſe, aſcenditque populus in Urbem, quisque ſuo loco, & ceperunt ciuitatem.

Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonitusque increpuit, muri illico corruerunt: & aſcendit unusquisque per locum, qui contra ſe erat: ceperuntque ciuitatem.

H*Ierichuntinæ* urbis obſeſſæ & occupatæ heîc obuium Exemplum, cui ſimile non vidit orbis, nec videbit. Nihil heîc legimus de conſiliis Imperatoris bellicis, nîl de modo explorandi aditus, nîl de circumuallatione commoda, & aggreſſione. Nullus ſubducitur calculus de neceſſariis ad obſidionem: non attenditur ad locum, qui omnium maximè ſit debilis, & occupatu facillimus: Non excauantur Foſſæ, non aperiuntur Adductus. Nulla habetur conſideratio præſidii, an numeroſum ſit, nec ne? Non ſeliguntur ſorte officiarii, qui vel acceſſuum foſſas ingredi, vel expugnationem ipſam dirigere debeant, & dare effectui. Non præſtò ſunt Arietes, non Plutei, Teſtudines, aliæue Machinæ bellicæ. In Theocratia viuitur: DEUS Exercituum DOMINUS ordinat, dirigit, ſolus efficit omnia. Aciei ordinem mandat, aggreditur munitam urbem, ſubruit muros. Aggreſſio fit ſolo clangore Tubarum, & vociferatione magna Populi. Non exponitur ulli periculo vel gregariorum infimus. En mandatum DOMINI! v. 3. *Circundabitis urbem omnes, qui bello apti ſunt, circumeundo ſcilicet urbem ſemel, idque facietis ſex diebus: & ſeptem Sacerdotes ferant ſeptem Cornua arietina ante Arcam. Septimo verò die circumibitis ciuitatem ſepties, claſſicumque canant Sacerdotes cornibus. (Circuite urbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. Septimo autem die Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in Jubilæo, & præcedent arcam fœderis: ſeptiesque circuibitis ciuitatem, & ſacerdotes clangent buccinis.)* En promiſſum! v. 5. *Cum cornu arietino ſonum incenderint, vosque ſonum cornu audieritis, vociferetur uniuerſus populus magno claſſico, tunc corruet murus urbis ſubtus ſe, aſcendatque populus, quisque ante ſe. (Cumque inſonuerit vox tubæ longior atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis: ingredienturque ſinguli per locum, contra quem ſteterint.)* Fuere hæc omnia, ut præcepta, ita executioni data. Et erit memorabilis planè Murorum Hierichuntinorum collapſus Thema præſentis Tractationis.

De ſtupendo hoc Phænomeno non idem judicant omnes. *Paraphraſtes Chaldæus, Vatablus, Pagninus,* Codex *Berach, R. Kimchi, R. Jon Ben Uziel, Lud. Lauaterus, Spangenberg, Magalianus, Eman. Saa, Lud. de Tena, Guil. Eſtius, Cajetanus,* alii volunt, muros non fuiſſe collapſos, ſed intra Terram abſorptos, ut ex iis nihil, juxta alios parum ſupereminuerit. Hinc originalem Textum ita reddit *Arias Montanus: Cecidit murus urbis, & abſorptus eſt ſubtus ſe.* Rationes, quibus nititur hæc Paraphraſis, ſunt ſequentes. 1. non quadrare lapſum, vel prolapſum, in muros ejusdem craſſitiei & altitudinis. 2. patuiſſe ita omnibus & ſingulis aditum ad Urbem, *cuique ſuo loco*, difficilis aliàs futurus per fragmina collapſorum ſine ordine murorum. 3. fuiſſe abſorptionem miraculum magnificum magis, & omnibus palpabile. Sed non ſunt hæc ſeu Argumenta ſeu ratiocinia tanti pro abſorptione momenti, ac quidem illi exiſtimant. De æquali murorum & craſſitie & altitudine nîl nobis prorſus conſtat: eadem Diuina virtus potuit efficere collapſum lateralem, quæ abſorptionem in viſcera terræ. Hæc ſi obtinuiſſet, fuiſſet dubio procul memoriæ in Sacris tradita, ut fuit illa Coraitarum rebellium. Num. XVI. 31. 32. Aperiri debebat duntaxat via Iſraelitis ad Urbem. Sufficit militibus pro expugnatione apertura aliquantum ampliata, *brèche* moderni vocant, quam non ſine labore conſcendat per ſaxorum terrarumque rudia fragmina. Sed heîc apertura fit non unius, vel paucarum perticarum: totam circuit urbem: deleta ſunt omnia obſtacula: ut nemo Iſraelitarum duxerit labori, juſſu DEI & Joſuæ per collapſorum murorum



rudera

rudera urbem adoriri, conſcendere, ſuperare. Et quæritur, annon murorum prolapſus ipſe verſus exteriora, quod probabile, facilitauerit aditum magis, quàm abſorptio? poſito namque, cinctam fuiſſe Hierichuntem non muro duntaxat, ſed & Foſſa, quam ſana dictabat Ratio; hæc quippe potuiſſet ab ipſis collapſis muris expleri, & ipſi hi vicem præbere Faſcium, *Fachines*, aliarumque rerum, quibus Foſſas explere ſolent moderni.

*Maſium* ſi audimus, *Iſidorum Clarium, Mich. Walther*, *Ludouicum de Tena*, *Calouium*, *Quiſtorpium*, non omnes in toto ambitu Urbis muri ſunt collapſi, ſed ii præcipuè, qui Exercitui Iſraelitico fuere expoſiti. Anſam huic Ratiocinio dat Ædes Rahab muro inædificata, quæ ſalua manſit. Sed neque hæc opinio firmo ſtat talo. Quærere licet & dubitare, an memorata mox Domus muro ipſi fuerit ſuperextructa, ita ut murus partem conſtitueri ejus, feneſtris ipſum murum perforantibus? vel, annon potius Ædes illa fuerit muro adſita, ſpatio inter eam & murum relicto, aditu quoque ipſi Rahabæ patente ad peribolum Muri, quo ſenſu utique aperturas habere poterat in ipſo Muro? Si prius, ſequi neceſſariò debuiſſet collapſum Murorum ipſa Ædis ruina. Vero proin ſimilior eſt alter, quem indicauimus, ſitus. Neque eſt dubium, cinctam undique fuiſſe Hierichuntem ab Exercitu hoſtili, κυκλωθέντα juxta effatum Pauli Hebr. XI. 30. Subſcribet facile, qui Exercitum concipit numeroſiſſimum, & Ordinem Proceſſioni triumphanti ſimiliorem, quàm Aciei militaturæ. Ita quoque rem concepere LXX. καὶ ἔπεσεν τὸ τεῖχος κύκλῳ. Et ita quoque *aſcendere* poterat *populus in urbem, quiſque ſuo loco*, aggreſſu uniuerſali facto in omnibus peripheriæ punctis. Ita ſaluatur Rahabitica Ædes: & poterat *coccinus* iſte *funis in feneſtra ligatus*, vel potius faſcina coccinei coloris Joſ. II. 18. demitti vel extra murum, vel etiam ex parietibus ipſius Ædis, præſertim ſi hæc altior fuerit ipſo Muro.

Hæc, quæ hactenus, alius ſunt fori. Præcipuus meus labor in hoc verſatur enodando dubio, an murorum Hierichuntinorum collapſus adſcribi debeat clangori Tubarum, & vociferationi Populi, tanquam cauſis naturalibus? id quod ſtatuunt poſt *Leui Ben Gerſon* aliosque Judæos Doctores viri authoritate graues & Pietate inclyti, *Auguſtinus*, *Hieronymus*, *Ambroſius*, *Origenes*, *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Adrichomius*, *Lorinus*, *Pellicanus*, omnes ad Joſuam, hac nempe adjecta explicatione, quòd DEUS ſono executus fuerit juſtiſſima ſua in Hierichuntem judicia, tanquam cauſa inſtrumentali. Ut ſanè nemini non notum, Sonum motum eſſe tremulum, qui tremefaciat, paruus licet, etiam ſolidiſſima corpora, & maximas moles. Neque eſt dubium, corruere debuiſſe Muros, vinculis ſolutis, à Sono, ſiquidem ejus tremor ſuperauerit nexum partium muros colligantium. Notum *Nicolai Petteri*, Oenopolæ Amſtelodamenſis, Exemplum, qui ſolo vocis prolatæ ſono vitra quæuis diffregit, & celeberrimo *Morhoſio* anſam dedit ſcribendi *Hyaloclaſtem, ſiue de Scypho vitreo per certum humanæ vocis ſonum fracto*, qui prodiit Kiliæ Holſatorum A. 1683. Huc faciunt, quæ habet *Merſennus* p. 1710. *Quicquid ad perpendiculum, vel alio modo erigitur, certam habet tenſionem, quam ſi viceris vel æquaueris, concuties. Quis igitur nouit, num omnes clangores atque voces aliquod tertium effecerint, quod cum muris illis uniſonantiam vel octauam obſeruaret? Cogita, muros eſſe velut neruum tenſum, qui ſit* προσλαμβανόμενος. *Si omnes ſoni Iſraelitarum ſimilem tenſionem habuerint, vel ſaltem in meſe fuerint, illos concutere, & ſæpius repetiti diruere potuerunt.* Objiciat quis Philoſophis his αὐτοσόφοις Murorum altitudinem & craſſitiem; prouocant hi ad loci ſitum ἐν αὐλῶνι, *in conualle*, *Theophr. Hiſt. Plant.* L. II. c. 8. oſtenduntque, ſonum ejusque effectus in locis montibus clauſis intendi: ad Exercitum in circulo pleno gutture vociferantem: ad exiguam hujus ab Urbe diſtantiam: &, ne deſit Ratiocinio fides, ad Exempla concuſſorum in aliquot mille paſſuum diſtantia à pyrii pulueris fragore murorum, imo dejectorum, feneſtrarum diſruptionem, & hujus generis alia. Et ad rhombum inprimis quadrare videtur Experimentum, cujus αὐτόπτης eſt teſtis inſignis ille Mathematicus *Borellus*, qui ita in præſtantiſſimo *de vi percuſſionis* Libro *Prop.* 101. oſtenſurus, tremore tardo licet, ſed ſucceſſiuo corpora etiam maximæ molis concuti. *Aderam*, ita ille, *Tauromenii Siciliæ, quando Ætna mons eruptionem quandam effecerat prope Ennam Urbem fere 30. milliaria à Tauromenio diſtantem, tunc vicibus interpolatis eruptiones ingentes ignis vorago efficiebat grandi ſono & ſtrepitu, & tunc omnia Tauromenii ædificia Tremore concutiebantur, in quo circumſtantiam notatu digniſſimam obſeruaui: ſcilicet, quod domus & ædificia, quæ directè expoſita erant proſpectui ejuſdem voraginis, vehementiſſimè concutiebantur, reliquæ verò domus, quæ conſpectu voraginis priuabantur, ſatis lentè & leniter tremorem efficiebant. Profectò ſi hujusmodi tremor factus fuiſſet à concuſſione & reſilitione ſoli Tauromenitani, omnes domus æquè concuſſæ fuiſſent, & æquali tremore agitatæ, ita ut non poſſit conſpectus Voraginis tam inſignem & euidentem inæqualitatem tremoris procreare, igitur neceſſariò à tremore ejuſdem Aeris incuſſo in parietibus domorum libere percuſſiones excipientium agitatio illa efficiebatur.* Quodſi interuallo 30. milliarium, nempe Italicorum, tantus fuerit obſeruatus tremoris effectus, quid non heîc contingere poterat in vicinia Hierichuntis, imò haud longè à muris? Et quid ſi ipſi hi Muri fuerint vetuſtate exeſi, & ad ruinam proni? quid ſi infirmo nixi fundamento? quid ſi grauitatis centrum priſtinum jam mutauerit ſitum?

Qui

Qui his omnibus manum dare recuſat, eum fortè conuincent Judæi Lugendiſtæ ex Libro Talmudico *Tamid.* c. 3. §. 8. ubi legitur, in Hierichunte urbe auditum fuiſſe ſonum, quoties ænea Templi Porta Hieroſolymis fuerit aperta: Sonum item Organi cujusdam in Templo eodem pneumatici: Sonum machinæ cujusdam ligneæ, quâ Aqua ex Mari æneo deducta fuerit ad Luteres æneos: Sonum Sacerdotis Collegas officii ſui admonentis: Sonum denique variorum Inſtrumentorum Muſicorum. Et ne quis credat, Aures Hierichuntinorum ſolas præualuiſſe teneritate ſenſus aliis aliorum Iſraelitarum, addunt Rabbini miram Organi olfactus ſubtilitatem, addunt, perueniſſe ad illorum quoque nares odorem ſuffitus ſacri in Templo accenſi. Et ne quid deſit cauſarum naturalium ſcrutatoribus, in ſenſu literali accipiunt Oratoriam illam & Propheticam locutionem Ezech. XXVI. 10. qua interminatio fit Tyro: *A ſtrepitu equitum, rotarum, atque curruum concutientur muri tui.* Et ex *Floro* L. II. c. 6. §. 14. allegant Exemplum de Prælio *Hannibalis* ad Lacum Traſimenum, ubi ita Hiſtoricus: *Commiſſam aciem ſecutus ingens Terræ tremor, niſi illum horrorem ſoli Equitum virorumque diſcurſus fecerunt, & mota vehementius arma.* Quam Fabulam magnus ille *Græuius* deriſit in præliminari ad Florum ſuum Diſſertatione. Attamen haud impoſſibilem autumat inſignis *Merſennus* concuſſionem & loco motionem Terræ æquilibrio ab Equorum quadrupedantium graui inceſſu ſonoque quouis forti. Hincque illud proponit naſutioribus Problema. *Viderint egregii Mathematici, qui Mechanicam Harmoniæ jungere voluerint, num, quemadmodum Mechanici Archimedici dato pondere vim mouentem, aut è contrario, proponunt: perſpectiui datum cujuscunque figuræ objectum ſub ea figura & quantitate, quam poſtulaueris, repræſentant: ita datum objectum vi, arte vel naturâ tenſum, aliquo concentu uniſono vel alia ratione conſono moueri poſſit, adeò ut ipſa Terra ſonis quibusdam concutiatur?* Quod ſi in hac Terra, imò in tota Natura defecerint omnes Potentiæ Mechanicæ, in Cerebro omnis imaginandi vis, auxilium ſubminiſtrauit Aſtrologia & Dæmonologia: Ita Cabbaliſtizantes Rabbini, qui dicunt, Tubas ſingulari Aſtrorum influxu ab Intelligentiis cœleſtibus, inprimis Sephiroth, ita fuiſſe tenſas, & veluti animatas, ut murorum collapſus ſequi neceſſariò debuerit. Placent ſanè magis, qui inſuper habitâ Spirituum Philoſophiâ, in cauſis & Ratiociniis Phyſicis manent, licet & in Experimentis multa ſint falſa, in Ratiociniis ἀσύστατα multa. Tuba illa *Alexandri M.* cujus Author *Themiſtius* perhibetur, ſonum dilatans ad 60. milliaria, ſi fides eſt Libro *Secretum Secretorum, Ariſtoteli* à nonnullis adſcripto: Cornu illud tremendum *Rolandi*, quo in fugam acti omnes hoſtes: effectus mirandi Tubarum Stentorophonicarum: Campana illa omnium maxima 3940000. Librarum Moſcouiæ ſuſpenſa, cujus ſono Terram tremere dicunt; vel Erfordienſis illa, cujus ſonus ſeſe extendat ad 6. milliaria.

Specie haud carent, quæ hactenus in fauorem cauſarum naturalium protuli, & incauto imponunt facile: ſed examinata probè citius, quàm Hierichuntini Muri, corruunt. Fatentur ipſi illuſtres viri *Merſennus* & *Morhoſius*, poſtquam omnes Philoſophiæ naturalis angulos perreptarunt, nihilque ſuffeni inuenerunt, eſſe collapſum Murorum Hierichuntinorum accenſendum Miraculis. Non quæritur, an collabi poſſint Muri per ſonum qualemcunque? ſed an corruerint hi, de quibus nunc, Hierichuntini à Tubarum ſono, & vociferatione Populi, tanquam à cauſa naturali? non, an DEUS poſſit, vel potuerit, Natura mediante muros dejicere, ſed, an dejecerit hoſce? Scripturam ſi conſulamus, ſilet ea prorſus. Fuit Jericho urbs, non in anguſta valle, montibus undique clauſa, ſed ſita in planitie, cui mons nudus ac ſterilis imminebat; ita deſcribitur à *Joſepho Bell. Jud.* L. V. c. 4. Sita ἐν πεδίῳ, in campo, ut idem. Tendit ſonus Tubarum & Populi confuſaneus non rectâ verſùs Hierichuntinos muros, ut ſolent hodie 50. 100. Tormenta ex maximis in eadem vel parallela directionis linea locari contra Fortalitii muros, & ſi hanc eandem omnis ſonus habuiſſet directionem, nîl effeciſſet, uti hæc, de quibus ante, Tormenta non ſono dejiciunt muros, aperturasque faciunt, ſed globis multarum Librarum ferreis, ingenti vi exploſis. Diffunditur heic Tubarum vocumque ſonus per omnem Aera. Quodſi vi hujus ſoni dejecti fuerint muri, cur non potius Arbores obuiæ, Tentoria, imo integer Exercitus, fuere proſtrata? Cur non, qui Architecturam militarem hodiernam offenſiuam ad ſummum fere perfectionis gradum euehunt, urbibus obſidendis & expugnandis adducunt tot numero Tormenta, Mortaria, tantum pulueris pyrii, Globorum miſſilium & tormentariorum apparatum? Cur tanto labore, periculo tanto, imò multorum millium hominum jacturâ fiunt adductus, ſuggeſtus, cruentæ aggreſſiones? Nonne faciliori longè operâ, & minori ſumtuum diſpendio aduocari poſſent 100000. Achilles, Cyclopes, Stentores, Petteri, Tubicines, Aeneatores, qui reduplicato Taratantara ſuo muros proſternerent? imò verò militiæ huic adjungi ipſæ mulieres, infantes, qui vociferatione, Campanarum, Tintinnabulorum clangore, aliisue Inſtrumentis ſonoris tremorem juuarent? Vitrum à ſono ad octauam ſurgente, vel eam ſuperante dirumpi haud mirum; ſed mirum, dejici muros: vitri conſtructio alia longè, quàm eſt Murorum: haud procedit argumentatio à minori ad majus, à minimo, fragili, tenſo, vitro ad maximum, ad firmiſſimam murorum compagem. Poſito licet, fuiſſe Muros vetuſtate exeſos, &

ſubeſos, ad ruinam pronos, collapſi fuiſſent vel ſponte, vel non hac præciſè ſolenni occaſione, vel non omnes, ſed hîc ibi aliquæ partes. Nec Joſua ſcribit à Tubarum ſonitu collapſos fuiſſe Muros, ſed corruiſſe facta vociferatione, & Cornuum ſono intenſo, ſcilicet veluti claſſico dato: nempe immediatâ DEI actione vel nutu, id quod ex aliis quoque inferre licet circumſtantiis plane ſingularibus, neceſſariis tamen, licet ad murorum ruinam nil conferentibus prorſus, ſeptidua proceſſione, ſilentio ſeptiduano, ſeptem Tubis, unica ſimultanea ſimulque confuſanea vociferatione. Ex quibus omnibus id tandem concludere licet, quod prædicat Paulus Hebr. XI. 30. πίςει τὰ τείχη Ἱεριχὼ ἔπεσε, κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας. Addimus Commentarium *Chryſoſtomi Hom. 27. Non tubarum ſonitus murorum ſaxa dejecit, etiamſi per innumeros annos quis Tubis inſonet, ſed Fides omnia valet. Intueris ubique, neque ſequela ulla rerum, Naturæ Lege mutationem fieri, ſed ſpe cuncta geri. Proinde etiam hic præter ſpem cuncta fiunt.* Alia, quæ oggeri poſſent in Judæorum Lugendis, Aſtrorum influxu, Intelligentiarum auxilio, ejus ſunt commatis, ut rideri potius mereantur, quàm refutari. Legatur *Joh. Andreæ Schmidii Diſſ. de collapſis Hierichuntis muris* in *Var. Philoſ. Decade* n. V. Jen. 1691. 4.

# TAB. CCCLXX.

## Joſ. Cap. X. verſ. II.

Quumque fugerent ante Iſraelitas, & eſſent in deſcenſu Bethoron, dejecit DOMINUS ſuper eos lapides grandes de cœlo, usque in Aſeka, mortuique ſunt multò plures eorum, qui lapidibus grandinis interierunt, quàm fuerint illorum, quos interfecerant filii Iſrael gladio.

Cumque fugerent filios Iſrael, & eſſent in deſcenſu Beth-horon, DOMINUS miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo, usque ad Azeca: & mortui ſunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſrael.

Quadrant & huc rationes pro Grandine miraculoſa ad Exod. IX. 18. allatæ, Palæſtinæ non minus quàm Ægypto. *Dejecit DOMINUS ſuper eos lapides grandes de cœlo*, ſuper hoſtes populi DEI, non ſuper Iſraelitas, qui tamen erant in eodem Horizonte, in eadem Regione, in campis iisdem. Et ejus erant magnitudinis hi *Grandinis lapides*, ut iis proſtrati *interierint multò plures, quàm fuerint illorum, quos interfecerant filii Iſrael gladio.* Eſt tantæ magnitudinis Grando in Regione adeò calida res albo Coruo rarior. Sunt ex Interpretibus, qui per *Lapides* hos *Grandinis* intelligunt veros *Silices*. Et eſt ſanè *Chalazias*, χαλαζίτης ἀπὸ τῆς χαλάζας, à Grandine dictus Lapis, qui *Grandinum & colorem & figuram habet adamantinæ duritiæ*, *Plinio* deſcriptus L. XXXVII. c. II. χαβάζιος pro χαλάζιος legitur apud *Orpheum de Gemmis* p. 241. Et dedit fortè æquivocus *Lapidis* ſenſus occaſio multis fabuloſis *Grandinis lapidoſæ fluuiis*; quibus adnumeranda haud dubiè illa, quæ A. 1673. in campos Dietlingenſes bihoriô ab Etlinga lapſa legitur, de qua chalaziam *Muſeo* ſuo intulit *Brackenhofer*. p. 7. *Nimbus cum ſaxea Grandine ſubito exortus ingens*, teſte *Scriptore Belli Africani* c. 47. Apud *Liuium* paſſim quoque inter Prodigia legitur, *pluiſſe lapidibus*. Haud infrequens apud Romanos fuit *ſaxeæ Grandinis* nomen. Solemus & nos Germani uti hac Phraſi, *es fallen Steine*. Facilis fuit Grandinis ad Silices, Cryſtallinos inprimis, tranſitus, ſi vel colorem reſpexeris, vel figuram, vel diaphaneitatem. Ex iis, qui ſiliceam Pluuiam hanc noſtram fuiſſe ſtatuunt, eſt *Voſſius Idolol.* L. I. c. 26. Allegat is in ſui fauorem Fabulam illam de *Hercule*, cujus precibus commotus *Jupiter* ſaxea grandine pluiſſe legitur in *Albionem* & *Bergiona Neptuni* filios, de qua *Pomp. Mela.* L. II. c. 5. vultque, indigitari hanc ipſam, quæ Joſua imperante in hoſtes decidit, Grandinem. Sed ſunt, qui Fabulæ illius natales in Galliis potius quærunt, quàm in Palæſtina.



Ios. Cap. X. v. 11.
Canaanitæ επιχαλαζόμενοι.

Buch Joſua Cap. X. v. 11.
Hagel über die Canaaniter.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

RPJCB




Ios. Cap. X. v. 12. 13. 14.
Solſtitium Ioſuæ.

Buch Joſua Cap. X. v. 12. 13. 14.
Die ſtillſtehende Sonne.

*G. D. Heüman sculps.*

# TAB. CCCLXXI.

## Joſ. Cap. X. verſ. 12. 13. 14.

12. Tum loquutus eſt Jehoſua ad DOMINUM, eo ſcilicet die, quo DOMINUS tradidit Amorræum ante Iſraelitas, & ait præſentibus Iſraelitis: Sol ſiſte gradum in Gibeon, & Luna in Valle Ajalon.
13. Conſtitit itaque Sol, & Luna ſtetit, donec ſe gens de hoſtibus ſuis ulciſceretur. Annon hoc in Libro Juſti ſcriptum eſt? Conſtitit itaque Sol in medio Cœli, nec feſtinauit ad Occaſum fere integro die.
14. Nec fuit talis dies ante illum, nec poſt illum, ut exaudiret DOMINUS vocem Hominis, quoniam DOMINUS pugnauit pro Iſraele.

12. Tunc locutus eſt Joſue DOMINO, in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael, dixitque coram eis: Sol contra Gabeon ne mouearis, & Luna contra vallem Ajalon.
13. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nonne ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum? Stetit itaque Sol in medio Cœli, & non feſtinauit occumbere ſpacio unius diei.
14. Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente DOMINO voci hominis, & pugnante pro Iſrael.

EST, de quo heic, Locus Eridos Pomum. Genuinum ſenſum ſibi arrogat quisque, Orthodoxus & Heterodoxus, Zelota & Scepticus, Copernicanus & Ptolomaicus, Eruditus atque Idiota. Haud ſanè vagabor extra oleam, ſi rem hanc, quæ Philoſophici eſt fori, pro poſſe enucleauero modeſtâ disquiſitione. Præliminaria tractationis puncta ſunt hæc. Lectorem præſuppono, cui ſyſtemata de Solis, Terræ, aliorum Planeticorum Corporum Situ, Quiete, Motu, Ptolomaicum pariter atque Copernicanum ſint cognita. In parallelismo colloco & Ptolomæi aſſeclas & Copernici, pari pro Gloria DEI exaltanda, & genuino Scripturæ Sacræ eruendo ſenſu feruentes Zelo. Utrosque amo ut Chriſtianos, utrosque de αὐθεντίᾳ Codicis Sacri perſuaſos, conuictos utrosque, non eſſe Terræ vel Motum vel Quietem reponenda inter Articulos Fidei. Mathematicos tandem omnes & Aſtronomos modernos, tum Proteſtantes, tùm Romano-Catholicos teſtes eſſe volo, quàm præualeat ita Copernicanum ſyſtema Ptolomaico, ut non tam Hypotheſibus accenſeatur illud, quàm Veritatibus Mathematicis, utpote conceptu ſimpliciſſimum, facillimum, Obſeruationibus cœleſtibus innumeris comprobatum, nullis contradictorium. Et erit tantò dignior hæc noſtra diſcuſſio, quia ultimus hæc Joſuæ Hiſtoria eſt Aries, quo quidem Copernicanismi muros adoriuntur Aduerſarii: Neceſſe proin erit, Ptolomaicorum Caſtra prius ingredi, horumque contemplari opera tum propugnatoria, tum expugnatoria, ſed quoque jucundum, videre partes bellantes in mutuo conflictu.

*Conſtitit itaque Sol in medio cœli, nec feſtinauit ad occaſum.* Ita legimus v. 13. Patet hinc, Solem prope fuiſſe occiduum. Colligas idem ex v. 12. *Sol ſiſte gradum in Gibeon:* imminebat nempe Montibus Gibeoniticis. Crucem figit hoc *Cœli medium* Ptolomaicis. *Lineam meridianam* intelligere nec poſſunt, nec volunt, quia ex allatis circumſtantiis luculenter conſtat, non fuiſſe horam tunc meridianam, quum votum vouerat Joſua, ſed Solem in Horizonte occiduo. Et poſito, fuiſſe Solem in meridiana, fuiſſe horam duodecimam diei, non potuiſſet & tunc dici Sol in medio Cœli, niſi ad apparentiam & vulgi captum, quem tamen adeò reformidant Orthodoxi: & intuitu duntaxat loci illius, ubi Joſua ſtetit, in omnibus aliis Terræ locis, ſub alio Meridiano jacentibus non item. Conſtitit itaque, juxta ipſam Ptolomaicorum Hypotheſin, in medio Cœli, & non conſtitit in medio Cœli. Ubi quæſiuerint cunque medium Cœli illi, Aqua hæret: de proprio ſanè Solis loco in fluidiſſimo Æthere medium Cœli ad literam explicare nequeunt: Si in medio Firmamenti Planetas inter

ter vel Fixas, ubinam, quæſo, erunt extrema? & ſi tunc fuerat in medio, cur non ſemper? Sole conſtantem reſpectu vaſtorum illorum corporum ſeruante ſitum? Nec medium Cœli quærere poſſunt in orbita Solis, cujus non poteſt ullum punctum, quodcunque ſelegeris, vocari Cœli medium. Medium ſanè Circuli non eſt in peripheria quærendum, ſed in Centro. Ad Motum ſi reſpiciamus Solis, Ptolomaicorum nullus prætendet, Joſuam intellexiſſe proprium ſiue annuum, quo Sidus illud ab Occaſu fertur verſus ortum, ſic enim voto contrarius ſecutus fuiſſet euentus, & occidiſſet Sol eò citius, contra Joſuæ intentionem: ut proin neceſſariò refugium quærere debeant illi ad motum Solis diurnum, qui 24. Horarum ſpatio abſoluitur, ſed à primo Mobili ſeu Firmamento dependet. Sed ita Joſua, ſi Ptolomaicus fuiſſet, votum direxiſſet non ad Solem, ſed ad ipſam ſphæram ſupremam, ut, qui currum ſiſtere intendit, Equis quietem imperat.

Ad Copernicanorum caſtra ſi transeamus, inueniemus ea duplici Circumuallationis linea cincta, atque ita munita, ut difficile admodùm ſit Ptolomaicorum Exercitui, viribus & numero fracto, illa adoriri. Inter opera defenſionis externa eſt primò formula illa loquendi, *ad captum vulgi, ad ſenſum vulgarem.* Imperator ſi in ſtricto Copernicanorum ſignificatu Terram adloquutus dixiſſet, *Terra ſta*, nemo Iſraelitarum Idioma hoc intellexiſſet. Et ipſis adhuc hodie Copernicanis frequentes admodùm ſunt loquendi formulæ arcto ſenſu ſyſtemati ſuo contrariæ, ſed captui vulgi accommodatæ, ſicubi ſermo illis eſt de ortu & occaſu Solis, de Eclipſi Solis, & quæ hujus ſunt generis alia. In vallis hujus exterioris linea ſtant non duntaxat Copernicani, ſi fortè hos credideris de Religione ſuſpectos, ſed quoque doctiſſimi pariter atque pientiſſimi Theologi, *Caluinus* in ſuis Operibus, ſpeciatim *Comm. in Geneſ. Zanchius*, *Joh. Wilkins*, Epiſcopus Ceſtrienſis in *vertheidigtem Copernico*, alii, quos enumerare longum nimis foret. Producunt hi in ſui fauorem plura alia S. Scripturæ Loca captui vulgi accommoda. Gen. I. 16. *Luna* adnumeratur *Luminaribus magnis*, quum tamen Planetarum omnium ſit minimus, à Sole ſocio immenſis quoad magnitudinem diſtans paraſangis. Jeſ. XIII. 5. de iis, qui Babelem eſſent vaſtaturi, legitur, *venire eos de terra longinqua, de finibus cœlorum. (Venientibus de terra procul, à ſummitate cœli.)* Deut. IV. 32. ita Populum, cujus ductor erat, adloquitur Moſes: *percurrite ab extremitate Cœli usque ad extremitatem Cœli, ſi unquam facta ſit hujusmodi res magna.* Quum tamen clarum ſit, non veniſſe illos in ſenſu literali *de finibus* Cœli neque ætherei, neque aërei, neque hos percurriſſe ab extremitate cœli ad extremitatem. Et quoties, quæſo, Scriptura de fundatione Terræ loquitur more Architectis familiari? quoties Cordi adſcribit Sapientiam, Intellectum & Voluntatem? quum tamen nemo dubitet, Animæ ſedem eſſe in Cerebro, non in Corde. Quomodo poterunt, in ſenſu literali, *jubilare cœli, jubilum edere profundiſſima Terræ, prorumpere in lætas voces Montes, ſyluæ & omnia Ligna ejus? (Laudate cœli: jubilate extrema terræ: reſonate montes laudationem, ſaltus & omne Lignum ejus:)* Jeſ. XLIV. 23. *Luna verti in ſanguinem.* Joel. II. 31. οἱ ἀςέρες τοῦ οὐρανοῦ πίπτειν εἰς τὴν γῆν, ὡς συκὴ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς, ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη. Apoc. VI. 13. *Tonitru* toties vocari *vox* DEI. Pſ. XXIX. Pronus erit, ut fuit veteribus Judæis, & primæ Eccleſiæ Patribus, ad opiniones etiam abſurdiſſimas prolapſus, ſi ad Literam omnia in Sacro Codice obuia interpretari velimus. Exemplis rem hanc illuſtrare anguſtia loci non permittit. Hi nunc, qui pro captu vulgi militant, multa obſeruant, quæ ut alibi, ita heic conceptum vulgi attinent. Vaſtiſſimum Solis Corpus, quod vel millioneſies Terræ Globum ſuperat adeò in conſpectu Terræ, imo in reſpectu ad Horizontem viſibilem, veluti per megethoſcopium quoddam, ſi vocem hanc accommodare lubeat vitris, quæ Microſcopiis ſunt aduerſa, ita minuitur, ut referatur ad unicum Montis punctum, ut heic Joſua Solem juſſit ſtare in Gibeon: & verò nemo eò delabetur ſimplicitatis, ut ſibi perſuadere poſſit, ſtetiſſe Solem reuerà in Gibeon, & Lunam in Valle Ajalon. Opticam ſane conjunctionem, imo deceptionem vocant Matheſeos gnari, ſi quando Solem vel Ortiuum vel Occiduum jungimus huic illiue Monti, Arbori, Domui: Stellam quampiam Fixam ad quendam Caminum, Ædis angulum. Ipſa quoque illa locutio: *Nec fuit talis dies ante illum nec poſt illum*, non certè ita explicanda, ac ſi tunc temporis non fuiſſet in uniuerſa Terra dies longior hoc miraculoſo die, ſed applicanda præciſè illi Anni tempori, Climati illi, in quo ſteterant Iſraelitæ, quos Diei ordinaria longitudo latere non poterat.

Ab exteriori circumuallationis linea ſi transeamus ad interiorem, eam videbimus ita munitam, ut exterioris Lineæ propugnaculo haud opus habeat. Stant heic, qui Miraculum hocce ſtationis Solis ad Literam explicant, & tamen Copernicani ſunt ac manent. *Medium Cœli*, in quo ſtare debebat Sol, centrum his eſt magni illius Vorticis Solaris ſeu Planetarii, in quo locatus eſt Sol, Mundi Planetici Monarcha; qui non ſolus ſtare debebat, ſed & Luna, imo, quod Copernicani volunt, totum Syſtema Planeticum, utpote à motu centrali Solis in gyrum actum. Et de Sole quidem, oculo Mundi, ſcire oportet, eum nunquam quieſcere, ſed ſpatio 24. dierum gyrari circa proprium centrum, & hac ipſa gyratione ſua majeſtatica circumducere, veluti ſatellites, omnes Planetas, & hos inter Terram. Imperatoris proin imperatiua adlocutio, *Sol ſiſte gradum*, ita ad Literam explicari poteſt, & debet,

bet, quòd Sidus hocce ſplendidum contra & ſupra Naturæ ordinem in motu ſuo centrali debuerit ſiſti, & cum eo, momento citius, omnes Planetæ, & Terra quidem præcipuè in motu ſuo 24. horarum diurno. Juſſit itaque Joſua ſiſti non currum, Terram, ſed Equos tractores, Solem Motus Fontem. Fauet & Copernicanis Textus Sacer, ſi verbum דָּמַם *damam* interpretemur in genuino ſuo ſignificatu per *ſiluit*, *conticuit*. Motui locali opponitur vox עָמַד *amad*, *ſtetit*, *perſtitit*, *permanſit*, & hoc ſenſu accipitur v. 19. *vos ne conſiſtatis, ſed inſequimini hoſtes veſtros*. Exprimitur ita Solis ſtatio locutione Metaphorica, non propriâ, quia localis motus Soli non competit. Debebat hic *conticere*, in ſe ipſo quieſcere, effluxum vel in Cœlum Planeticum influxum veluti retrahere, ut Monarcha quieſcit, ſilet, conticet, & veluti in inactione eſt, ſi nulla emanent ex ejus Regiâ juſſa ad ſubditos. Et LXX. utuntur phraſi, quæ ἐμφάσει haud caret, ἵστημι ἐν στάσει, *ſtare in ſtatione*. De Sole ſemper verum, quod ſtet, ἵσταται, in Vorticis Centro, ſed heîc ἵσταται ἐν στάσει, ſtat ita, ut ne quidem gyretur circa proprium centrum. In Aſtronomia Ptolomaica Soli nulla prorſus & unquam competit στάσις, in perenni eſt & velociſſimo curſu: ſuffeciſſet proin ſolum vocabulum ἵστημι. Nominantur *Gibeon* & *Ajalon* non tantùm ut obſeruatoria Phænomeni miraculoſi, ſed eum præcipuè in finem, ut omnes Terræ Nationes ſciant, quâ occaſione, in quanam Regione in fauorem Populi DEI patratum fuerit tanti momenti Miraculum.

Sed eſt nobis res quoque cum heterodoxis, imo Atheis. Reducit *Peyrerius Syſtemat. Theol.* L. IV. c. 5. omne, quod heic patratum fuit, Miraculum ad Meteororum Claſſem. Proſecutus fuit Sol, & reliqua ſidera, motum ordinarium, juxta Naturæ Leges; Joſua verò metuens, ne, Sole jam ad Occaſum vergente, deficeret ſibi ſuiſque dies ad perſequendum hoſtes, precibus ſuis impetrauit, ut vero Sole jam occiduo ſeſe præſentaret Parhelius, Meteorum Soli ſimile, in Horizonte Gibeonitico. Anſam huic cogitationi dedit Phænomenon, quod in Regionibus montoſis Heluetiæ noſtræ quotidie obſeruare datur. Sol nempe, poſtquam infra Horizontem jam ſeſe demerſit, irradiando Montium altiſſima juga, lucem inde reflectit ad ſubjectas valles, & diei uſum incolis ultra ordinariam longitudinem protrahit. Eadem eſt ratio Solis ortiui. Sed *Peyrerio* non ſufficit hic radiorum directus in Alpium cacumina illapſus, indeque facta reflexio: recurrendum ipſi neceſſariò eſt ad beneficium Refractionis, ſiquidem formare velit vicarium Solem. Fauet autem huic propoſito, vel fauere videtur, Obſeruatio in Regionibus Septentrionalibus, Suecia, Norwegia, Noua Zembla frequens, quâ Solem vident ſupra Horizontem, qui jam reuerà eſt infra eum demerſus. Videatur *Bilbergii Refractio Solis inoccidui*, 1695. Teſtimonium Sacrum, *conſtitit itaque Sol in medio Cœli, nec feſtinauit ad occaſum fere integro die*, ut torqueat *Peyrerius*, ita explicat, ut non poſitiuè intelligi debeat integer dies, ſed *quaſi integer*. Ut *quaſi duo* habet in illo Siracidis XLVI. 5. *Nonne Sol reſtitit — & dies unus excreuit ad duos*, πρὸς δύο, al. ὡς δύο. Euaneſcente ſenſim Solis lumine in Gibeoniticis montibus, comparuiſſe in Ajalonitica valle μετέωρον Lunæ ſimile, donec victi fuerint hoſtes, & plenè profligati. Ita clarum ἐμπαίκτῃ videtur, *non fuiſſe talem diem ante illum, nec poſt illum.* In Theatrum producit diſceptantes inter ſe Theologum & Mathematicum. Digna διάσκεψις, quæ heic veluti παρενθέσεως loco inſeratur. *Demonſtrabat Mathematicus, dies dari plurium dierum, ſecundum ſphæræ obliquitatem, uno ſex menſium perpetuum ſub parallela degentibus. Excanduit ad hæc verba Theologus, impium clamitans, & lamina candente, qua Hæretici uſtulantur, expiandum, aſſerere, potuiſſe dari majores dies die illa, quæ fuit in miraculo Joſuæ, quæque una facta fuit quaſi duo. Præſertim, cum diſertè ſcriptum eſſet:* Non fuit antea, nec erit poſtea tam longa dies. *Quo nihil expreſſius, nil clarius apparebat. Manifeſtas autem mendacii teneremus, ajebat ille, Scripturas Sacras, (cogitatu nefas & horrendum!) ſi vera eſſent, quæ demonſtrat Mathematicus. Ac proinde optimè cauiſſe Imperatores, qui Mathematicos Cœlo Chriſtiano interdixiſſent. Ne ſæui, parue Sacerdos, reſpondit Theologo Mathematicus: Fallit te incautum Pietas tua. Nam & verbum DEI verum eſt, & ratio Matheſeos vera eſt. Verum eſt, neque fuiſſe antea, neque futuram poſtea tam longam diem in Regione Gabaonitide, qualis fuit præcipiente Miraculum Joſue. Sed non extende Miraculum illud & longitudinem diei illam extra Gabaonem, ad Regiones alias. Verum enim eſt, neque illo verius dari poteſt, in Regionibus Polaribus longiores multò fuiſſe & futuras dies die illa, qua jubente Joſue Sol non feſtinauit occumbere ſubter Gabaonem, ſpatio unius diei, quæque una dies facta eſt tantum quaſi duo: dantur enim manifeſtiſſimè ſub Polo habitantibus dies, non quaſi duorum dierum, ſed reuera 182. dierum, & ultra. Quod argumentis ineluctabilibus euincebat Mathematicus. Victus verò fruſtra contendebat Theologus.* Suboluit ſcilicet Peyrerio, rem ſibi fore cum Theologis, & proſcriptum iri facilè, tanquam Miraculorum diuinorum extenuatorem. Propterea ſequentem ſubjungit Proteſtationem: *Illi (malignæ opinationis homines) ſunt, quibus religioſum & diuinum inprimis eſt, quicquid non creditur. Et quò magis incredibilia, hoc ſanctiora apud illos reputantur miracula, tum (quod & ipſum monſtrum eſt) quò magis ſuperant Fidem, & magis Fidem illis adhibent. Fateor autem ingenuè, me nomen non profiteri meum inter abnormes Miraculorum aſſertores, qui Rationem omnem denormant. Rationa-*

*lis ſum, & Rationi conueniens nihil à me alienum puto. Miracula illa Joſuæ & Iſaiæ credo. DEUMque in illis maximè veneror. Sed non illa credo majora veris & Rationi congruis. Continui ergo illa intra limites ſuos.* Quæ Proteſtationis formula haud extra rhombum, ſi applicetur Miraculis per Traditiones inuectis, minimè verò quadrat illis, quæ in Sacris continentur Literis; Omnia viri hujus Ratiocinia Mathematica, vel quaſi Mathematica potius, & Anathematica, vix ſpeciem quandam veri habent, vel umbram, & citius euaneſcunt, in auras protracta, quàm ipſa illa, de quibus ille, Meteora emphatica. Et en, quàm inconſtans ſui nunc ſe huc vertat, nunc illuc! nunc refugio ipſi eſt reflexio radiorum Solis, jam infra Horizontem demerſi, ex Montibus Gabaoniticis; nunc aſylum Refractio; haud conſiderans, illam, ſi vel Alpium altitudines habuiſſent montes illi, ut minimè habent, ne horam quidem dare potuiſſe Joſuæ, nedum diem fere integrum, vel quaſi: & hujus aliam longè rationem eſſe in Regionibus Aſiaticis, ac in Polaribus, ut denſior longè eſt hîc quàm ibi Atmosphæra, & nemini non modernorum Mathematicorum Ratio dictat atque Experientia, Refractiones accreſcere magis & magis ab Æquatore usque ad Polos, & talem in Palæſtina non dari, quæ Solem jam occiduum præſentet ſupra Horizontem. Accedit, quod in Polaribus illis Regionibus Sol, uti non altè eleuatur ſupra, ita nec profundè demergatur infra Horizontem, quum è contra in Aſia altè ſcandat ſupra, & profundè deſcendat infra Horizontem. Et tandem nil juuat prorſus Peyrerium τὸ πρὸς vel ὡς δύο Siracidis, ſi vel Canonicos inter Scriptores foret, non ſanè extendendum ad ſemihoram vel horulam, ſed plus ultra, ad duos, vel duos fere dies.

Ejusdem cum *Peyrerio* commatis eſt *Spinoza* vel nominetenus ſpinoſi quid vel monſtroſi ſecum ferens *Tract. Theol. Polit.* c. 1. & 6. p. 21. 78. Cui omne miraculum reducitur ad *Parhelium, orta refractione ſolito majori ex nimia glacie, quæ tum temporis in Regione Aeris erat.* Ita Carteſianizans vel Romanizans: hæc quippe de Parheliis Hypotheſis dudum eſt exploſa. Præuidit equidem ipſe infirmitatem ſuæ opinionis, additque propterea, potuiſſe interuenire *aliud quid, quod jam non inquirimus.* Dictabat quippe ei Ratio, in Climate adeò calido, Atmosphæra adeò tenui, perdifficilem eſſe conceptu materiam adeò condenſatam, quæ occiduo jam Sole Parhelium formet, vel & nubem conglaciatam, in Aere tamen pendulam, impoſſibilem, imo Parhelium, qui vicem Solis illuminando gerat. Hactenus equidem in parallelismo locari poſſet *Spinoza* cum *Peyrerio*, imò &, quod mox videbimus, *Clerico*, ſed Cap. 6. Atheum ſe manifeſtè exhibet, prætendens, finxiſſe Judæos *ex pio dolo* Miraculum hocce, ut Gentiles Heliolatras & Selenolatras docerent, eſſe Dominum Sole Lunaque ſuperiorem, & propterea factam eſſe non ſolùm diei longioris, ſed & Solis Lunæque mentionem. Hujusmodi Scommata igne ferroque quàm ſolida refutatione digniora aliis relinquo.

Sunt ex Atheis, qui pro ſui tali quali defenſione ex Copernici Syſtemate probare conantur, ſtatione Solis & Cœli Planetici Chronologiam veluti interrumpi, & in diſcrimen certitudinis ſuæ adduci, & vel hoc ipſo dicti Syſtematis veritatem in ſuſpicionem malæ fidei, non cogitantes, telum hocce non minus ferire Ptolomaicos, quam Copernicanos. Sed vanum eſſe hunc metum, patebit ex ſequentibus. Juxta ordinarium Naturæ curſum combinatur Dies 24. horarum, ſiue νυχθήμερον ex duplici Terræ Motu, diurno nempe, quo circa Axem gyratur, & annuo, quo prouoluitur in orbita ſua circiter $\frac{1}{365}$. Hoc nunc miraculoſæ prolongationis die biduo κύλισιν abſoluiſſe dicunt Copernicani priorem diem, alterum ἕλκησιν, tractionem. Priorem compoſitum ex binis his motibus, poſteriori ceſſaſſe volutationem diurnam, non interrupto annuo motu, ſiue protractione in Orbita. Patebit id ex Schemate præſentis Tabulæ. Fuit proin Terra in craſtinæ diei veſperâ, qua gyrari rurſus cœpit circa proprium axem, in eodem Orbitæ annuæ puncto, quo fuiſſet viâ Naturæ ordinariâ. Ita ſaluant illi motum Terræ annuum, à quo inprimis Chronologia pendet, tantò autem facilius, quia etiam juxta Naturæ Leges Corpus Planeticum ſemel motum pergit moueri, niſi ab aliis obuiis corporibus impediatur. Nihil autem aderat, quod Terræ prouolutionem in Orbita annua impedire poterat, fieri ſolitam in fluidiſſimo Æthere. Par ratio eſt aliorum Planetarum; hi omnes licet motu centrali Solis cohibito ceſſarint gyrari circa ſuos ſinguli axes, perrexerunt nihilominus in orbitis ſuis annuis. Imò verò totus Planeticus vortex continuabat circulationem ſuam, ut Aqua in vaſe in gyrum mota aliquandiu continuat vorticoſum motum, vaſe licet redacto ad quietem. Viſus proin Sol ſupra Horizontem à veſpera primæ ad veſperam ſecundæ diei, & promotus tamen gradu uno in Ecliptica.

Prolata hactenus contra meteorizantes *Peyrerium* & *Spinozam* ſint quoque dicta contra Cl. *Clericum*, qui non minus ac illi miraculum extenuat. *Non eſt*, inquit Comm. ad h. l. *ſimile vero, ob rem tantillam, qualis fuit cædes aliquot Chananæorum, & quidem eo die potius, quàm poſtridie, Terræ motum diurnum, aut, ſi mauis, Solis interruptum fuiſſe. Non ſolet DEUS, ut ſic loquar, ſic prodigus eſſe Miraculorum, ut Naturæ ordinem in tam inſigni Uniuerſitatis parte leui de cauſa perturbet.* Imo dubitare videtur θαυματομάστιξ de ipſa facti veritate, quandoquidem Hiſtoria hæc Joſuæ Libro inſerta fuerit ex *Libro Recti*, Libro Poetico, quo Iſraelitarum facta ſtylo recenſeantur hyperbolico,

lico, vel, ſi mauis, Romanico. Res ipſa autem ſi contigit, refugio ipſi ſunt Refractiones, quas Lapponiæ exemplo illuſtrat, vel lucidum aliquod aliud Meteoron extraordinarium, Parhelio vel Paraſelenæ ſimile, ſi non idem. Sunt alia, quæ crucem *Clerico* figunt, digniora, quàm illa, refutatu. Sollicitum ſe præbet ille non duntaxat pro Aſia, & huic Regioni oborituris incommodis, ſed & pro Antipodibus, qui non minus paſſi fuiſſent incommodi à Nocte, quàm Aſiæ Populi à die, 32. vel ſaltem 28. horarum. Haud conſiderans, eandem ſibi refellendo ſufficere methodum, qua uſus eſt Pericles, fortis ille Nauarcha, ad militum metum, occaſione Eclipſeos Solaris conceptum, & quæ unicè conſtitit in velo, quo texerat faciem; Nemo ſanè ſiniſtri aliquid metuit, ſi per aliquot ſucceſſiuè dies cœlum obtectum eſt nubibus, ut Sol ne quidem veniat in conſpectum: ut nemo, ſi pleno fulgore colluſtret Orbem per integrum ſine intermiſſione biduum. Neque ulla nos afficiat cura, ſi DEUS alicubi patrare velit Miraculum, quomodo vel heîc vel alibi res ſeſe ſit habitura: Sunt in Potentiſſimi manibus media numero innumera, conſeruandis Creaturis ſufficientiſſima. Sed quoque anxia angit ſollicitudo *Clericum* pro Iſraelitis ipſis, quorum Exercitum videt profectione à Gilgale usque ad Gibeonem, ſed quoque pugnâ cum hoſtibus defatigatum, cui neceſſariam videt virium refocillationem per quietem, & ſatis ſupereſſe temporis pro hoſtium deletione, ſiquidem præceſſerit diei unius vel alterius quieta transactio: quod caret alternâ requie, durabile non eſt. Nos vero omnem hanc curam, ſollicitudinem omnem DEO remittimus, qui manus populi ſui reddidit pugnaces, & animos fortes, tantique momenti miraculo ſocias pro immenſa ſua potentia ſuffenas jungere vires. Neque attendit ille, eodem, quo contra Miraculum noſtrum pugnat telo, proprium quoque ferire jugulum. Valet quippe hæc argumentatio Clerici, ſi quid valet, non minus contra Parhelium, quàm Solem verum.

Num veſtigia magni hujus Miraculi aliqua extent in profana Hiſtoria, dubitare licet. Poſſet huc referri, quod refert *Martinius Hiſt. Sinic.* L. I. c. I. Imperatore *Yai* A. 2357. ante Chriſtum natum in China per δεκαήμερον Solem non occidiſſe, ut nemo non metuerit, ne nimio Æſtu conſumeretur orbis. Poſſet, inquam, ni obſtaret Chronologicus computus, qui Miraculum Joſuæ ponit in Annum ante CHRISTUM 1586. non 2357. Nam

| | |
|---|---|
| Exierunt Iſraelitæ Ægypto A. M. - | 2514. |
| Transegerunt in Deſerto annos - - | 40. |
| In Palæſtina - - - - - | 1. |
| Cadit proin Solſtitium Joſuæ in A. M. - | 2555. |
| Sed CHRISTI Natiuitas in - - | 4141. |
| | 2555. |
| Ergo à ſolſtitio Joſuæ ad Chriſti Natiuitatem effluxere - - - | 1586. |

Ut probabile magis ſit, alludere illam Chinenſium Hiſtoriam ad Excidium Sodomæ & Gomorræ, quia ei additur, arſiſſe magna paſſim incendia. Ita quoque *Ouidius Metam.* L. II. *Fab.* 2. ubi de Phaethonte.

Corripitur flammis ut quæque altiſſima Tellus,
Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis,
Pabula caneſcunt, cum frondibus uritur arbor,
Materiamque ſuo præbet ſeges arida damno.
Parua queror, magnæ pereunt cum mœnibus urbes,
Cumque ſuis totas populis incendia Gentes
In cinerem vertunt, Syluæ cum montibus ardent.

Et *Fab.* 4.

At pater obductos luctu miſerabilis ægro
Condiderat vultus, &, ſi modo credimus, *Unum*
*Iſſe diem ſine Sole ferunt* —

Unde & *Celſus* apud *Origenem L. IV. contr. Celſ.* objicit Chriſtianis & Judæis, quod Miracula ſua & Hiſtorias mutuò ſumſerint & corraſerint ex Gentilium Fabulis. *Quæ de Sodomis & Gomorrhis propter peccatum Igne deletis Moſes narrat in Libro Geneſeos, Celſus comparat cum Phaethontis Hiſtoria, in eundem iterum impingens lapidem, ob non ſeruatam Antiquitatem Moſis temporum. Nam hi, qui de Phaethonte fabulantur, videntur Homeri ætate poſteriores, qui Moſen eſt longo poſt tempore ſecutus.* Cadit autem Sodomæorum excidium in annum ante Chr. natum 2033. ſicque propius accedit ad illum Chinenſium 2357.

Extat *Joh. Godofredi Werchau*, Groſsbarda Miſnenſis *Diſp. de Statione Solis ad* Joſ. X. 12. 13. 14. Præſ. D. *Jo. Georgio Abicht*, P. P. Lipſiæ Lit. Andr. Mart. Schedii 1713. 4.

In Figuris Tabulæ præſenti adjectis ſiſtit

A. Situm Terræ reſpectu Solis v. gr. à Saturni h. 12. noctis.
B. Hora 6. ante meridiem diei Solis, quo Miraculum contigiſſe ſupponimus.
C. Hora 12. meridiana Diei Solis.
D. Hora 6. poſt ejusdem Diei, quâ Sol gradum ſiſtere juſſus.
E. Terra in eodem ſitu hora 12 poſt.
F. Terra in eodem ſitu hora 6. ante Diei Lunæ.
G. Terra in eodem ſitu hora 12. meridiana ejusdem diei.
H. Terra in eodem ſitu hora 6. poſt ejusdem Diei, quà cœpit gyrari ut ante.

I. Terra h. 12. poſt diei Lunæ.
K. Terræ ſitus h. 6. ante Meridiem Diei Martis.
L. Terræ ſitus h. 12. meridiana.
Oppoſita διαῤῥήδην Facies exhibet ordinarias Terræ gyrantis φάσεις.

# TAB. CCCLXXII.

## Joſ. Cap. XVIII. verſ. 9.

Abeuntes ergo Viri illi pertransierunt Terram, deformantes eam in Libro, facientes ſeptem partes oppidatim, reuerſique ſunt ad Jehoſuam in caſtra, quæ erant in Silo.

Itaque perrexerunt: & luſtrantes eam, in ſeptem partes diuiſerunt, Scribentes in Volumine. Reuerſique ſunt ad Joſue in caſtra Silo.

COmmoda ſeſe offerret heic *Geographiæ* uſus multifarios deprædicandi occaſio; oſtendendi, quantam fœneretur lucem *Hiſtoriæ* tum *Sacræ*, tum *profanæ*; quàm illâ carere nequeant Principes & ſtatus, utpote quorum ſalus & conſeruatio, imo & intentiones, Conſilia, actiones Pace Belloque Politicæ fundantur præcipuè potentia & infirmitate vicinorum vel Regnorum, vel Rerumpublicarum, facilitate vel difficultate adituum, fortitudine vel debilitate natiua limitum, Fortalitiorum limitaneorum, diuitiis vel paupertate Populorum vicinorum, commerciis, horumque commodo: quàm inprimis illa carere nequeant Belli Duces & Imperatores, ſiquidem ducere velint ſecuri ſuos Exercitus, defendere ab hoſtium inſidiis, hoſtiles copias aggredi, commodis locis profligare, in Terras alienas penetrare, quem in finem neceſſariæ illis ſint Mappæ, ſpeciales inprimis & ſpecialiſſimæ, in quibus delineati ſunt aditus, termini, montes, Syluæ, Paludes, Riui, Flumina, Pagi, Urbes, Fortalitia, Loca quæuis ſeu fœcunda, ſeu ſterilia. Audiamus *Vegetium* L. III. *de Re Militari*: *Qui rem militarem ſtudioſius didicerunt, aſſerunt, plura in Itineribus, quàm in ipſa acie pericula ſolere contingere. Nam in conflictu armati ſunt omnes, & hoſtem cominus vident, & ad pugnandum animo veniunt præparati. In Itinere minus armatus, minusque attentus eſt miles, & ſuperueniente impetu vel fraude repente turbatur. Ideoque omni cura omnique diligentia prouidere debet Dux, ne proficiſcens patiatur incurſum, vel facile ac ſine damno rependat illatum. Primùm Itineraria omnium Regionum, in quibus Bellum geritur, pleniſſime debet habere perſcripta, ita ut locorum interualla non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat: Compendia, diuerticula, Montes, Flumina ad fidem deſcripta conſideret: usque eò, ut ſolertiores Duces Itineraria Prouinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantùm adnotata, ſed etiam picta habuiſſe firmentur, ut non ſolùm conſilio mentis, verùm aſpectu oculorum viam profecturis eligerent.* Exemplar fortiſſimi ſimul & prudentiſſimi Ducis hujusmodi deſignationibus ſpecialibus inſtructi antiquiſſimum pariter & ex omni parte perfectum eſt *Joſua* noſter, Populi DEI Imperator. Vir, qui ad hunc ſummæ dignitatis apicem aſcendit, non Ambitione ductus, non Populi fauore leuatus, non ſanguine Regio fultus, non aliarum Dignitatum ſubſidio adjutus, ſed Miles fortis & bonus, vir probus, qui non ſolùm Delineationes ab aliis factas nouit adhibere ad uſum, ſed ipſe Explorator Ichnographiæ generali ante εἴσοδον factæ adfuit, & fortè labores ipſe ſuos mutuos contulit, fidus DEO καλλίσκοπος effectui dans, quod mandauerat Moſes. Num. XIII. 18. *Aſcendite hac Meridiem verſus, ut tranſcendatis montes. Conſiderabitis autem Terram qualis ſit, & populum, qui in ea habitat, fortisne ſit an debilis, exiguusne ſit, an multus. Qualis (inquam) ſit Terra, in qua ille habitat, bona an mala: quales deinde ciuitates, in quibus ille (populus) habitat, in caſtrisne, an in munitis locis (habitent). (Aſcendite per Meridianam plagam: cumque veneritis ad Montes, conſiderate Terram, qualis ſit: & populum, qui habitator eſt ejus, utrum fortis ſit an infirmus, pauci numero an plures: ipſa Terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an absque muris.)* Nunc opus habet Joſua non *Geometria* duntaxat *militari*, ſed quoque *legali.* Non ſolùm occupanda eſt Terra, ſed quoque inter Tribus diſtribuenda. Jubet hinc v. 4. *dare tres viros ex quaque Tribu, ut mittat eos, qui ſurgant & perambulent Terram, & deſcribant eam juxta hæreditatem ſuam. (Eligite de ſingulis tribubus ternos viros, ut mittam eos; & pergant atque circumeant terram, & deſcribant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis.)* Et v. 9. *Ite & per-*



Ios. Cap. XVIII. v. 9.
Israelitæ Geographi.

Buch Joſua Cap. XVIII. v. 9.
Die Beſchreibung Canaans.

G. D. Heuman sculp.

RPJCB

*perambulate Terram, & deformate eam.* Qui viri ad obſequia prompti *ſurgentes abierunt.* Et colligere facile eſt ex ipſo, quem confecerant, diſpartitionis Indice, non fuiſſe Reſcriptum Politicum duntaxat, & generale, ſed Geographicum, quo ductæ à termino ad terminum Lineæ, denominata Flumina, Montes, Fontes, Valles, Maria, Urbes, Campi, Lapides, quæ omnia juſtas conficiunt Mappas. Juſto proin titulo in hæc Joſuæ tempora referimus antiquiſſimas Mappas, quarum inuentio aliàs à *Strabone* L. I. adſcribitur *Anaximandro Mileſio,* τὸν μὲν ἦν ἐκδῦναι πρῶτον γεωγραφικὸν πίνακα, ut & à *Laërtio* in ejus vita. Vixit autem Anaximander circa A. 560. ante CHRISTUM natum. Vel quid aliud erit סֵפֶר *ſepher, liber,* quàm πίναξ, *Mappa?*

Sed Quæſtio heic, quâ Methodo Exploratores hi Geometræ uſi fuerint ad conficiendam adeò breui tempore vaſtiſſimæ Regionis Mappam? Huic Quæſtioni, & Lectori ſimul curioſo ut ſatis quodammodo fiat, neceſſe habeo, ſed applicatiue ad præſentem Hiſtoriam, & conciſâ breuitate, proponere varios Mappis conficiundis idoneos modos.

Monendum, veluti in anteceſſum, Geometriam Iſraelitis non potuiſſe eſſe ignotam, quia floruit, imò ex optimorum Scriptorum mente nata fuit in Ægypto. Oſtendit diſertè *Herodotus* L. II. 109. fuiſſe Geometriam Ægyptiis neceſſariam quàm maximè, & Nilo quotannis Ægyptum inundante Regem Geometris dediſſe in mandatis, ut Agrorum limites redintegrarent, ſuumque cuiuis attribuerent: imò transiiſſe ſcientiam hanc ex Ægypto in Græciam. Δοκεῖ δέ μοι ἐντεῦθεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα εἰς τὴν ἑλλάδα ἐπανελθεῖν. Meretur heic exſcribi Locus ex *Strabone* L. XVII. ἐδέησε δὲ τῆς ἐπ' ἀκριβὲς καὶ κατὰ λεπτὸν διαιρέσεως διὰ τὰς συνεχεῖς τῶν ὅρων συγχύσεις, ἃς ὁ Νεῖλος ἀπεργάζεται, κατὰ τὰς αὐξήσεις, ἀφαιρῶν καὶ προστιθεὶς, καὶ ἐναλλάττων τὰ σχήματα, καὶ τἄλλα σημεῖα ἀποκρύπτων, οἷς διακρίνεται τότε ἀλλότριον καὶ τὸ ἴδιον. ἀνάγκη δὴ ἀναμετρεῖσθαι πάλιν καὶ πάλιν. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὴν Γεωμετρίαν συστῆναί, φασιν, ὡς τὴν Λογιστικὴν καὶ Ἀριθμητικὴν παρὰ Φοινίκων, διὰ τὰς ἐμπορίας. *Opus autem fuit tam diligenti ac ſubtili locorum diuiſione, propter continuas finium confuſiones, quas Nilus auctus efficiebat, aliis addens, aliis adimens, & immutans figuras, & ſigna obruens, quibus proprium diſcernebatur ab alieno. Itaque identidem dimetiri oportebat. Atque hinc ab Ægyptiis Geometriam credunt inuentam fuiſſe, quemadmodum Ratiocinandi ſcientiam & Arithmeticam à Phœnicibus propter mercaturas.* Eadem prope habet *Diodorus Siculus Biblioth. Hiſt.* L. I. Imò memorat *Joſephus* additos Exploratoribus illis Geometriæ peritos, qui Arti conuenienter Regionem deſcripſerint. Ἄνδρας τοὺς ἐκμετρησομένους τὴν χώραν αὐτῶν ἐξέπεμψε, παραδοὺς αὐτοῖς τινας Γεωμετρίας ἐπιστήμονας, οὓς τ' ἀληθὲς οὐκ ἔμελλε λήσεσθαι διὰ τὴν τέχνην.

Pergo nunc ad methodos varias, quibus quidem Mappæ Geographicæ confici poſſunt.

I. Certiſſima ſimul & accuratiſſima eſt Aſtronomica, qua per Obſeruationes Aſtronomicas Eclipſium Solarium, Lunarium, Jouialium, cujusuis Loci punctum, computata tum Longitudine tum Latitudine, determinari poteſt. Non eſt hæc Methodus huc applicabilis: Adſint oportet Obſeruatoria, Quadrantes notabilis magnitudinis in gradus & minuta exactiſſimè diuiſi, Teleſcopia, Horologia Aſtronomica cum ſecundis, alia magni pretii Inſtrumenta, & requiritur inſuper ſedes fixa, tempus opportunum. Imo ne hodie quidem uſui eſt hæc Methodus ad conficiendas Mappas ſpeciales, ſed duntaxat ad determinandos præcipuarum Urbium ſitus. Quo cognito, Globoue vel Mappæ generali inſcripto, cujusuis urbis περίχωρος vel Regio quibusdam intermedia delineatur ope unius ex ſequentibus Methodis.

II. Altera Methodus, quæ Geometrica eſt, fit per Triangula & Interſectiones: eligitur Linea duorum locorum eminentium ſtationaria, menſurantur in ſtadiis, Milliaribus, paſſibus, pedibus: determinantur hujusdem Lineæ Plagæ: hac Lineâ poſita menſuratur pariter alius loci ab uno priorum diſtantia, obſeruatis ſimul plagis: ita obtinetur Triangulum in charta, quod trium e. gr. Urbium ſitui reſpondet. Ita per viam Triangulorum pergitur ab uno Regionis loco ad alium. Hac methodo uti poterant à Joſua emiſſi Geometræ, quandoquidem non opus eſt niſi Itinere ab uno loco ad alium, & obſeruationum præciſâ adnotatione.

III. Tertius modus eſt rurſum Geometricus, ſed artificioſus magis, fitque ope *Menſulæ Prætorianæ*, & tanta commoditate, ut ex duorum Locorum diſtantia cognita per Interſectiones inueniri queant Loca, quot alia videri queunt cunque. An verò Inſtrumentis hujusmodi uſi fuerint Iſraelitæ, haud conſtat.

IV. Modus quartus eſt opticus, & conjicit totam aliquam Regionem in chartam ope *Cameræ obſcuræ.* Haud autem vero eſt ſimile, uſos fuiſſe Iſraelitas hac methodo.

V. Jucundam & exactam ſimul, Geometriâ Aſtronomicâ fundatam methodum docet *Chevalier* in *Hiſt. Acad. Scient. Gall.* A. 1707. p. 113. Obſeruat is alicubi Amplitudinem Horizontis, ſiue Locum Ortus Solis in Æquinoctio & Solſtitio. Lutetiæ Pariſiorum e. g. Amplitudo Solſtitialis eſt 37. gr. Hi 37. gradus maximam dant trium Menſium amplitudinem inde ab Æquinoctio ſiue 0°. cui Arcui inſcribi poſſunt ex Amplitudinum Tabula ſinguli trium horum Menſium dies, vel etiam ſpatia 5. dierum. Conſignatis ita reliquis 9. Menſibus in charta, & huic ſuperimpoſitâ Tabulâ ſiue chartâ denſiori locat obſeruator in centro locum obſeruationum ſuarum; ſeligitque περίχωρον 2. milliarium, ducens octo circulos concentricos, diſtantes proin ab inuicem $\frac{1}{4}$. milliaris, utens

ad hunc finem Scala Geometrica pro lubitu. Hoc facto erigit Operator duos ſtylos ferreos perpendiculariter, unum in Centro, alterum in gradu illo, qui diei obſeruationis reſpondet, & ad id duntaxat attendit, ut Oriente Sole utriusque Styli umbra ſit in eadem Linea recta. Hoc Inſtrumento ita adaptato, &, uti loqui amant Galli, Orientato, fixoque reddito ſiue immobili, dirigit Operator Regulam ſuis inſtructam dioptris ad ſingula, quæ quidem videre poteſt, Loca, ducitque eò Lineas, quas vocant cœcas, ſiue indeterminatas: in quibus ipſis Lineis ſtatim collocari queunt diſtantiæ Locorum, ſi eæ ſint cognitæ in ſemihoris, vel horarum quartis, ſiue determinari puncta Locis illis reſpondentia. Hac Methodo poſſint facile 30. 40. Homines ſinguli ſuis inſtructi inſtrumentis (heic haberemus 36.) breui temporis ſpatio integram quandam Regionem transferre in Mappam. Singuli nempe ſuas adferunt Delineationes, quas Geometra dein coadunare nouit in unam Mappam. De hac Methodo obſeruandum, niti equidem principiis & Inſtrumentis Aſtronomicis: ſed Inſtrumentis ſemel paratis in uſum trahi poſſe à quouis etiam Geometriæ ignaro, & hac quidem, de qua ſermo eſt, occaſione commodiſſimè potuiſſe deduci ad uſum, ſi modò unus duntaxat Iſraelitarum Orbem illum fundamentalem exarare potuerit.

VI. Poteſt confici breui ſatis tempore Mappa alicujus Regionis ope Pyxidis Nauticæ, quam dioptris ſuis inſtructam ſubſtituimus hodie ipſi Menſulæ Prætorianæ. Explanarem & hanc, qua uti frequenter ſoleo, methodum, ſi vel conjecturæ eſſet locus, fuiſſe Acus magneticæ uſum illo tempore, quo Joſua vixit, cognitum. Et præterea citius fere oſtenditur Praxis ipſa in campo, quàm deſcribitur.

VII. Par ratio eſt methodi, quam Phyſica moderna Experimentalis ſuggerit, & qua Sono mediante Mappa confici poteſt. Certos quippe nos reddunt obſeruationes, inprimis à diligentiſſimo *Derhamo* inſtitutæ, ſonum progredi per Anglicum milliare ſpatio $9\frac{1}{4}$. dimidiorum ſecundorum, per duo milliaria ſpatio $18\frac{1}{2}$. per tria $27\frac{3}{4}$. & ita porrò. Ut proin non opus ſit, niſi ductis ad loca conſpicua lineis, certâ quadam Noctis horâ eminenti alicujus pagi loco, e.gr. Turri explodere ſclopetum ſiue Tormentum, & ut Obſeruator ad Horologium Aſtronomicum præciſum obſeruet tum flammæ viſæ, tum ſoni aduentantis tempus, pro obtinenda diſtantia. Sed non quadrat huc, imò vel omnium minimè, hæc Methodus, quia deſunt Horologia cum ſecundis horumue dimidiis, deſunt Tormenta, Sclopeta, Mortaria, deeſt notitia de ſoni, qualem hodie habemus, progreſſu.

# SUPPLEMENTA IN JOSUAM.

## Joſ. Cap. II. verſ. 18.

Si ingreſſis nobis in Regionem coccinum iſtum funem ligaueris in feneſtra, per quam nos demittis, inque domum tuam congregaueris ad te Patrem tuum, Matrem tuam, & fratres tuos, quin & totam familiam patris tui.

Si ingredientibus nobis Terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos; & patrem tuum ac matrem, fratresque & omnem cognationem tuam congregaueris in domum tuam.

De *Coccino* ſiue coccineo colore שָׁנִי actum fuſius ad Exod. XXV. 4. & demonſtrata origo ex Vermiculo. תִּקְוַת חוּט הַשָּׁנִי *linea fili coccinei*, nobis *coccinus funis, die Schnur des roſinfarben Seils*, forte haud fuit Funis cylindricæ figuræ, ſed lata quædam Faſcia, quæ eminus conſpici potuerit: panni nempe coloris coccinei. Hinc reddit *Clericus textum fili coccinei.* Et in Chaldaica Lingua קואי *Keuai* deſignat Textorem, à qua radice ipſum noſtrum deriuatur תִּקְוַת.

## Joſ. Cap. XXIV. verſ. 12.

Miſi inſuper crabrones ante faciem veſtram, qui expulerunt eos ante conſpectum veſtrum, nempe duos Reges Amorræorum: non autem gladio tuo, aut arcu tuo.

Miſique ante vos crabrones: & ejeci eos de locis ſuis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio & in arcu tuo.

*Vid. Exod. XXIII. 18.*

LIBER

RPJCB




IUD. Cap. V. v. 31.
Sol in fortitudine oriens.

Buch der Richt. Cap. V. v. 31.
Die aufgehende Sonnen-Macht.

*G. D. Heüman sculp.*

# LIBER JUDICUM.

## TAB. CCCLXXIII.

### Jud. Cap. V. verſ. 20.

De cœlis pugnatum eſt, Stellæ inquam è ſtationibus ſuis pugnarunt cum Siſera.

De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.

OCcurrunt in Cantico Deboræ & Baraki triumphali aliæ formulæ loquendi Meteoricæ & Metaphoricæ v. 5. *Montes fluxerunt à facie DOMINI, Sinai iſte ante DOMINUM DEUM Iſraelis.* Nemo non videt, non accipienda hæc eſſe ſenſu literali, quod Montes, vaſtæ molis ſolida corpora, fluxerint inſtar Aquæ, vel alius Fluidi. Interpretatio genuina hæc eſto, nîl adeò eſſe ſolidum, quin DOMINO ejusque Potentiæ cedere cogatur, ut heic 900. ferrei currus Jabini totusque Exercitus à parua Naphthalitarum & Sebulonitarum manu fuere cæſi. Iisdem penè verbis DOMINI Potentiam collaudat Regius Pſaltes Pſal. XCVII. 5. *Montes à conſpectu DOMINI tanquam cera colliqueſcebant, à facie inquam Dominatoris uniuerſæ Terræ. (Montes ſicut cera fluxerunt à facie DOMINI: à facie DOMINI omnis Terræ.)* Par eſt hujus, de quo nunc, Textus ratio. Nemo dixerit vel ſuſtinuerit facile, deſcendiſſe Fixas, vel Planetas, vel & Satellitum quempiam in Terram, ut auxilio venirent Deboræ & Barako contra Siſſeram. Admittamus licet veritatem Teſtimonii illius *Claudiani* de *Theodoſio*:

> O nimium dilecte Deo, cui militat Æther,
> Et cui conjuncti veniunt ad Claſſica Venti.

Nulla tamen nos cogit neceſſitas aſcendendi in altius illud Cœlum, ad Sydera vel Fixa vel Erratica. Eſt Aereum cœlum contra Siſſeram non minus quàm contra Theodoſii hoſtes Armamentarium inſtructiſſimum. Neque altius quàm in Aerem aſcendit *Joſephus Ant.* L. V. c. 5. al. 6. ubi Stellarum contra Siſſeram pugna eſt ſæua Tempeſtas. προσμιγέντων αὐτῶν ὄμβρος, (al. χειμὼν) ἐπιγίνεται μέγας, καὶ ὕδωρ πολὺ καὶ χάλαζα, τὸν ὑετόντε κατὰ πρόσωπον ἤλαυνε τῶν Χαναναίων ἄνεμος, ταῖς ὄψεσιν αὐτῶν ἐπισκοτῶν, ὡς τὰς τοξείας ἀχρήστους αὐτοῖς εἶναι, καὶ τὰς σφενδόνας. Οἵτε ὁπλῖται διὰ τὸ κρύος χρῆσθαι τοῖς ξίφεσιν οὐκ εἶχον. Τοὺς δ᾽ Ἰσραηλίτας ἧττόν τε ἔβλαπτε κατόπιν γενόμενος ὁ χειμὼν, καὶ πρὸς τὴν ἔννοιαν τῆς βοηθείας τοῦ ΘΕΟΥ θάρσος ἐλάμβανον. *Acie dimicantibus magna ingruit tempeſtas, cum largo Imbre & Grandine: ventusque in aduerſos Chananæorum vultus pluuiam egit, oculis eorum caliginem objiciens, ita ut jacula & fundæ illis nulli fuerint uſui. Grauis etiam armaturæ milites præ torpore gladios tenere non poterant. Iſraelitas vero tempeſtas, terga eorum diuerberans, & minus offendebat, & inde majores animos ſumebant, cogitantes, DEUM ſibi in auxilium veniſſe.* De hac Tempeſtate nihil legimus in Scriptura, poteſt tamen hæc Joſephi relatio ſubſiſtere juxta cum aliis Judæorum traditionibus. Minoris valoris eſt *Clerici* conjectura, qui per ſtellas intelligit Angelos, qui Hoſtium Mentes conturbauerint. Interea occurrit in Textu noſtro Phraſis Aſtronomica מִמְּסִלּוֹתָם *mimmſillothan*, quam Arias reddit *Exaltationes* à סָלַם *Salam*, *gradus*. Latina noſtra habet *Stationes*, vernacula *den Lauff*, *Clericus orbitas*. Nec malè. Notum, Stellas, nempe Erraticas, curſum ſuum proſequi in orbibus vel orbitis ellipticis, & hasce nunquam excedere. Si quis fortè Aſtrologus per *mimmſillothan* intellexerit certas quasdam Siderum influentias, iis cum omni ἀστρομαντείᾳ dicimus vale.

## Jud. Cap. V. verſ. 31.

Qui diligunt eum, ſint ſicut Sol, quum oritur in fortitudine ſua.

Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ita rutilent.

Eſt hic Locus ex iis, quibus pugnari ſolet contra Copernicanos. *Sol* diſertis verbis dicitur *oriri*, ut alibi occidere. Sed parum curant illi hujusmodi tela, utpote inualida. Solis ortus aliud nihil eſt, quàm recomparitio in eodem, quo ante non videbatur, Horizonte: quemadmodum occaſus disparitio ſiue occultatio ſplendidi illius Sideris ſub Horizonte occiduo. Utrumque hoc præſtat Copernicanorum Sol æquè ac Ptolomaicorum. Terrâ ab occaſu versùs ortum circa Axim gyrata, neceſſe eſt unum Terræ punctum poſt aliud, Prouinciam unam poſt aliam ex caligine Noctis prodire, à Sole illuſtrari, id eſt, Solem reſpectu unius alteriusue Prouinciæ, imo omnium ſucceſſiuè, oriri. Quo eodem ſenſu mentio fit paſſim, Joſ. VI. 15. 1. Sam. IX. 26. *Orientis Auroræ*, id eſt, comparentis. Nemo ſanè vel ex rigidiſſimis Ptolomaiſmi defenſoribus eò delabitur abſurditatis, ut credat, vel ex citata modò Phraſi euincere prætendat, eſſe Auroram corpus aliquod manè ſurgens, Meridie culminans, veſperi occidens. Et quid, quæſo, locutio illa, *Sol oritur in fortitudine ſua?* Nonne Fons hic Lucis caloriſue inexhauſtus ſemper eſt idem? eſtne Sol oriens fortior culminante? oriturne aliquando non in fortitudine ſua? Vidit facile quiuis, loqui Deboram in hoc ſuo Cantico cum vulgo, imo cum ipſis Copernici aſſeclis, quibus Sol etiam oriens eſt & occidens, imò Eclipſin patiens, quum tamen certiſſimum ſit, nîl pati tunc Solem, ſed eclipſari Terram. *Oritur* heic *Sol in fortitudine ſua*, ſicubi Atmoſphæra à craſſioribus variis vaporibus liberata radios Solis tranſmittit absque ullo obſtaculo. Et quadrat pulcherrimè hujus ἐξηγήσεως applicatio, quâ Debora *orientem in fortitudine ſua Solem* confert iis, *qui diligunt* DEUM. Non ſanè diligit Eum Animus peccatis veluti incruſtatus, Paſſionum variarum nebulis ſurgentibus obfuſcatus. Non hac trajiciunt Amoris & Gratiæ Diuinæ radii, ut admittit & tranſmittit Mens pura, à ſordibus peccaminoſis defæcata, DEI voluntati unicè intenta, cujus Intellectus eſt illuminatus, Voluntas ſancta. Tunc enim demum cognoſcimus DEUM & amamus, ſi à vi actiua Solis illius Juſtitiæ diſpelluntur vapores, qui turmatim nos cingunt. Sed eſt inſuper attendenda Phraſis in Textu obuia. כְּצֵאת הַשֶּׁמֶשׁ *Arias* vertit *ſecundùm exire ſolis*, à יָצָא *exiuit*, *prodiit*, *digreſſus*, *progreſſus*, *egreſſus eſt*, & LXX. καὶ οἱ ἀγαπῶντες αὐτὸν ὡς ἔξοδος ἡλίȣ ἐν δυνάμει αὐτȣ̃. Quod exire Solis, quæ ἔξοδος, qui exitus, ad Literam aliud nihil eſt, quàm majeſtatica ut totius Vorticis Planetarii, ita Terræ colluſtratio: Solaris Lucis & Caloris ex Centro Vorticis ad περιφερίαν ἔξοδος; cujus fortitudo, vis, conſtat ex Solis actione in omnes Planetas, qui absque hac ἐξόδῳ denſiſſimis continuò immerſi forent tenebris, & rigido rigeſcerent gelu, omni Creaturâ viuente orbati; Ἔξοδος Ignis à Centro ad Cœli Solaris circumferentiam, ea diſtantiâ, quam ne peritiſſimi quidem Aſtronomi metiri prætendunt. Et eſt hæc ἔξοδος non tam Globulorum cœleſtium preſſio, quam finxit *Carteſius*, ſed actualis igneæ materiæ effluxus, imò & vis compulſiua grauitati reſpondens. Quam jucundo experimento demonſtrauit *Hombergius Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1708. p. 21. qui, ope Lentis cauſticæ pedalis diametri, radios Solis collectos illabi fecit in vectem Elateri Horologii applicatum, & hujus motum accelerauit. In ſenſu myſtico, ſi Sol ipſe, Lucis & Caloris fons, eſt ipſe CHRISTUS Juſtitiæ Sol, fideles, quibus etiam ἔξοδος adſcribitur, commodè comparari queunt cum Speculo, in quo concentrati radii, indeque reflexi radii præſentant etiam in viribus ſuis & actionibus alterum Solem.

Pro faciliori intellectu Copernicani Syſtematis ad marginem ſiſtitur influxus Solaris Lucis in Terram, motu diurno ab A. verſus C. B. D. gyratam, in qua A. gaudet Oriente Sole, B. Occidente.

TAB.

JCB

TAB. CCCLXXIV.



IUD. Cap. VI. v. 19. 20. 21.
Sacrificium Gedeonis.

B. der Richt. Cap. VI. v. 19. 20. 21.
Gideons Opfer.

*G. D. Heüman sculp.*

# TAB. CCCLXXIV.

## Jud. Cap. VI. verſ. 19. 20. 21.

19. Ingreſſus itaque Gedeon parauit hœdum ex Capris, & Epha farinæ, placentas infermentatas cum carne poſuit in caniſtro, jus verò carnium in olla. Quumque hæc ad illum extuliſſet, obtulit ei ſub Ulmo.

20. Et dixit ad illum Angelus DEI: Tolle carnem & placentas infermentatas, & repone ea ſuper petram iſtam, & effunde jus. Et ille ſic fecit.

21. Et mittens Angelus DOMINI extremitatem baculi, quem manu tenebat, tetigit carnem & Panes infermentatos, aſcenditque Ignis de Petra, & abſumpſit carnem, & Placentas infermentatas. Angelusque DOMINI abiit à conſpectu ejus.

19. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in caniſtro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei.

20. Cui dixit Angelus DOMINI: Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petram illam, & jus deſuper funde.

21. Cumque feciſſet ita, extendit Angelus DOMINI ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: aſcenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes conſumpſit: Angelus autem DOMINI euanuit ex oculis ejus.

Bina extant in hoc Capite Miracula in binis Elementis patrata, Igne & Aqua. Utrumque Gedeoni erat in τεκμήριον Diuini Auxilii. Bina & miraculoſa ſolennitate inaugurari debebat vir fortis pro Imperatoria dignitate. Primò quidem θεήλατος *Ignis aſcendit de Petra*, qui ut heic *abſumpſit* ſacrificium cibarium, *carnem & placentas infermentatas*, ita & aliis occaſionibus accendit victimas: In Abelis ſacrificio, ſi fides eſt *Abenezræ*, & *Theodotionis* verſioni, καὶ ἐνεπύρισεν: In ſacrificio Moſis Lev. IX. 24. In aliis, ſuo quæque loco memorandis. Aſcendit & in Veſuuio paſſim Ignis è ſaxorum fiſſuris. Et exhibet Philoſophia Experimentalis Calorem & Ignem ex mixtura duorum corporum actu frigidorum: calorem & fumum dant commixta aqua & Calx viua, Aqua Fortis & Limaturæ metallorum: Ignem Spiritus Nitri cum Oleis aromaticis orientalibus. Sed heic nîl tale: Nec Vulcanus adeſt, nec officina chymica. *Parat Gedeon* hoſpiti DEO *hœdum ex Capris* גְּדִי עִזִּים & *Epha farinæ*, juxta computum meum quartale Tigurinum & $2\frac{22}{85}$. modiolos: *Placentas infermentatas cum carne poſuit in caniſtro, jus verò carnium in olla*, in conuiuium hæc oblaturus *ſub Ulmo*. Sed aliud imperat *Angelus* DOMINI. *Tolli* debebat *caro*, & *placentæ infermentatæ*, & *reponi ſuper petram iſtam*, & *effundi jus*. Nemo non heic, niſi cœcus, videt tranſcendere Proceſſum hunc omnes Naturæ vires: requiri ad conſumptionem hujus Sacrificii non calorem ſolum, non fumum ex efferueſcentia ortum, non Ignem, quem Philoſophia dat Experimentalis, tranſitorium, ſed multùm Ignis. Attamen nec adeſt Sulphur, nec Pix, nec materia alia inflammabilis, ſed caro elixa unà cum juſculo, & placentæ infermentatæ. Proceſſum integrum exhibet v. 21. *Mittens Angelus DOMINI extremitatem baculi, quem manu tenebat, tetigit carnem & panes infermentatos, aſcenditque Ignis de Petra, & abſumpſit carnem, & Placentas infermentatas*. Heic omne Ratiocinium ceſſat. Manifeſtum eſt Miraculum.

Significat אֵל *el* & אֵלָה *elah Quercum*, δρῦν, vel in genere glandiferam Arborem, neque eſt inter has voculas niſi ſexus diſcrimen, unam maſculinam fœmininam alteram. Idem notant אַלָּה *allah* & אַלּוֹן *allon*. Eſt hoc diſcrimen ſexus antiquiſſimum, vetuſtiſſimis Botanicis memoratum, ſed neſcio qua, niſi fortè magnitudinis, ratione fundatum. Et adhuc eſt alia *Quercus latifolia mas, quæ breui pediculo*

*eſt* C. B. alia *Quercus latifolia fœmina* C. B. per omnia minor. Sed ſunt Quercus varia genera apud *Theophraſtum* III. *Hiſt.* 9. ἡμερὶς, αἰγίλωψ, πλατύφυλλος, φηγὸς, ἁλίφλοιος (quæ affinis dici poſſet noſtræ אֵלָה). *Gaza* ſic vertit: *Roboris genera habentur, placida, Cerrus, latifolia, Fagus, ſalſicortex*, quam aliqui recticorticem vocant. Unde autem Latina noſtra petierit *Ulmum*, quæ alia longè eſt à Quercu Arbor, mihi non conſtat. Niſi ſumſerit Translator אֵלָה pro omni Arbore, ut ſanè priſcis Græcis hæc fuit ſignificatio generalis Δρυὸς, ut *Glans* notabat omnem fructum. Sed cur ex omni Arbore ſelegit *Ulmum?* fortè ex affinitate cum אֵלָה?

# TAB. CCCLXXV.

## Jud. Cap. VI. verſ. 36. ad fin.

36. Et dixit Gedeon ad DEUM, ſeruabisne Iſraelem per manum meam, ſicut loquutus es?

37. En ego ponam vellus lanigerum in area, quod ſi Ros fuerit duntaxat in vellere, reliqua humo ſicca manente, cognoſcam Iſraelem liberandum eſſe per manum meam, quemadmodum loquutus es.

38. Atque ita factum eſt: nam quum poſtero die manè ſurgeret, excutiens vellus illud, expreſſit Rorem ex vellere phialam plenam aquâ.

39. Ait autem Gedeon rurſus ad DEUM. Ne quæſo excandeſcat ira tua aduerſum me, ſi adhuc ſemel loquar, nam tentabo adhuc ſemel illo vellere: ſit quæſo ſiccitas in ſolo vellere, & ſuper uniuerſam terram ſit Ros.

40. Fecitque DEUS ſic nocte iſta, nam fuit ſiccitas in ſolo vellere, & in omni terra fuit Ros.

36. Dixitque Gedeon ad DOMINUM: Si ſaluum facis per manum meam populum Iſrael, ſicut locutus es.

37. Ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quod per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael.

38. Factumque eſt ita: & de nocte conſurgens, expreſſo vellere, concham rore impleuit.

39. Dixitque rurſus ad DOMINUM: Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentauero, ſignum quærens in vellere: Oro, ut ſolum vellus ſiccum ſit, & omnis terra rore madens,

40. Fecitque DOMINUS nocte illa, ut poſtulauerat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni Terra.

EST *Ros*, præſtantiſſimus ille Liquor, deſtillatum quid ex Plantis, & his ipſis Aqua Cordialis. Reddit proles Matri, & fideliter, quod ab ea accepit. Subjectum hoc eſt, in quo nunc intra duo nychthemera duplex patratur Miraculum, quo nempe excitari debebat, & veluti inaugurari, Gedeon ad liberandos Iſraelitas à Madianitarum jugo. *Ponit* Heros גִּזָּה *gizah*, *vellus lanigerum*, id eſt, ouium, aut agnorum, *in area*, nempe non tecto operta, ut ſunt noſtræ horreorum, ſed ſub dio poſita, in qua grana ventilare ſolebant, vel triturare. Et conjecturare facile, fuiſſe hujusmodi Areas rotundas ſiue circulares, ut boues in iis in gyrum acti grana pedibus triturarent. גֹּרֶן *goren* Hebræis hæc Area dicitur, & hinc fortè Græcis γῦρος *pro gyro, ambitu.* Sane Græcorum ἅλως vel ἅλων, *area*, etiam pro *circulo* ſumitur. *Æſchylus* in Tragœdia *Septem ad Thebas* v. 441.

Ἅλω δὲ πολλὴν (ἀσπίδος κύκλον λέγω)

Et multam Halo (Clypei circulum dico)

In



IUD. Cap. VI. v. 36. ad f.
Miracula areæ.

Buch d. Richter Cap. VI. v. 36. ad fin.
Gideons Thau und Wunder-Tenne.

G. D. Heüman sculp.

RPJCB

RPJCB



IUD. Cap. VIII. v. 7-16.
Conſignatio Rebellium ad poenam.

Buch der Richt. Cap. VIII. v. 7-16.
Aufgezeichnete Rebellen.

*I. A. Fridrich sculps.*

RPJCB



IUD. Cap. VIII. v. 7-16.
Suchotani ſpinis cæſi.

B. der Richt. Cap. VIII. v. 7-16.
Mit Dornern gezüchtigte Rebellen.

*I. A. Fridrich sculp.*

In *Polluce* ἅλως in oculo eſt ὁ ὑπὸ τὴν ἶριν κύκλος, ὁ τῷ λευκῷ προσιών, circulus ad Irim albugini proximus. Et Phyſicis nota *Halonis* vox pro Circulo circa Solem vel Lunam, *Senecæ Circulus Siderum*. Hujusmodi Areas rotundas ſub dio locatas, in quibus grana triturant jumenta, in *Capite Bonæ Spei* apud *Hottentottos* obſeruauit exactiſſimus *Kolbius* p. 112. 118. In tali Area nunc *ponit* Gedeon *vellus*, petitque à DEO *Roris Domino* Mich. V. 7. ut *Ros ſit duntaxat in vellere, reliqua humo ſicca manente*. Nemo non nouit, cadere Rorem ex æquo in omnem ſuperficiem Terræ, non quòd ſemper rectà in idem punctum decidat, è quo bullularum ſpecie fuit eleuatus, leui enim Aurâ hæ bullulæ feruntur hac illac, ut omninò potuerit delabi Ros ex Plantis ſurgens in ipſum Vellus: ſanè ex vellere ipſo aſcendiſſe Rorem, & in idem deſcendiſſe, nemo, qui ſanæ eſt mentis, ſibi facilè perſuadebit. Decidit ergo primo die Ros ex plantis eleuatus in ſolum vellus *reliqua humo* nempe pratorum agrorumue vicinorum *ſicca manente:* Imo ea decidit copia, ut *excutiens vellus illud, expreſſerit rorem ex vellere phialam plenam aquâ.* סֵפֶל *ſephel*, *ſimpulum Scaligero*, rectius vas patens & ſatis amplum, quod pro *pelui* ſumitur in *Miſna Tract. Baua Bathra* c. 4. unde & Græci λεκάνην reddunt, Chaldæus & Syrus *lakna*, Arabs *ſetel*, id eſt, *ſitulam*, hauſtrum anſatum, quo qui in Balneis lauantur Aquam hauriunt; *Hieronymus Concham*, nos rectè quoque *Phialam*, *eine Schale*, quæ *Athenæo* eſt χάλκεόν τι καὶ ἐκπέταλον, λεβετῶδες, δύο ὦτα ἔχων ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, *æneum quid & patulum*, *lebeti ſimile*, *ex utraque parte auritum.* Quæ explicatio benè fundata inſeruit augendo miraculo, & demonſtrandæ Roris ſat magnæ copiæ. Cui extenuando mentem fortè Gedeonis ſubiit, abſtuliſſe ventum omnem ex pratis agriſue vicinis Rorem, & huc, ad vellus, appuliſſe: vel, vellus hocce vi quaſi Magneticâ ſeu attractiua Rorem gramini inſidentem ad ſe traxiſſe. Propterea tentat DEUM Gedeon, infirmus fide, non peruicax, & pro poſtero die petit, ut, inuerſo experimento, *ſit ſiccitas in ſolo vellere*, *& ſuper uniuerſam Terram Ros.* Et en! voti ſui fit compos, *fecit DEUS ſic nocte iſta*, fuit is proin Ros nocturnus, non matutinus, *nam fuit ſiccitas in ſolo vellere*, *& in omni Terra fuit Ros.* Promptè adeſt DEUS ſuis, & horundem precibus prior. De modo, quo utrumque hoc Experimentum miraculoſum factum fuerit, haud ſumus ſolliciti, quia utrumque viribus Naturæ eſt ſuperius. Sufficit nobis demonſtraſſe Miraculum, ut ſuffecit Gedeoni, applicaſſe ad DEI gloriam. Conf. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 49.

# TAB. CCCLXXVI. CCCLXXVII.

## Jud. Cap. VIII. verſ. 7. 16.

7. Gedeon ait: Quum igitur DOMINUS tradiderit Sebah & Zalmuna in manum meam, atteram carnem veſtram ſpinis ac tribulis deſerti.

16. Accepit itaque Seniores Ciuitatis, ſpinas atque tribulos deſerti, & docuit (a) illis ciues Succoth.

(a) Docuit vel erudiuit eos: Schema Ebraicum ſimile Germanico, *Er lart ſy*, hoc eſt, caſtigabat aut puniebat.

7. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit DOMINUS Zebee & Salmana in manus meas, & cum reuerſus fuero victor in pace, conteram carnes veſtras cum ſpinis, tribuliſque deſerti.

16. Tulit ergo Seniores ciuitatis, & ſpinas deſerti ac tribulos, & contriuit cum eis, atque comminuit viros Socoth.

SUnt heic *Spinæ* perduellium ſupplicia. קוֹץ *Kots* generale *Spinæ* vocabulum. Gen. III. 17. 18. Maledictionis & Symbolum, & effectus. Sed ברקנים *barkanim* denotat haud dubiè ſeu genus ſeu ſpeciem quandam peculiarem. Sed qualis ſit, in incerto eſt admodùm. Hæſiſſe videntur ipſi LXX. qui ſeruant originalem vocem Βαρκοννείμ, Βαρκομμείν, Βαρακηνείμ. Plerique Interpretes reſpexiſſe videntur ad Radicem בָּרָק *barak*, *fulgurauit*, ſed hi rurſus fluctuant in incerto, ut neſcii ſimus, an intelligi debeat, quæ fulguris inſtar penetrabilis eſt & urens, vel talis frutex, qui fulgidas & ſplendentes habet Spinas? *Junius* & *Tremellius*, atque *Coccejus* reddunt *Oxyacanthas*, *ſpinas acutas.* Sed nec hi nodum, ut quidem deſideramus, ſoluunt. *Oxyacanthæ* deſcriptio apud Veteres adeò eſt

 diuer-

diuerſa, & obſcura, ut difficile ſit eam præcisè alligare certæ ſpeciei. An huc pertineat *Meſpilus Apii folio ſylueſtris ſpinoſa, ſiue Oxyacantha* C. B. quam ipſe pro ὀξυακάνθα *Dioſcoridis* L. I. c. 122. habet poſt *Matthiolum, Lacunam, Turnerum, Dodoneum, Cordum, Geſsnerum, Bellonium, Lobelium, Rauwolfium*, alios. Fig. A. Tab. CCCLXXVI. an *Oxyacantha Dioſcoridis ſiue Spina acuta Pyri folio.* C. B. quam pro Oxyacantha legitima agnoſcit *Anguillara*, & pro *Pyracantha Lobelius*, quaſi πυρίνη ἄκανθα ab acumine urentium pungentiumque aculeorum, *Salmaſio* judice. Fig. B. CCCLXXVI. an ipſa *Berberis dumetorum* C. B. quæ Oxyacantha *Galeni* videtur *Cordo, Tabernæmontano Hermolao, Ruellio, Trago, Fuchſio, Camerario.* Fig. C. Tab. CCCLXXVII. Priores duæ ſibi ſunt cognatæ, & *Meſpili* habent characterem (Fig. D. ad Tab. CCCLXXVII. marginem) nimirum florem roſaceum, calycem abeuntem in fructum fere globoſum, coronatum, carnoſum, mollem, unicapſularem oſſicula condentem nucleo fœta oblongo. *Tourn. Inſt.* p. 641. T. 410. Si deſideres unam ex Oxyacanthis Aſiaticis, ſelige, per me lubet, ex *Tournefortii Corollario Meſpilum Orientalem Apii folio ſylueſtrem ſpinoſam, ſiue oxyacantham flore purpureo: Meſpilum orientalem ſiue oxyacantham foliis hirſutiſſimis. Berberis* florem habet roſaceum, piſtillum abiens in fructum cylindraceum mollem, ſucci plenum, uno vel altero ſemine fœtum oblongo. Fig. E. CCCLXXVII. Ex hoc Genere, ſi accerſere lubet ſpeciem ex Oriente, occurrit *Berberis orientalis procerior, fructu nigro ſuauiſſimo. Tour. Coroll.* p. 42. Incerti interim hæremus, & veluti ſpinoſis dumetis impliciti, quid ſeligamus neſcii. Pro *Spina* alba, quæ *Meſpilus* eſt, faciunt ſpinæ rigidæ & acutæ, ligno ipſo duriores, quarum unam ſub Microſcopio auctam ſiſtit Fig. F. CCCLXXVII. Goritienſium nomen *Barazzo bianco*, cujus prima ſyllaba cum prima τοῦ *barkanim* congruit. Pro *Pyracantha* aculei longi & breues rigidi; & quid ſi ipſa hæc vox deſcenderet à barkanim? id ſanè mihi perſuaderem, niſi Pyracantha eſſet vox haud dubii ſenſus, compoſita à πῦρ & ἄκανθα. Pro *Berberi* ſpinæ minaces, una, duæ, tresue ut plurimùm ex eodem puncto emicantes, non pungentes ſolùm, ſed & ſcindentes, pœnæ à Gedeone inuentæ aptiſſimæ; prima pariter Syllaba primæ *barkanim cognata*, & ultima in voce *Amyrbar*, qua Arabes fruticem hunc ſpinoſum denotant.

## Jud. Cap. VIII. verſ. 26.

Fuitque pondus inaurium aurearum, quas poſtulauerat, mille & ſeptingentorum aureorum, præter bullas & collaria, veſteſque purpureas, quas habuerant Reges Madian, & præter torques, quæ fuerunt in collis Camelorum ipſorum.

Et fuit pondus poſtulatarum inaurium mille ſeptingenti auri Sicli: abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus Reges Madian uti ſoliti erant, & præter torques aureas camelorum.

ÆQuiualent Sicli hi 1700. Auri 810. unciis, drachmis 5. ſcrupulo uni, granis 10. ponderis Medici: ſaluo errore calculi.

TAB.



IUD. Cap. IX. v. 8 -15.
Iothami Apologus.

B. der Richt. Cap. IX. v. 8 -15.
Jothams verblümte Schütz = Rede.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB



IUD. Cap. IX. v. 8 -15.
Arborum Dialogus.

B. der Richt. Cap. IX. v. 8 -15.
Das Bäume-Geſpräche.

*I. G. Pintz sculps.*

# TAB. CCCLXXVIII. CCCLXXIX.

## Jud. Cap. IX. verſ. 8 - 15.

8. Ibant aliquando Arbores, ut Regem ſuper ſe inungerent; dixerunt ergo ad oleam, imperita nobis.
9. Olea autem reſpondit eis. Num relicta Pinguedine mea, quam in me & Dii & Homines magni faciunt, ibo & ſatagam ſuper Arbores?
10. Dixerunt ergo Arbores ad Ficum: Age tu imperita ſuper nos.
11. Quibus Ficus reſpondit: Num deſerta dulcedine mea, & fructu meo bono, ibo & ſatagam ſuper Arbores?
12. Arbores ergo ad Vineam dixerunt: Age tu imperita nobis.
13. Quibus dixit Vinea: Num deſerto muſto meo, quo exhilaro & Deos & Homines, vadam & ſatagam ſuper Arbores.
14. Dixerunt ergo uniuerſæ Arbores ad (a) dumum: Veni tu, & imperita nobis.

(a) Quidam legunt Rhamnum, alii Cornum.

15. Reſpondit Dumus: Si bona fide ungitis me vobis Regem, venite & confidite ſub umbra mea: quod ſi minus, exeat Ignis ex dumo, & deuoret Cedros Libani.

8. Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe regem: dixeruntque oliuæ: impera nobis.
9. Quæ reſpondit: Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dii utuntur, & homines: & venire, ut inter ligna promouear?
10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & ſuper nos regnum accipe.
11. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructusque ſuauiſſimos, & ire, ut inter cætera ligna promouear?
12. Locutaque ſunt ligna ad vitem: Veni & impera nobis.
13. Quæ reſpondit eis: Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri?
14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera ſuper nos.
15. Quæ reſpondit eis: Si verè me regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite: Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.

JUdicii ſaliſque plenus eſt Arborum Dialogus in Jothami Apologo. Stant veluti in foro, & pro Imperio diſputant Arbores ex frugiferis præcellentiſſimæ cum Frutice, ſeu Arbore, quæ non profert niſi ſpinas, & fructus vel exigui, vel nullius uſus.

A. *Olea* Tab. CCCLXXVIII. pacis, miſericordiæ, honoris, & fertilitatis ſymbolum, deſcripta alibi, Sichemitis promittere poſſet mite regimen, luxuriam, & voluptates, quibus ſub umbra ejus gauderent. Eſt ex Arborum genere flore monopetalo, plerunque quadripartito, cujus piſtillum abit in fructum ouatum, mollem, oſſiculo nucleoque fœtum oblongo: & largâ quantitate dat Oleum multis uſibus inſignem. Olea ſatiua vero, quia eſt expreſſa in Tab. LXIII. ſiſto heic *Oleam ſylveſtrem folio molli incano* C. B. quæ *zizyphus eſt Cappadocia quibusdam*, *Olea Bohemica*. I. B.

B. *Ficus* CCCLXXVIII. dulcedine fructus turbinati, globoſi, vel ouati, mollis, antiquis poſt mel commendata: ſingulari prorſus charactere prædita Arbor, cujus quippe Flores in ipſa fructus cauitate naſcuntur, capillamentis

 ſcili-

ſcilicet tenuibus ex inuolucro quodam prodeuntibus, quod ſemen complectitur utplurimùm ſubrotundum: *Tourneſ. Inſtit.* p. 662. Tab. 420. quem characterem videre licet ad marginem Tab. XXIX. Sed quoniam Ficus communis jam eſt repræſentata in Tab. XXVI. & XXIX. placuit nunc ex Ill. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica* Vol. II. p. 140. Tab. 223. ſiſtere *Ficum Indicam maximam, folio oblongo, funiculis è ſummis ramis demiſſis radices agentibus ſe propagantem, fructu minore ſphærico ſanguineo.* Cujus deſcriptio aliaque Synonyma ibidem videantur.

C. *Vitis* CCCLXXIX. Bacchi parens ex Arborum Fruticumue claſſe flore roſaceo, cujus piſtillum abit in Baccam mollem, carnoſam, ſucci plenam, quatuor plerunque ſeminibus ſeu gigartis fœtam, velut pyriformibus. *Tourn. inſtit.* p. 613. Tab. 384. De hujus producto, Muſto, Scriptor Sacer, *exhilarari & Deos & Homines*, ut ſupra de Oleoſa *pinguedine, magnifieri à Diis & Hominibus.* Non quòd Dii è potibus olei vinique hauſtibus ſeſe mutuò reddant hilares, quæ Veterum fuit Gentilium de Nectare Fabula. Indigitatur totius uſus vini in Libaminibus & Sacrificiis, de quo *Saubertus de Sacrificiis.* c. 18. 25. Homines ſi intueor, vini vires video tum inebriantes, tum *exhilarantes.* De illis actum alibi. Has Bacchi ſodales comprobant loquacitate ſua, cantu, ſaltu, geſtibus & actionibus. Scilicet:

Vinum parat animos, facitque caloribus aptos.

Conſiſtit lætitia in motu celeri, haud impedito ſanguinis, forti ejuſdem ex cordis Thalamis expulſione ad ultimas uſque Arteriolas, citatiori proin Fluidi neruei influxu, actiuitate totius corporis majori, qua animantur omnia, in motus cientur frequentes Loquelæ organa, micant oculi, & mouentur inordinatis motibus, rubeſcit Facies, agiles redduntur Artus. Hi nempe ſunt primi effectus Vini, vel potius Aeris ſeſe & vaſa extendentis effectus: primi inquam, hos enim limites ſi transgrediatur immodicè hauſtus pretioſus liquor, expanduntur nimiùm Cerebri & Meningum Arteriolæ, ſuperatur elaſticitas fibrarum, tranſit Hilaritas in Soporem temulentis familiarem, inſenſilitatis aliquando imo Apoplexiæ prænuntium. Aciei acutæ ſimilis Bacchi liquor, qua multa effici poſſunt bona & utilia, ſed & patrari mala: ut vino promoueri ſanitas, ſed quoque deſtrui. *Vinum humanæ vitæ accommodatum eſt, cum temperatè bibitur. Quænam vita eſt ejus, qui vino victus eſt? Vinum exhilarandis hominibus creatum eſt* (non inebriandis). *Lætitiam animi parit & hilaritatem vini potus juſtus & opportunus. Vinum copioſe potum creat acerbitatem animi, cum rixis & contumacia. Ebrietas exauget animum inſipientis, donec offendat, vires eneruat, & parit vulnera.* Eccleſiaſtic. XXXI. 31. ſeqq. (*Æqua vita hominibus, vinum in ſobrietate, ſi bibas illud moderate, eris ſobrius. Quæ vita eſt, quæ minuitur vino. Vinum in jucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & corporis, vinum moderatè pòtatum. Sanitas eſt animæ & corpori ſobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ, vinum multum potatum. Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera.*) Eſt Vinum moderatè ſumtum remedium afflictis, & triſtitia affectis. *Vinum exhilarat cor hominis.* Pſal. CIV. 15. *Damnatis date Siceram, & vinum his, qui amaro ſunt animo. Ut poti obliuiſcantur inopiæ ſuæ, & calamitatis ſuæ non ultra recordentur.* (*Date Siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo: Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.*) Prov. XXXI. 6. 7. De vini uſu, ſed & abuſu, multa dici poſſent, quæ in alias reſeruo occaſiones.

Pergo ad אָטָד *atad*, Tyranni hieroglyphicum, qui ſpinarum ſuarum ſcindenti acumine, ſæua Dominandi libidine, rigore, terrore, aliisue malis tum conſiliis, tum artibus, ſubditos dilacerat, ſed quoque conſcientia ſcelerum ſeipſum pungit, & tandem, ut Abimelechus noſter, miſerè perit, omnibus terror, exoſus omnibus: rarus ſenex, juxta illud *Thaletis.* τὶ δύσκολον εἴη τεθεάμενος; γέροντα, ἔφη, τύραννον. *quid difficile vidiſſet*, interrogatus? *Tyrannum, inquit, ſenem.* Sed quæritur, qualisnam ſit vel Arbor, vel Frutex, *Atad?* ῥάμνον, *Rhamnum* habent LXX. & V. V. quam vocem habent & Gloſſæ noſtræ marginales, in Textu verò *Dumum*, in vernacula *Dornbuſch*, voce Fruticibus omnibus ſpinoſis communi. Sed haud dubium, quin deſignetur hac voce *atad* Fruticis vel altè ſurgentis, vel Arboris ſpecies, ſub cujus umbra poſſint homines conſidere. *Cynosbatos* placet *Hillero Hierophyt.* I. p. 477. eumque à Rhamno abſterret hujus Fruticoſa facies. Sed non attendit ipſe, Cynosbaton iisdem laborare difficultatibus, ſiue intelligat *Roſam ſylueſtrem*, quam pro *Cynosbato Dioſcoridis* habent *Lonicerus, Brunfelſius, Cordus, Lugdunenſes*, ſiue *Oxyacantham* illam ſeu *Meſpilum apii folio ſylueſtrem ſpinoſam* C. B. quam pro *Cynosbato Theophraſti* agnoſcunt *Tragus* & *Lonicerus. Baitharides* Arabs habet *hidanalbuſagi. Lycii ligna.* Tutiſſimi ibimus, ſi maneamus in *Rhamno*, quæ & Arabibus *Hauſegi*, Tripolitanis *Hauſeit*, imò aliis Afris *Atadis*, ἀτάδις. Seligimus nos *Paliurum Dod. pempt.* 756. quæ *Rhamnus* eſt *folio ſubrotundo, fructu compreſſo.* C. B. *Rhamnus ſiue Paliurus folio Jujubino.* I. B. & placet magis *Oenoplia ſpinoſa* C. B. pin. 477. ſiue *Nabca Paliurus Athenæi, Alpin. Plant. Ægypt.* p. 16. Arbor Loti magnitudine inſtar Acaciæ ſpinoſa folia ferens jujubæ proxima, veruntamen latiora, & flores Jujubæ floribus planè ſimiles, al-

bos

RPJCB




Iud. Cap. XIV. v. 5. 6.
Simſon Λεοντοφονος.

Buch der Richter Cap. XIV. v. 5. 6.
Simſon der Löwen = Zerreiſſer.

M. Tyroff sculps.

RPJCB

TAB. CCCLXXXI.



IUD. Cap. XIV. v. 8.
De comedente cibus.

B. der Richter Cap. XIV. v. 8.
Speiſe vom Freſſer.

M. Tyroff sculps.

bos ac paruos, à quibus erumpunt pomula rotunda, odorata, dulcia, guſtuique valde ſuauia, ceraſorum majorum æmula. Fig. D. CCCLXXIX. Pondus huic ſententiæ addit, quòd *Serapio* hanc Arborem vocet *Sadar*, duasque ejus faciat ſpecies, *Affri* & *Adhal*, quæ voces noſtræ *atad* ſunt affines. Ad marginem videre licet *Paliuri* ipſius Characteres Fig. E. ead. Tab. Ipſam verò *Paliurum* Fig. F. Tab. citatæ.

## Jud. Cap. XIII. verſ. 4. 14.

4. Caue ergo, ne vinum bibas, aut Siceram, & nihil quod immundum eſt comedas.
14. Quicquid de vite vinifera exit, ipſa non edet; vinum & ſiceram non bibet, nihil immundi comedet —

4. Caue ergo, ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas.
14. Et quicquid ex vinea naſcitur, non comedat: vinum & ſiceram non bibat, nullo veſcatur immundo: —

*Vid. Num. VI. 4.*

# TAB. CCCLXXX. CCCLXXXI.

## Jud. Cap. XIV. verſ. 5. 6. 8.

5. Deſcendit itaque Samſon cum Patre ſuo & matre ſua in Thimnath: cumque veniſſent ad vineta Thimnath, en Catulus Leonis adultior rugiebat occurrens ei.
6. Et Spiritus DOMINI proſperè egit in eo, ut diſcerperet eum, uti ſolet diſcerpi Hœdus, nec quidquam habebat in manu ſua —
8. Reuerſus autem poſt aliquot dies, ut illam acciperet, declinauit ut videret cadauer Leonis, & ecce examen Apum erat in corpore Leonis & Mel.

5. Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo & matre in Thamnatha: cumque veniſſent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis ſæuus, & rugiens, & occurrit ei.
6. Irruit autem Spiritus DOMINI in Samſon, & dilacerauit Leonem, quaſi hœdum in fruſta diſcerperet, nihil omnino habens in manu: —
8. Et poſt aliquot dies reuertens, ut acciperet eam, declinauit, ut videret cadauer leonis: & ecce examen apum in ore Leonis erat, ac fauus mellis.

Occurrunt in *Simſonis* Hiſtoria paſſim, quæ ἐμπαίκται, Athei & Deiſtæ arripiunt ad infringendam Sacri Codicis ἀυθεντίαν, & ad conuertendum omnia Herois hujus geſta, Diuino comprobata teſtimonio in meras Fabulas. Qui hujusmodi Sacræ Scripturæ contemptores vel refutare vult, vel in gyrum Rationis cogere, is neceſſe habet ingredi Scholam Naturæ, viſurus heic, quid valeant hæ vires, quid ferre recuſent.

Perrarum eſt in hodierna Palæſtina Animal *Leo*, frequentius olim in Judæa, Syria, Arabia. Teſtimonia ſuppeditat Hiſtoria Sacra & profana. Cant. IV. 8. ita Sponſam adloquitur Sponſus. *Mecum à Libano ſponſa, mecum à Libano venias (&) ſpectes è vertice Amana, è vertice Senir & Hermon, è luſtris Leonum, è montibus Pardorum. (Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.* Interminantem audi Jeremiam V. 6. *Percutiet eos Leo de Sylua, lupus ſolitudinum vaſtabit eos, Pardus incumbens ſuper ciuitates eorum, omnem iſthinc exeuntem diſcerpet. (Idcirco percuſſit eos leo de ſylua, lupus*

*ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum: omnis qui egreſſus fuerit ex eis, capietur.)* Miſiſſe DOMINUM *Leones* in Samaritanos, *qui eos occidebant*, legimus 2. Reg. XVII. 25. De Propheticida Leone. 1. Reg. XIII. 24. XX. 36. Sed quoque Heroes offendimus Leonicidas: *Simſonem* in Textu: *Dauidem* 1. Sam. XVII. 24. *Benajam* 2. Sam. XXIII. 20. De Leonibus Palæſtinæ habemus quoque profana teſtimonia *Joh. Phocæ*, qui ante quinque & quod excurrit Secula *de Judæa* ſcripſit, c. 23. ad Arundineta Jordanis habitare Leonum cateruas, μέγατι καλάμων χρῆμα ἐκφύεσθαι, ἐν ὅις λεόντων φύλα εἰώθασι κατοικεῖν. Idem teſtatur *Hieronymus in Zach.* XI. In Phœnicia Berytum inter & Sidonem erat λεόντων πόλις ad Flumen ejusdem nominis, cujus & meminere *Strabo*, *Plinius*, *Ptolomeus*. Leonum *Syriæ* meminit *Ariſtot. Hiſt.* L. VI. c. 31. *Plinius* L. VIII. c. 16. *Curtius* L. VIII. ubi Lyſimachus Leonem magnum in venatione occidiſſe legitur. De Leonibus *Meſopotamiæ Ammianus* L. VIII. *Arabiæ Agatharchides* L. V. c. 33. *Diodorus* L. II. & III. *Strabo* L. XVI. *Oppianus Cyneget.* L. III.

Nunc quidem in Theatro comparet λεοντοφόνος *Simſon*. Huic *ad vineta Thimnath occurrebat catulus Leonis adultior.* In Textu legitur כְּפִיר הֲרָיוֹת *Cephir harajoth*, catulus Leænarum. Notandum ὡς ἐν παρόδῳ, plurima eſſe orientalibus populis ejusdem Animalis nomina, pro ratione ſexus, ætatis, magnitudinis, colorum, aliorum Accidentium. Imo Leoni ſupra 100. Turcica, Arabica, Perſica in Lexico Meninzkiano. כְּפִיר in Textu, λεόντισκος, λεοντίδης, λεοντίδιον, *catulus* eſt *Leonis*, adultior tamen quàm גּוּר אַרְיֵה *gur arjeh*. Clarum id ex *Ezech.* XIX. 2. 3. *Cur mater tua Leæna inter Leones accubuit & in medio Leonum educauit catulos ſuos? Effecit, ut unus ex catulis ſuis* מִגֻּרֶיהָ *aſcenderet, Leunculusque* כְּפִיר *fieret, qui didicit diripere prædam, comedere Homines.* Conſtat inde, Leunculum ablactatum, qui ipſe diſcit diripere prædam, ex *Gur* fieri *Cephir*. Hujusmodi Leonem deſcribit *Horatius* L. IV. *Od.* 4.

Qualemue lætis caprea paſcuis
Intenta, fuluæ matris ab ubere
Jam lacte depulſum Leonem
Dente nouo peritura vidit.

Sed & ipſe noſter כְּפִיר v. 8. nuncupatur אַרְיֵה *arjeh*, quæ vox etiam in genere omnem Leonem notat, absque reſpectu ad ætatem. Clarum id ex præſenti Hiſtoria, erratque *Kimchi*, qui *arjeh* adultiorem ætate vult, quàm eſt *cephir*. vid. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 1.

Adortus eſt *Cephir* noſter, vel adoriri tentabat *Simſonem*, tanquam ex prædis primitias: rugitu canebat claſſicum. Sed fuit ipſe hic Leo junior Thema Simſonis docimaſticum, virium nempe, quarum potis erat. Inſtructus ille erat omni ſuâ armatura, vi prehendente & mordente, Simſon inermis, *nil quidquam habebat in manu ſua.* Sed *Spiritus DOMINI proſperè egit in eo*, qui Inſpiratione diuina afflatus, vi inuicta armatus, *diſcerpſit Leonem, uti ſolet diſcerpi Hœdus.* Græcus Codex Complutenſis habet διέσπασεν, *dilacerauit*, alii συνέτριψεν, *contriuit.* Si *Joſepho* fides *Ant.* L. V. c. 10. ſtrangulatus à Simſone Leo. Συντυγχάνει λέοντι καὶ γυμνὸς ὢν ἐκδέξαμενος αὐτὸν ἄγχει ταῖς χερσὶ. Ita & *Ambroſius Epiſt. 13. ad Vigilium. Irruentem in ſe brachiis amplexus necat, & lacertorum modo exanimatum.* Planè ut *Hercules* Leonem interfeciſſe legitur. *Lycus* apud *Euripidem* in *Hercule furente* v. 153.

Ἢ τὸν Νέμειον Θῆρ, ὃν ἐν βρόχοις ἑλὼν
Βράχιονος φῆσ᾽ ἀγχόναισιν ἐξελεῖν.

Aut Nemæum Leonem, quem retibus captum
Brachiorum laqueis ſe interemiſſe dicit.

*Claudianus* in *laudibus Herculis.*

- - - inuadis trepidum, ſolisque lacertis
Grandia corripiens eluſo guttura morſu,
Imbellem fractis proſternis faucibus hoſtem.

Præterea alia de Hercule teſtimonia, quæ legere licet apud *Sophoclem in Trachiniis* v. 1096. *Ciceronem L. II. Tuſcul. Quæſt. Ouidium* L. IX. *Metam. Senecam* in *Hercule Oetæo*, *Agamemnone*, *Hercule furente*; *Nonnum Dionyſ.* L. XXV. *Apollodorum* L. II. *Diodorum* L. IV. *Tzetzen chil.* 2. *Hiſt.* 101.

Moderni Mathematici, præeunte inſigni *Borello*, ut infiniti artificii machinas corporum humanorum & Brutorum examinant ad Legum Mechanicarum normam, ita & ad calculos reducunt omnes Muſculorum vires, heic in ſpecie eorum, qui Mentum mouent & Maxillam inferiorem, inueniuntque, comparatione facta cum Forcipe, Mentum Hominis ſubleuando 200. Librarum pondus vires adhibere 160. Centenariis majores, quod tanti momenti opus effectui dant veſiculæ, ſi velis, infinitè paruæ, vel fluidum nerueum omnes Senſus eludens. Leonibus autem quia Maxilla eſt productior, & Dentes anteriores diſtantiam habent ab Hypomochlio quinquies majorem diſtantiâ ipſorum Muſculorum, erit horum vis decies major reſiſtentiâ, & ea vis, quâ Leo Bouem 400. Librarum prehenſum tenet major 1080. Centenariis, quam ipſam nunc Simſon ope Muſculorum Brachii ſui ſuperauit, *Leonem diſcerpens, ut ſolet diſcerpi hœdus*, non ſanè propriis, quas à Natura non habuit, viribus, ſed diuinâ potentia prorſus adjutus; ut proin dilaceratio hæc Miraculis accenſeri debeat.

Notatu inprimis ſunt digna, quæ v. 8. extant de *Examine Apum in corpore*, ſeu *cadauere*,

*re, Leonis & melle.* Inueniunt heîc Scholaſtici Generationi ſuæ æquiuocæ Propugnaculum. Nam, en Examen Apum ex cadauere Leonis prognatum! ut paſſim apud profanos Scriptores *Apes* generatas ex *Bobus*, *Fucos* ex *Equis*, *Crabrones* ex *Mulis*, *Scarabæos* & *Veſpas* ex *Aſinis*. Tantò autem magis attendi meretur hæc Hiſtoria, quia ex Zoographorum relatione Apibus non benè conuenit cum carne, & minus adhuc cum mephiti cadauerosa. *Ariſt.* L. IX. c. 40. πρὸς σάρκα δὲ ἐδενὸς καθίζει, ἐδὲ ὀψοφαγεῖ. *Varro Ruſtic.* L. III. c. 16. *Nulla harum aſſidet loco inquinato, aut eo, qui malè oleat — Non ut Muſcæ liguriunt, quod nemo has videt* (ut illas) *in carne, aut ſanguine, aut Adipe.* Et *Plinius* L. XI. c. 21. de Veſpis & Crabronibus. *Omnes carne veſcuntur: contra quàm Apes, quæ nullum corpus attingunt. Phile* de *Ape.*

Καὶ ζῇ μὲν ἁγνόν ἡ σοφὴ χεδὸν βίον,
Ἄγνευςος ἔσα νεκρικῶν σπαραγμάτων.

Et vitam quidem caſtam ſapiens exigit,
Nec diſcerptas cadauerum carnes deguſtat.

Et adeò quidem cadauera auerſantur Apes, ut ne propria fratrum ſufferre queant, ſed ſi quam earum in Alueari mortuam deprehendunt, funus exportent, ne cadaueroſo odore tota turbetur Oeconomia.

- - tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

*Plinius* L. XI. c. 18. *Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exequias.* Id quod atteſtantur modernorum quoque de Apibus obſeruationes. Sed quis hæc conciliabit cum Hiſtoria Simſonis? cum *Examine Apum*, quod *poſt aliquot dies* reperit in *cadauere Leonis?* Heic *Bochartus* P. II. L. IV. c. 10. *Hieroz.* poſtquam *Moufeti* diſcrimen inter Apes λεοντογενεῖς & ταυρογενεῖς diluit, benè, *Apes in Leonis corpore fuiſſe repertas, non tamen ibi natas.* Placet & hoc, per *Cadauer* non intelligi debere corpus putredine ſanioſâ diffluens, ſed σκελετὸν σῶμα, ſceletum oſſeum. Cui quidem obſtat, quod Simſoni id, de quo nunc, contigerit poſt aliquot dies, quibus non poterat caro omnis putreſcere, & ſola relinqui oſſa. Sed & hoc ſe liberat ſcrupulo vir magnus: *poſt aliquot dies* idem ipſi ſonat quod, *poſt annum.* Sumuntur nempe paſſim in Sacris *dies* pro *annis* Gen. IV. 3. *Exactis aliquot diebus*, id eſt, ſub Anni finem, *factum eſt, ut adferret Cain de fructu telluris munus* DOMINO. Gen. XXIV. 55. Rebeccæ frater materque ad Abrahami ſeruum: *Maneat puella nobiſcum aliquot diebus, dies autem decem*, id eſt, per Annum, vel menſes decem. I. Sam. I. 3. *Aſcendit Elkana quotannis* (מִיָּמִים יָמִימָה à diebus in dies) *de ciuitate ſua, ut adoraret, & ſacrificaret* DOMINO. Alia loca prætereo. Hæc interpretatio ſi juſta, cadauer ſi jacuit per Anni decurſum, facilè poterat Examen Apum in Sceleto ſpeciatim in cauo Thoracis veluti in Alueari ſedem figere, & mel colligere, quod deguſtauit Simſon, ut Apes mellificia ſua pararunt in *Oneſili* capite, quod Portæ urbis impoſuere *Amathuſii*, teſte *Herodoto* L. V. c. 114. in *Hippocratis* diui ſepulchro, apud *Soranum:* Veronæ in S. Crucis Templo, in tumulo binarum celebris Juriſconſulti *Bartholomæi Vitalis* ſororum, quarum una deceſſerat A. 1558. altera A. 1562. teſte *Aldrouando Inſect.* L. I. p. 110. *Clericum* ſi audimus, it *Bochartus* per ambages. Non is permiſiſſe vult amorem, quo Sponſam ſuam deperibat Simſon, ut exacto demum anno ruerit in amplexus amaſiæ. Manet celebris hic commentator in paucis diebus, quibus Cadauer nudari poſſit carnibus, & hæ à rapacibus Auibus aliorſum portari, relictis oſſibus, atque in ratiocinii ſubſidium aduocat Climatis intenſum calorem. Hæc omnia licet conceſſero Clerico, nondum tamen video, quò venire queat, aut confugere, cum Alueari mellifluo. Examinis is duntaxat meminit, non mellis. Non ſtatim & paucis diebus extruitur tanti artificii ſtructura, qualis eſt in cellulis Apum, neque hæ implentur adeò breui tempore. Menſium ſaltem requiritur mora, ut pro Architectura, ita pro penuarii impletione, quæ quidem mihi placeret, *Annum* inter *Bocharti* & *Clerici dies* media.

Illuſtrant Simſonis Hiſtoriam, quæ de Hercule λεοντοφόνῳ legimus in Veterum Monumentis; compareant itaque in Tab. CCCLXXX.

A. Gordiani III. Numus inter maximi Moduli Numiſmata, quæ extant in Cimeliarchio Galliæ Regis Tab. 26. à Germenſibus ſub Ælio Ariſtonico percuſſus, in cujus auerſa Hercules eſt Leonem Nemæum ſuffocans.

B. Maximiani Herculei.

C. Hercules Leonem diſcerpens in Carneolo Gemma. Leon. Agoſtin. Gemm. Antich. Tab. III.

# TAB. CCCLXXXII.

## Jud. Cap. XIV. verſ. 18.

Septimo ergo die, antequam Sol occideret, ciues Urbis dixerunt ad illum: Quid dulcius Melle? quid Leone fortius? Qui ait ad eos: Niſi vitulâ meâ araſſetis, non inueniſſetis Ænigma meum.

Et illi dixerunt ei die ſeptimo, ante ſolis occubitum: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam.

Eſt hæc extorta à Philiſtæis Ænigmatis Simſoniani ſolutio, quod extat v. 14. *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* E diametro ſtant veluti contradictoria *cibus* & *comedens*, *fortitudo* atque *dulcedo*: naturam autem rerum ſi ſpectes, opponitur *dulcedo amaritiei*, vel *Acrimoniæ*, *Debilitas Fortitudini.* Eſt quoque profanis Scriptoribus acre ſiue amaro - acre idem quod forte. *Virgil. Æn.* L. VIII.

Aut acrem dubites in prælia poſcere Turnum?

Ubi *Seruius acrem* explicat per *fortem: Propriè apud nos acer eſt, qui* δεινὸς *apud Græcos. Ouid. L. IV. Faſtor.*

- - - - genus acre Leonum.

Ducit nos Philiſtæorum Reſponſum: *Quid dulcius Melle?* ad Saporum conſiderationem Phyſicam. Conſiſtunt omnes hi in certa partium figura, qua has illasue impreſſiones faciunt in organum Linguæ: ita *acris* confertur aciculis ſubtilibus, organum Guſtus pungentibus, & pungendo ſubintrantibus, proin in papillis nerueis dolorem quendam cauſantibus: *inſipida* è contra Aqua globulis ſeu rotundis ſeu oualibus, per ſuperficiem Linguæ ſeſe prouoluentibus absque impreſſione. Sed *Dulcedo* ſapor eſt veluti compoſitus ex inſipido & acri, conſtans partibus globoſis, & interſperſis nonnullis acutis, quæ grato quodam modo Linguam vellicant. Eſt autem *Mel* præ aliis & κατ᾽ ἐξοχὴν dulce, ἀρχὴ τῶν γλυκυσμάτων. Hinc eſt, quòd Sacri & profani Scriptores Melli comparent quicquid vel gratum habet ſaporem, vel ſenſibus & Animæ oblectamento eſt. Exod. XVI. 31. *Mannæ* ſapor confertur Melli. Erat *volumen* illud, quod *comedebat* juſſu DOMINI Propheta, *in ore perinde ac Mel dulce.* Ezech. III. 3. Ita & βιβλαρίδιον, quod deglutiebat Johannes Apoc. X. 9. 10. *Judicia DOMINI dulciora melle & fauo ſtillantibus. (Judicia DOMINI dulciora ſuper mel & fauum.)* Pſal. XIX. 11. *Quàm dulce eſt palato meo eloquium tuum? certè ori meo dulcius melle eſt. (Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo)* CXIX. 103. *Mel comedes, fili mi! quoniam bonum eſt, & fauum dulce palato tuo. Sic erit cognitio Sapientiæ animæ tuæ.* Prov. XXIV. 13. 14. *Accedite ad me omnes*, ita Diuina Sapientia Eccleſiaſtic. XXIV. 21. *cupidi mei, & facite, ut fructibus meis impleamini. Nam memoria mei melle dulcior eſt, poſſeſſioque mea fauo mellito jucundior. (Transite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum)* ὑπὲρ μέλιτος κηροῦ. Quam expreſſionem fortè mutuò petiit ex *Theocriti Idyll.* 20. ubi

- - - ἐκ στομάτων δὲ
Ἔρρεε μοὶ φωνὰ γλυκεροστέρα, ἢ μελικήρῳ.

- - - Ex ore autem
Fluebat mihi vox dulcior fauo.

Si verum, Authorem Libri paucis poſt Theocritum annis vixiſſe, & utrumque in Ægypto floruiſſe. Cant. IV. 11. ita Sponſus cœleſtis ad Eccleſiam: *Fauum ſtillant Labia tua, o Sponſa! & Mel & Lac ineſt Linguæ tuæ.* Ita *Homerus* de *Neſtore Iliad.* α. v. 249.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίον ῥεὲν αὐδῆς.

E cujus lingua melle dulcior fluebat ſermo.

Prætereo alias hujus generis loquendi formulas, quas ex *Theocrito*, *Moſcho*, *Pindaro*, *Sophocle*, *Xenophonte*, aliis citatas legas apud *Bochartum.*

*Quid Leone fortius?* anquirunt Philiſtæi. Conciliauit Fortitudo Leoni jus pædominii & veluti Regium in alias Creaturas. Prov. XXX. 30. *Leo heros eſt inter belluas, nec à cujusquam conſpectu fugit. (Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius*



IUD. Cap. XIV. v. 18.
Simſon Ænigmatiſtes.

Buch der Richt. Cap. XIV. v. 18.
Simſons Hochzeit-Räthſel.

I. G. Pintz sculps.

RPJCB

RPJCB



IUD. Cap. XV. v. 4. 5.
Simſonis Vulpes.

B. der Richter Cap. XV. v. 4. 5.
Simſons Füchſe.

M. Tyroff sculps.

*lius pauebit occurſum.)* 2. Sam. XVII. 10. *Molleſcebant ac liquefiebant & hi, qui fortes alioqui ſunt, & qui pectora habent leonina. (Et fortiſſimus quisque, cujus cor eſt quaſi Leonis, pauore ſoluetur:)* Sunt omnes Leonis Muſculi fortes, ſed robuſti inprimis Cordis. Hinc *Herculis* & *Achillis* epitheton θυμόλεων *Homer. Iliad.* έ. 639. ή. 288. Nos Germani: *Er hat Hertz wie ein Löw. Lucret.* L. V.

Principio genus acre Leonum, ſæuaque ſecla
Tutata eſt Virtus, Vulpes dolus, & fuga ceruos.

*Niſi vitula mea araſſetis, non inueniſſetis Ænigma meum*, Prouerbialis eſt Simſonis locutio, quam non eodem ſenſu accipiunt omnes. R. *Leui* literalem ſeligit, amaſiamque Adulterii ream facit. Ita legimus apud *Theognidem* v. 579.

Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρατε μάργον
Ὅς τὴν ἀλλοτρίην βȣ́λετ' ἄρȣραν ἀρȣ͂ν.

Vagam odi mulierem, & virum procacem
Qui alienum vult aruum arare.

*Plautus* de Adultero.

Fundum alienum arat, ſuum incultum deſerit.

*Virgil.* L. III. *Georg.*

- - nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali aruo, ſulcosque oblimet inertes.

Fauet explicationi huic Complutenſis editio τῶν LXX. *εἰ μὴ κατεδαμάσατε τὴν δαμαλίν μȣ.* Legitur aliàs in vulgari: *Ἐι μὴ ἠροτριάσατε ἐν τῇ δαμαλει μȣ.* Sed tamen nondum ex his conſtat, Simſonem fuiſſe cornigerum. De odioſis & dubiis judicandum fauorabiliter, & ita, quòd Philiſtæi aſtu Ænigmatis ſenſum expiſcati fuerint à Simſonis amaſia. *Arare* & in Latina Lingua notat *rimari. Virgil. L. III. Georg.*

Ergo ægrè raſtris Terram rimantur.

*Rimantur*, id eſt, *in rimas agunt*, inquit *Seruius*. Et notum Prouerbium illud, *alienâ arare vitulâ*, ſumi quoque de Plagiariis.

# TAB. CCCLXXXIII.

## Jud. Cap. XV. verſ. 4. 5.

4. Abiit ergo Simſon, & cepit trecentas vulpes, acceptisque facibus, & conjunctis earum caudis, poſuit facem unam inter duas caudas.

5. Accenſisque facibus Igni, miſit (vulpes) in ſtantes ſegetes Palæſtinorum, & incendit non aceruos modò, ſed & ſtantem ſegetem, & vineas & oleas.

4. Perrexitque, & cepit trecentas vulpes, caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligauit in medio.

5. Quas igne ſuccendens, dimiſit, ut huc illucque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum. Quibus ſuccenſis, & comportatæ jam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula, concrematæ ſunt, in tantum, ut vineas quoque, & olíueta, flamma conſumeret.

Diverſa vocum explicatio quia Scripturam in varium flectit, ſæpeque torquet ſenſum, præmittenda eſt breuis illarum expoſitio. שׁוּעָלִים *ſchualim* ex omnium & optimorum Interpretum conſenſu ſunt *vulpes*, non *manipuli Straminis* vel *Auenæ*, quod neruosè contra obſeruatorem quendam Hallenſem demonſtrat *Godofredus Martini* in *Miſcell. Lipſ.* T. IV. p. 237. Horum incendiariorum *cepit* Simſon *trecentos*, & præterea לַפִּדִים *Tædas, titiones*, vel *tædas ardentes*, à qua voce forſan deriuanda Græcorum λαμπὰς, λαμπάδος. *Acceptis* autem *facibus, & conjunctis earum caudis* זָנָב אֶל זָנָב *poſuit facem unam inter duas caudas.* Caudam nempe alligauit caudæ medio fune. Ita LXX. in Editione

ne Complutenſi, ϗ συνέδησεν κέρκον πρὸς κέρκον. Medio verò funi alligauit facem ſeu tædam, qua accenſa vulpes ſibi & motui vago reliquit, *mittens* eas *in ſtantes ſegetes*, magno harum, imo & *vinearum* & *olearum* damno. Erat enim tunc *triticea meſſis* v. 1. & Philiſtæi in meſſe ipſa occupati, quandoquidem mentio fit *ſtantis ſegetis*, קָמוֹת *Kamoth* & *aceruorum* גָּדִישׁ *gadiſch*, quæ vox propriè notat aceruum, metam frugum in congeriem collectarum. LXX. habent ἅλωνα, *aream*, in Editione Complutenſi ϛοιβὴν. Nec vagatæ duntaxat ſunt Vulpes per Agros, ſed irruperunt quoque in Vineas. Habitabat enim Delila *juxta Torrentem Sorek*, Jud. XVI. 4. loco vitibus præſtantiſſimis celebri, quod vel ex Hiſtoria uuæ ab exploratoribus reſciſſæ Moſique aſportatæ conſtat: Vallis quippe *Eſcol*, locus uuæ illius natalis, non ultra ſemimilliare diſtabat à *Sorek*.

Eſt hæc, quam explicandam ſuſcipio, Simſonis Hiſtoria una ex iis, quæ ἐμπαίκταις Lucianiſtis anſam dat narrationes ſacras falſè deridendi, & αὐθεντίαν Sacri Codicis ſubruendi. Præcipua difficultas in eo conſiſtit, undenam Heros ceperit trecentas vulpes. Anni certè ante excurrerent, non Menſes nec Dies, quàm quis in noſtris Regionibus ter centenas vulpes conquirere poſſet. Pro ſolutione dubii hujus obſeruandum, abundaſſe vulpibus Regionem illam, in qua hæc Hiſtoria contigit. Cant. II. 16. *Capite nobis vulpes, vulpes paruas, quæ vaſtant vineas, quum noſtræ vineæ floreant.* Imo ſunt Palæſtinæ loca, quæ a vulpibus nomen obtinuerunt. 1. Sam. XIII. 17. אֶרֶץ שׁוּעָל *erets ſchual*, Terra Vulpis. Joſ. XV. 28. חֲצַר שׁוּעָל *chatzar ſchual*, caſtrum vulpis, urbs in Tribu Juda: alia ejusdem nominis in Tribu Simeonis. Joſ. XIX. 3. in Tribu Dan שַׁעֲלַבִּין *ſchaalabbin*. Joſ. XIX. 42. Sed quoque Vulpibus aſſociare poterat Simſon Animal *Thos*, *Thoes* dictum, quod canini vel Lupini eſt generis, Vulpi haud abſimile, in Palæſtina, ſpeciatim circa *Cæſaream*, adeò frequens, ut *Bellonio* teſte Singular. L. II. c. 18. ſæpe 200. in una ſocietate conſpiciantur. Et in Scriptura haud legas, cepiſſe Simſonem 300. Vulpes uno vel paucis diebus. Quidſi capturæ huic impendiſſet ſeptimanam, vel Menſis magnam partem: ut *Athenienſibus* Menſis fuit ἐλαφηβολιὼν dictus, quo toti occupati erant capturâ Ceruorum, qui immolari debebant Dianæ ἐλαφηβόλῳ. Neque neceſſe fuit, ut unus Simſon tot feras caperet; partem forſan ceperunt ſerui, amici, coloni, canes: imo fortè ad mandata Herois & Principis ſui, parati erant vicini omnes ex Judaica Gente, tunc temporis ſub Philiſtæorum jugo gemente. *Quod quis per alium facit, id cenſetur ipſe facere*, ajunt JCti. Interim haud diffitemur, eſſe capturam Vulpium unam ex difficillimis, labore plenam. *Oppiano* teſte L. IV. *Venaticor.* eludunt Retia. Unde *Suidas*.

Γέρων ἀλώπηξ ἐχ ἁλίσκεται πάγῃ.

Docet nihilominus Experientia & hunc capiendi modum. *Martialis* L. X. *Epigr.* 37.

Hic olidam clamoſus ages in retia Vulpem.

*Calentius.*

Et laqueo Vulpes, & decipe caſſe foinas.

Capiuntur & decipulis, & machinis aliis, quæ Venatoribus, quàm mihi, ſunt notiores.

Sic poterat Simſon unâ fideliâ duos dealbare parietes, & hoſtibus damnum inferre, & Patriam ſimul liberare à trecentis noxiis feris. Ita reſponderi poteſt ad objectionem, cur Vulpes potius elegerit Heros, quum fini obtinendo ſufficere poſſent Lepores, vel Canes? Hunc nodum ita ſoluit R. *Kimchi*, retrogredi ſolere Vulpes, ſic inuicem approximare, & facem in medio ſuſtinere, ac veluti portare, ne in Terram decidat. Sed lepide! Debuerat neceſſario fax medias inter Vulpes binas & firmiter quidem alligari, ut vel non neceſſaria fuerit retroceſſio, vel impoſſibilis ſine alligatione ſuſtentatio. Potior eſt *Iſidori* obſeruatio *Orig.* L. XII. c. 2. electas fuiſſe vulpes, quòd non rectâ incedant viâ, ſed per obliquas & tortuoſas, unde apud *Nonium vulpinari* eſt, variis dolis, mendaciis, fraudibus ſupprimere veritatem. Ita concipere licet, plus damni inferre potuiſſe Vulpes, quàm alia quæuis Animalia.

Silentio præteriri haud debent Romanorum *Vulpinalia*, annuum Romanorum Feſtum, Hiſtoriæ, quam impræſentiarum explanamus, ſatis conforme. Medio Aprili plures illi Vulpes in Circo cum tædis ardentibus dorſo alligatis decurrere permittebant. *Ouid.* L. IV. *Faſtor.*

Cur igitur miſſæ junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, cauſa docenda mihi eſt.

Ceremoniam hanc deriuat ipſe à Vulpe quadam Carſeolana, quæ poſt illatum ingens agris damnum à colono capta ſtramine fuerit inuoluta, ſed hoc accenſo effugiens paſſim accenderit ſata.

Is capit extremi Vulpem conualle ſalicti,
Abſtulerat multas illa cohortis aues.
Captiuam ſtipula fœnoque inuoluit, & ignes
Admouet, urentes effugit illa manus.
Quò fugit, incendit veſtitos meſſibus agros,
Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit; monumenta manent: nam dicere certam
Nunc quoque Lex Vulpem Carſeolana vetat.
Utque luat pœnas genus hoc Cerealibus ardet,
Quoque modo ſegetes perdidit, ipſa perit.

Deri-

RPJCB



IUD. Cap. XV. v. 15. 19.
Victoria post sitim restinctam.

Buch der Richt. Cap. XV. v. 15. 19.
Simſons Wunder-Trunk und Sieg.

*G. D. Heüman sculp.*

Deriuat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 13. hanc Vulpinalium ceremoniam non à Carſeolana Vulpe, ſed ab ipſa Simſonis Hiſtoria, quòd Vulpes illæ Romanorum non, ut Carſeolana illa, ſtramine fuerit obuoluta, ſed tædis junctis ardentia terga tulerint: Neque Feſtum illud incidat in Romanorum, ſed ipſius Palæſtinæ meſſem: incipit enim hæc menſe Abib, qui reſpondet Martio, quo medio *inferre debebant Gomer de primitiis fructibus Meſſis*, Leuit. XXIII. 10. quæ finita fuit 50. diebus poſt, Feſto nempe Pentecoſtes: quod hinc Exod. XXIII. 16. vocatur *Feſtum* Meſſis, *collectionis*, Meſſis nempe finitæ, ut hæc proin inciderit in interuallum Paſcha inter & Pentecoſtem medium. Duplex autem fuit Meſſis, Hordei una, altera Tritici. *Plinius* L. XVIII. c. 7. *In Ægypto Hordeum ſexto à ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur.* Et *Clemens Alexandr.* L. VI. *Strom.* Προπετεστέρα εἰς ὥραν θέρους τοῦ πυροῦ μᾶλλον ἡ κριθή. Ita 2. Sam. XXI. 9. mentio fit *dierum Meſſis, ab initio quum primùm meterentur Hordea.* Ab Ægypti illa Grandine *Linum & Hordeum percuſſa ſunt, Hordeum enim maturuerat, & Linum in calamos iuerat: Triticum verò & Far non percuſſa ſunt, eo quod adhuc latuerant. (Linum ergo & Hordeum læſum eſt, eò quod hordeum eſſet virens, & linum jam folliculos germinarat: Triticum autem, & far non ſunt læſa, quia ſerotina erant.)* Exod. IX. 31. 32. Pronum eſt hinc inferre, Hordeaceam Meſſem incidere in Martium, Triticeam in Aprilem. Et vero videtur ſimile ſummo Viro, incidere diem Feſtalem Romæ celebratum in ipſum Incendii Philiſtæi diem, cujus memoria celebrata fuerit primùm à Phœniciis, poſtea à Romanis. Imò abhinc deriuat *Bochartus* ipſam *Bœotiorum* ſuperſtitionem, quâ Phœniciorum hi ſubditi vel tributarii permiſſum credebant omne rerum obuiarum incendium, facibus dorſo Animalium, ut Vulpium, Teſtudinum, geſtis illatum, quod videre eſt in *Suida* voce Νεωρία, & *Ariſtophane in Acharnenſ.*

Qui plura de hac materia vel legere deſiderat, vel ſcire, ei commendantur

*Godofredi Martini Leubenenſium Paſtoris in Locum Jud. XV. 4. de Vulpibus Simſonis in manipulos Straminis transmutatis, formæ auitæ nunc iterum reſtitutis* in *Miſcell. Lipſ.* IV. p. 237.

*Joh. Frid. Mayeri Diſſ. de Vulpeculis Simſonis.* Vitemberg. 1686.

Anonymi *Renards de Simſon.*

*Joh. Wilh. Hilliger Diſſ. de Vulpibus Simſonis.*

# TAB. CCCLXXXIV.

## Jud. Cap. XV. verſ. 15. 19.

15. Et inueniens Maxillam Aſini putreſcentem, miſſaque manu ſuſtulit illam, & percuſſit cum ea mille viros.
19. Tum diſſecuit DOMINUS molarem, qui erat in Lehi, ut profluerent ex eo Aquæ, quas dum biberet refocillatus eſt, & reuixit. Et hinc vocatum eſt nomen ejus Fons inuocantis, qui in Lehi eſt usque in hunc diem.

15. Inuentamque Maxillam, id eſt, mandibulam Aſini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.
19. Aperuit itaque DOMINUS molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo Aquæ, quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum eſt nomen loci illius, Fons inuocantis de maxilla, usque in præſentem diem.

Qui magni Herois Simſonis geſta vel obiter & per transſennam adſpicit, mira ubique videt, imò miracula: in natiuitate, vita, morte: miraculoſas vires, miraculoſam ex Aſini maxilla refectionem, de qua nunc. *Ligatus cum duobus nouis funibus* adduci debebat veluti in Triumpho Philiſtæis. Sed *Spiritus* DOMINI *proſpere egit in ipſo, factique ſunt funes, qui erant in brachiis ejus, ut Lina Igne combuſta, & diffluxerunt vincula ejus è manibus ſuis.* v. 14. *(Spiritus DOMINI irruit in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta.)* Solutus vinculis *inuenit Maxillam Aſini putreſcentem*, Aſini haud ita pridem mortui, maxillam Ichore putrido madeſcentem, reſiccato dudum minus fragilem; Notum quippe, eſſe oſſa, ex tubulis conſtantia, tenaciora magis, quò ſunt recentiora, fragiliora, quò ſicciora. Hac

veluti Hercules Clauâ, proſtrauit ille mille Philiſtæos. Rarum hoc armorum genus Simſoni dedit Caſus, vel potius DEI ſapientiſſima Prouidentia. Quod *Dauidi* funda fuit Enſi & Haſtæ Goliathi oppoſita, id heic fuit Aſini Maxilla contra Philiſtæorum & vires & arma. Impleri debebat in perſona Herois noſtri Promiſſio illa Joſ. XXIII. 10. *Vir unus ex vobis perſequetur mille, quoniam DOMINUS DEUS veſter ipſe pugnabit pro vobis, ſicut pollicitus eſt vobis;* & Leuit. XXVI. 8. *Quinque ex vobis perſequentur centum, & centum ex vobis perſequentur decem millia.* Ita Heros ille Joſeb *Baſchebeth excitabat haſtam ſuam ſemel ſuper octingentos vulneratos.* 2. Sam. XXIII. 8. *Samgar percuſſit ſexcentos viros ſtimulo boum.* Jud. III. 31.

Quid mirum, ſi Herois vires glorioſa hâc actione & cum Philiſtæis pugnâ fuerint defatigatæ, fluida multa deperdita, Glandulæ Faucium exiccatæ, ut inſequi neceſſariò debuerit ſitis, eaque intenſa? v. 18. *Quum autem vehementer ſitiret, clamauit ad DOMINUM, & ait: Tu effeciſti magnam hanc ſalutem per manum ſerui tui, & nunc ſiti enecor, & incido in manum incircumciſorum iſtorum. (Sitiensque valde, clamauit ad DOMINUM, & ait: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam: & en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum.)* Parum equidem fauenter de Heroe noſtro ſcribit *Joſephus*, ſitim hancce intenſam in pœnam ei adjudicans, quod Triumphum de hoſtibus propriis adſcripſerit viribus, μείζω ἢ χρὴ ἐπὶ τοῦτο φρονῶν, οὐ κατὰ ΘΕΟΥ συνέργειαν ἔλεγε τοῦτο συμβῆναι, τὴν τ' ἰδίαν ἀρετὴν ἐπέγραψε τῷ γεγονότι. Ipſe equidem Simſon in Cantico ſuo triumphali v. 16. *Maxilla Aſini trucidaui aceruum hoſtium, imo duos aceruos, Aſini maxilla cæcidi mille viros. (In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.)* Sed judicatu facile, non eum intelligere proprias, ſed à DEO ſibi conceſſas vires. *Spiritus DOMINI proſpere egit in ipſo.* v. 14. *(irruit Spiritus DOMINI in eum.)* Et iis Heroem noſtrum adnumerat Gentium Doctor, qui Fide magna geſſerunt. Hebr. XI. 32. Neque cum idea Pœnæ ſeu dictatæ ſeu inflictæ congruit Miraculum, quo DOMINUS *diſſecuit molarem, ut profluerent ex eo Aquæ*, quibus refocillatæ fuere vires dejectæ. Multum faceſſit negotii Interpretibus hic Sacri Codicis Locus, ſi quis alius. Vocem מַכְתֵּשׁ *macthesch* multi cum *Bocharto* explicant per *mortariolum in maxilla.* LXX. habent τὸν λάκκον τὸν ἐν σιαγόνι, aliæ Editiones, τὸ τραῦμα τῆς σιαγόνος. *Jarchi* aliique Hebræorum Magiſtri *foſſam, in qua dens ſitus eſt, facta inſtar mortarii*, cujusmodi foſſas Anatomici vocant *Alueolos Dentium.* Alii per *macthesch* intelligunt *Petram*, ut ſenſus ſit, aperuiſſe vel diſſecuiſſe DEUM Petram Macthesch dictam in Lehi, qui ipſe Locus poſtea *vocatus* fuerit *Fons inuocantis*, quod ſanè in Maxillam haud quadrat. Eſt & מַכְתֵּשׁ Loci nomen Zeph. I. 11. quem Nos damus *mortarium; ululate habitatores mortarii, (ululate habitatores pilæ) heulet, die ihr in der Stampf-Mühle wohnet.* Suffulcit & *Joſephi* authoritas eos, qui Aquam ex Petra fluxiſſe volunt. Πρὸς οὖν τὰς ἱκεσίας ἐπικλασθεὶς ὁ ΘΕΟΣ πηγὴν κατά τινος πέτρας, ἀνίησιν ἡδεῖαν καὶ πολλήν: Ita & Chaldæus interpres, quòd projectâ maxillâ in petram profluxerint Aquæ. Inhæremus nos Tigurini magis ſenſui literali, quandoquidem indubium, *macthesch* deſignare τερβαίαν, *mortarium*, quo ſenſu euidenter ſumitur Prov. XXVII. 22. *Stultum ſi contuderis piſtillo in mortario inter ptiſanam, non recedet ab eo ſtultitia ejus. (Si contuderis ſtultum in pila, quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia ejus.)* Auget hæc interpretatio Miraculi vim, quòd ex Dentis alueolo tantum profluxerit Aquæ, quantum ſuffecit extinguendæ Simſonis ſiti, ut olim Iſraelitis Aqua profluxit ex petra, & mel cum oleo aucta fuere in gratiam viduæ Sareptanæ. Memorat *Plinius* L. X. c. 33. veſicas in corpore Orygis Aquâ plenas, ſiue hydrophylacia, quæ Getulis latronibus in deſerto ſitientibus fuerint ſolatio, ut ſunt mercatoribus Turcis hydrophylacia in Camelorum Ventriculis. Verba ejus hæc ſunt: *Orygem perpetuò ſitientem Africæ generant, & naturâ loci potu carentem, & mirabili modo ad remedia ſitientium. Namque Getuli latrones eo durant auxilio, repertis in corpore eorum ſaluberrimi liquoris veſicis.* Ita & Metalliſoſſoribus ſolatio ſunt *Enhydri, Aetitæ* genus Aquâ repletum. Sed heic nihil tale. Ex alueolo Dentis Naturæ viribus nîl profluit Aquæ; ſed nec ex dura Petra.

Sunt ex modernis benè multi, qui contendunt, non fluxiſſe Aquam ex Dentis alueolo: *Foſſam* pro מַכְתֵּשׁ ſubſtituit *Clericus*, excauatam, ubi Simſon ſteterat, mortarii ad inſtar. Potiſſimum argumentum inde deducit, quòd *hinc vocatum fuerit nomen ejus fons inuocantis, qui in Lehi eſt, usque in hunc diem.* Nemo ſanè facile ſibi perſuaſerit, fluxiſſe poſtea ſemper Fontem ex Aſini Maxilla, Dentisue alueolo; ſed nemo non, ex Foſſa, quam Codex Vaticanus vocat λάκκον, Alexandrinus τραῦμα τῆς σιαγόνος, Aldinus & Complutenſis τὸ τραῦμα ἐν τῇ σιαγόνι. Imò *Joſephus Ant.* L. V. c. 10. addit, nomen huic loco poſteà fuiſſe Σιαγών, *maxilla.* Subſcribit & *Uſſerius Annal.* ad A. 3578. Alios taceo. De *Fonte inuocantis* quilibet ſententiam fouet ſuo ſyſtemati conformem; *Bochartus*, alium fuiſſe ab eo, qui Simſoni dedit Aquam; *Clericus*, profluxiſſe per miraculum, ſed Aquæ ductibus ſubterraneis ſemel huc directis, continuaſſe poſtea fluxum juxta Naturæ Leges, quæ ſententia mihi haud diſplicet.

Nouam prorſus interpretationem, ſed non lucem, toti huic Hiſtoriæ dat obſeruator quidam Hallenſis Tom. II. Germ. qui *maxillam Aſini* conuertit in *Agmen militum.* En, quam

dat

RPJCB



IUD. Cap. XV. v. 14.
Simſon καλωδιοδιασπάςης.

Buch der Richt. Cap. XV. v. 14.
Simſon der Strick-Zerreiſſer.

*I. A. Fridrich sculp.*




IUD. Cap. XVI. v. 3-30.
Simſon φυλοφόρταξ.

B. der Richter Cap. XVI. v. 3-30.
Simſon der Thor-Träger.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB

RPJCB



IUD. Cap. XVI. v. 29. 30.
Ultima Roboris Simſonici.

B. der Richt. Cap. XVI. v. 29. 30.
Simſons letzte Stärcke.

*H. Sperling sculp.*

dat, Verſionem. *Und Simſon fand eine friſche Parthey in ihrer Munterkeit, und reckte ſeine Hand aus, und commandirte ſie, oder führte dieſelben an, und ſchlug damit 1000. Philiſter.* Nouus hic Commentarius quia Philologicis nititur argumentis, ſuperſedere facile poſſum tum uberiori illius explanatione, tum ad Leges ἑρμηνείας Examine, quod in ſe ſuſcepit *Joh. Jacobus Seiferheld* in *Vindiciis Philologicis Loci Jud. XV. com. 15. de Maxilla Aſini, in quibus iniqua Obſeruatoris Hallenſis ψευδερμηνεία refutatur, & B. Lutheri Verſio defenditur.* Tubing. Lit. Hiobi Franckii 1716. 4. Legi etiam poteſt M. *Joh. Chriſt. Ortlob de Fonte Simſonis prope maxillam, ejusque ſchediaſma bipartitum.* Lipſ. 1708.

# TAB. CCCLXXXV — CCCLXXXVII.

## Jud. Cap. XV. verſ. 14.

— Spiritus DOMINI proſperè egit in ipſo, factique ſunt funes, qui erant in brachiis ejus, ut lina igne combuſta, & diffluxerunt vincula ejus à manibus ſuis.

— Irruit Spiritus DOMINI in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis ligna conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta.

## Jud. Cap. XVI. verſ. 3. 9. 12. 14. 19. 29. 30.

3. — Media nocte ſurrexit, & apprehendens fores portæ ciuitatis cum duobus poſtibus, amouit eas unà cum vecte, impoſitasque humeris ſuis portauit eas in cacumen montis, qui eſt è regione Hebron.

9. — Ilico rupit funes illos, ut rumpi ſolet funiculus ſtuppeus, dum ignem ſentit.

12. — Abrupit eos (funes) à brachiis ſuis tanquàm filum.

14. — Et expergiſcens è ſomno ſuo clauum texturæ cum jugo extraxit.

19. Effecit autem (Dalila), ut dormiret ſuper genua ejus, & vocato viro detondet ſeptem cincinnos capitis ejus, cœpitque affligere eum, & receſſit robur ejus ab eo.

29. Complexus itaque eſt Samſon duas columnas intermedias, quibus domus ipſa nitebatur, & qui-

3. — Media nocte conſurgens, apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitasque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.

9. — Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtupa, tortum ſputamine, cum odorem ignis acceperit.

12. — Qui ita rupit vincula, quaſi fila telarum.

14. — Qui conſurgens de ſomno, extraxit clauum cum crinibus & licio.

19. At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput: vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.

29. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dex-

 bus

bus fulciebatur, alteram dextera ſua, alteram ſiniſtra ſua.

30. Simulque dixit Samſon: Moriatur anima mea cum Palæſtinis. Et quum toto robore inclinaret, cecidit domus ipſa ſuper ſatrapas, ſuperque omnem populum, qui erant in ea. Fueruntque eorum plures, quos moriens interfecit, quàm quos in vita ſua occiderat.

tera, & alteram læua tenens.

30. Ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim. Concuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam antè viuus occiderat.

Haud exiſtimo, dubitare quempiam, quin hæc, quæ recenſentur, roboris Simſonei ſpecimina fuerint auxilii Diuini potius, quàm Naturæ producta, Miraculis proin accenſenda, DEOque, cujus *Spiritus proſperè egit* in Heroe, accepta referenda. Vidimus equidem noſtra ætate Pſeudo-Simſones, *Guilielmum Joy*, Anglum, & *Johannem Carolum ab Eckenberg*, Germanum, qui Naturâ ductrice, & Arte adjutrice, talia patrarunt, quæ incautus quis facilè cum Simſonis geſtis confundere, ſibique ac aliis imponere ad Miraculorum fidem eludendam, poſſet; Haud proin abs re erit, ſi parallelismum inſtituamus inter veri Simſonis miraculoſa geſta, & Pſeudo-Simſonum effecta, vel potius hæc & illa à parallelismo liberemus.

Primum Simſonis Experimentum, idque ter iteratum fuit funium, quibus alligatus Philiſtæis adduci debebat, diſruptio. De hoc ita Sacer Codex: *Facti ſunt funes, qui erant in brachiis ejus, ut lina combuſta, & diffluxerunt vincula è manibus ſuis. —— Rupit funes, ut rumpi ſolet funiculus ſtuppeus, dum ignem ſentit —— Abrupit funes à brachiis ſuis tanquam filum.* Siue jam vincula filorum, quibus funes colligati erant, reapſe, ſed miraculo fuerint ſoluta, & veluti igne combuſta, ſiue, quòd Simſon DEI potentia adjutus ruperit funes craſſos, fortes, nouos, benè colligatos, ut rumpi ſolet filum. Rumpunt & moderni Simſones funes, eosque pollicem craſſos, ſed rupturæ plus contribuit Ars, quàm Natura. Non, quod ille fecit, manus & brachia ligari patiuntur funibus, ſed hos circumligant columnæ, cui ipſum alligant corpus mediante faſcia lata, in certa à columna diſtantia, ut & pedibus contra columnam niti, & totius corporis vires applicare operi queant: dehinc funem diſcindendum palo ſuſpendunt ferreo, & utroque brachio vecti tranſuerſæ applicato, funem tenſum atque inſuper contortum tamdiu hinc inde agitant, ut filum unum rumpatur poſt alterum, ac denique integro fune rupto in poſteriora recidat Experimentator. Heic nemo non videt, plurimùm ad rupturam conferre agitationem totius corporis & veluti librationem ſiue reciprocationem; clauum ſiue hamum incuruum ferreum, ad quem atteritur funis: contorſionem, quâ tenduntur magis fila.

De altero Simſonis Experimento ita Sacer Codex: *Apprehendens fores portæ ciuitatis cum duobus poſtibus, amouit eas unà cum vecte, impoſitasque humeris ſuis portauit eas in cacumen montis, qui eſt è regione Hebron.* Non equidem exprimitur pondus, quod geſtauit Simſon; non reſiſtentia poſtium vectiumque, quibus fores firmatæ erant, facile tamen quiuis ex circumſtantiis Textus colligere poteſt, opus fuiſſe & heic Auxilio Diuino, & longè inferiora eſſe Experimenta, quæ faciunt Simſones moderni. Suſtulit Anglus ille Plumbi pondus 2014. Germanus Tormentum majus 1900. Librarum; ſed nec hic diu pondus ſuſtinuit, nec ille, nedum aliquo usque, nedum in Montis apicem portauit uterque. Neque ſuſtulere hi pondera brachiorum ope, ſed potius Lumborum, imo totius Dorſi & corporis viribus: quatuor catenis prehenſum Tormentum hunc ad corpus medium firmato alligant, junctis genubus & incuruato corpore rurſumque erecto pondus ſuſtinent, moxque demittunt. Ut proin rurſum heic omne, quod patrant, mirum proportioni certæ mechanicæ adſcribendum veniat, non miraculo.

Idem, quod hactenus, ferendum judicium de alio Simſonis Experimento, quo *clauum texturæ cum jugo extraxit.*

Extra omnem Miraculi controuerſiam, imò omnis Ratiocinii limites eſt ultimum Roboris Simſonici exemplum, inimitabile prorſus, quo Heros *complexus duas columnas intermedias, quibus nitebatur domus, & quibus fulciebatur, alteram dextera ſua, alteram ſiniſtra ſua.* DEI inuocato auxilio, *toto robore inclinans* ruinæ dedit *domum*, ut *ceciderit ſuper ſatrapas, ſuperque omnem populum, qui erant in ea, fuerintque plures eorum, quos moriens interfecit, quàm quos in vita ſua occiderat.* Quo ipſo Typus extitit Saluatoris optimi, qui morte ſua debellauit potentiſſimos generis humani hoſtes, Satanam,

Mun-

Mundum, Mortem. Tantò autem eſt Miraculi nomine dignius ultimum hoc Simſonis Experimentum, quia id fecit viribus fractus, oculis orbus; & poſtquam, *detonſis ſeptem cincinnis capitis ejus, receſſit robur ejus ab eo:* receſſit non juxta ordinarium Naturæ curſum, ſed ita ordinante & diſponente ſummi Numinis prouidentia, quæ modo prorſus ſingulari & extraordinario vires Nazareni hujus alligauit capiti non tonſo, & capillis integris, nunquam reſectis. Qui hac de re plura legere cupit, inprimis de modernorum Simſonum variis Experimentis, legat Cl. *Kanoldi Breſl. Samml.* III. *Verſuch* p. 822. *Cluueri philoſoph. Zeit-vertreib.* p. 93. ubi varia habet, quæ Philoſophiam occultam, Signaturis fundatam, chymiam, redolent, cum grano ſalis legenda.

# LIBER RUTH.

## Ruth. Cap. III. verſ. 3.

Lauabis igitur, & te inunges, amicierisque veſtimentis tuis, & deſcendes in horreum, ut nemo ſentiat te (adeſſe), donec ille plenè ederit & biberit.

Lauare igitur, & ungere, & induere cultioribus veſtimentis, & deſcende in aream: non te videat homo, donec eſum potumque finierit.

Binæ ſunt rationes, quæ ſuadebant Balneum, & Inunctionem. Nudipes forſan, & lacero veſtitu, per diei decurſum colligebat paupercula ſpicas, collutulata puluere, ſudore manans, qui Boæ haud fuiſſet gratus. Comparere autem debebat viribus refocillata, veſtitu nitido, odore ſuaui. Huc collimabat conſilium Naemi de Balnei ingreſſu, & Inunctione applicanda. His mediis debebat mundari, ſudor aduerſus abigi, vires recolligi, maritanda commendari. Notum, eſſe Balnea & Unctiones in Orientalibus Regionibus frequentiſſimi inde à vetuſtiſſimis temporibus uſus & neceſſarii. Qui mos transiit ex Oriente in Italiam, ab Aſiaticis populis ad Romanum, de cujus Balneationibus & Inunctionibus multa legas apud Hiſtoriæ Romanæ Scriptores. Solebant fœminæ, noctu Veneris Templum frequentaturæ, Deæ huic, & ſibi forſan ipſis, ſacrificia & dona oblaturæ, ſeſe prius mundare, ungere, fucare. Teſtimonium lege de binis ſororibus in Plauti Pœnulo *Act.* I. *Scen.* 2.

Nam nos usque ab Aurora ad hoc, quod diei eſt,
Ex induſtria ambæ nunquam conceſſauimus
Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri (unguento), expoliri, fingi, pingi, &c.

## Ruth. Cap. III. verſ. 15.

Et addidit: Adhibe pallium, quod ſuper te eſt, & tene illud. Et quum illud teneret (Ruth, Boas) demenſus eſt ſex Epha Ordei, & imponens ei, ingreſſus eſt ciuitatem.

Et rurſum: Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, & tene utraque manu. Qua extendente, & tenente, menſus eſt ſex modios hordei, & poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt ciuitatem.

IN Textu originali extant duntaxat שֵׁשׁ שְׂעֹרִים *ſcheſch ſeorim, ſex Hordeorum*, ut LXX. ἓξ κριθῶν, ſcilicet menſuræ. Sed quales? ſi fuerint *Ephah*, ut vult Latina noſtra, reportauit Ruth Quartalia Tigurina 6. cum Modiolis $12\frac{47}{85}$. circiter $1\frac{1}{2}$. centenarios, modio computato pro centenario, vel in circa. Vero eſt ſimilius, ne onus fiat portatricis viribus majus, fuiſſe *Sata, Seah*, quæ menſura eſt $\frac{1}{3}$. Ephah: ita dabunt 6. menſuræ 2. quartalia $4\frac{132}{250}$. modiolos: poſito Ephah pro 2022. pollicibus Pariſinis, ſiue 1. quartali $2\frac{22}{85}$. modiolis:

 ſeah

ſeah pro $6\frac{22}{250}$. modiolis, Mäslein, menſuræ Tigurinæ. De *Hordeo* annota, ſubſiſtere Hebræum שְׂעֹרָה *ſeorab* hodie adhuc apud Arabes, qui Frumenti hoc genus vocant *ſe-yr, ſæ-yr*, ut Turcæ *ſæ-yret*. *Meninzk. Lex.* 130. 1666. 2822. unde fortè eſt Polonorum *ziarno*.

# LIBER PRIMUS SAMUELIS.

## TAB. CCCLXXXVIII.

### I. Sam. Cap. II. verſ. 8.

Excitat è puluere tenuem, & inopem è ſtercore extollit, ut collocet cum Principibus, facitque ut hæreditatem capiant ſolium gloriæ. Quoniam DOMINI ſunt columnæ Terræ, & poſuit ſuper eas orbem.

Suſcitat de puluere egenum, & de ſtercore eleuat pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. DOMINI enim ſunt cardines Terræ, & poſuit ſuper eos orbem.

PUlchrè argumentatur in Cantico ſuo euchariſtico pientiſſima Hanna à maximo ad minimum, licet Logicum Wendelini Syſtema nunquam legerit. Nempe ſi DEUS maximum illud Mundi totius, Terræ in ſpecie, Syſtema, habitaculum noſtrum infinitâ ſuâ Potentiâ atque Sapientiâ condidit, pulcherrimeque exornauit, poterit utique & *excitare è puluere tenuem, & inopem è ſtercore extollere, atque cum Principibus collocare.* Non permittit loci hujus & temporis anguſtia, ut Articulum hunc de ſpeciali, imo ſpecialiſſima DEI prouidentia in omnes omnino Homines, horum vitam, Honores, Diuitias, Sanitatem, Bona quæuis, imò pilos, in omnia Animantia, Vegetabilia, deprædicem, dicturus pauca de Argumento, quo Hanna utitur, demonſtratiuo, à Creatione & Conſeruatione Mundi deſumto. *Quoniam DOMINI ſunt columnæ Terræ, & poſuit ſuper eas Orbem.* Nemo non videt, eſſe has phraſes mutuò ſumptas ex Architectura Ciuili, quæ ſolido ſuperſtruit fundamento Ædificium contra injurias ventorum, pluuiæ, externas internaſue alias. Sed abſit, ut præter Creatoris omnipotentiſſimum nutum aliis ſuperſtruamus columnis Mundi Syſtema. Ideæ, quas Ratio nobis dictat de Intellectu DEI ſapientiſſimo, & voluntate potentiſſima, imo quoque Natura integra, hujusque conſpectus, clarè nos docent, alias eſſe vias DEI, Hominum alias, Entis ſupremi cogitationes infinitis differre paraſangis à cogitationibus noſtris: Inædificat Homo Saxis, Ligno, Terræ firmæ; ſed מְצֻקֵי אֶרֶץ *columnæ Terræ*, imo corporum quorumuis totalium, ſunt fluidiſſimus atque ſubtiliſſimus Aer, imo Æther, in quo ad fundum cadunt tenuiſſimi quique puluiſculi, ſed ex Nihilo pendent, vel liberrimè natant præter Terram Corpora omnia Planetica. Conſiſtunt Regulæ Diuinæ hujus Architecturæ, merè arbitrariæ, in preſſione uniuerſali & mutua omnium & ſingulorum Mundi corporum ad inuicem, & ſpeciali omnium Terrei Vorticis partium ad centrum hujus Planetæ, in exquiſitiſſima virium Centripetarum & Centrifugarum διαμετρήσει, quæ præſtantiſſimorum Philoſophorum Mathematicorum noſtri Seculi exercet ingenia. Ducit nos ad ipſam hanc Philoſophiam emphaſis Vocabuli, quod adhibetur in Textu; מָצוּק notat *preſſuram, anguſtiam*, Radix צוק *arctare*, in anguſtum premere ſpatium, ut notum, eſſe Ædium fundamina tantò firmiora, quò ſunt compreſſa magis. Hujusmodi arctationem, preſſionem, ad intimum usque Terræ centrum, docet Experientia, & ſtabiliunt Obſeruationes, Aerem ipſum eſſe compreſſiorem, ſeu denſatum magis, quò eſt profundior.



I. SAM. Cap. II. v. 8.
Tenues erepti, terra firmata.

I. Buch Sam. Cap. II. v. 8.
Gottes Macht an Armen und Erd-Gründen.

*I. G. Pintz sculp.*

RPJCB

RPJCB

TAB. CCCLXX



I. SAM. Cap. V. v. 6-12.
Manus Asotiis gravis.

I. Buch Sam. Cap. V. v. 6-12.
Gottes Hand über dem Philiſter-Lan

*I. A. Fridrich sculp*

## 1. Sam. Cap. III. verſ. 2.

Factum eſt autem quodam tempore, ut Eli jaceret in loco ſuo (oculi autem ejus incipiebant caliginoſi eſſe, ut videre non poſſet.)

Factum eſt ergo in die quadam, Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligauerant, nec poterat videre Lucernam DEI, antequam extingueretur.

INfra 1. Sam. IV. 15. hujusdem debilitatis oculorum iterata fit mentio, & ſimul Ætatis. *Erat autem Eli natus nonaginta & octo annos, ſtabantque oculi ejus, ut non poſſet videre.* Tota Hominis Sanitas comparari haud inepte poteſt Lumini, vel Luci ſplendidæ, ut Morbi & Mors ipſa Tenebris. Intellectus Hominis, qui objecta diſtincte concipit, Voluntas ad bonum flexilis, Speculum ſunt, in quo comparent Veritas & Virtus, idque lucidum. Mens è contra ignara, Voluntas Affectibus prauis veluti eclipſata, Tenebræ, opera Tenebrarum operatur. Corporis par eſt ratio. Lucidum dici poteſt id, ſi ſanum, ſi Sanguis & alia fluida in ordinato motu, debito numero, menſura juſta, ſi fibræ in moderata tenſione, ſi Secretiones omnes peraguntur, uti quidem peragi debent. Exemplum ſpeciale ſiſtunt Oculi, Organum ex ſenſoriis præcipuum. Humores ſi puri, diaphani, membranæ & fibræ omnes in tenſione juſta, Retina in ſpecie in ſitu debito, colluſtrata apparent objecta omnia viſibilia, pingunt ſolares radii tanquam totidem penicilla res externas in ipſa Retina, & transeunt in ea factæ impreſſiones ad Cerebrum & Mentem. Sed accreſcente ad ultimam usque decrepitam Ætate, denſatis fluidis, contractis præ rigiditate fibris & membranis, *oculi* redduntur, quales Eli fuere, *caliginoſi.*

# TAB. CCCLXXXIX.

## 1. Sam. Cap. V. verſ. 6. 9. 11. 12.

6. Manus autem DOMINI grauis fuit in Aſotios, & perdidit eos, percuſſitque eos in Podicibus, non Aſotum duntaxat, ſed & limites ejus.

9. Et factum eſt, quum eam transtuliſſent, ut manus DOMINI immineret urbi admodum vehementi impetu, percuteretque Homines urbis illius, non obſcuros modò & humiles, ſed & magnos, ut laterent eis morbi.

11. Miſerunt ergo & congregarunt omnes Satrapas Palæſtinorum, dicentes: Amandate Arcam DEI Iſraelis, ut redeat in locum ſuum, neque perdat me, & populum meum. Fuit enim graſſatio Mor-

6. Aggrauata eſt autem manus DOMINI ſuper Azotios, & demolitus eſt eos: & percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum, & fines ejus.

9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus DOMINI DEI per ſingulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuscujusque urbis, à paruo usque ad majorem, & computreſcebant prominentes extales eorum.

11. Miſerunt itaque & congregauerunt omnes Satrapas Philiſthinorum: qui dixerunt: Dimittite arcam DEI Iſrael, & reuertatur in locum ſuum, & non interficiat nos cum populo noſtro. Fiebat

tis in tota ciuitate, nimisque illic inualuerat manus DEI.

12. Porrò viri, qui non moriebantur, multati ſunt in podicibus, ut clamor ciuitatis in cœlos usque aſcenderet.

enim pauor mortis in ſingulis urbibus, & grauiſſima valde manus DEI.

12. Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in ſecretiori parte natium: & aſcendebat ululatus uniuscujusque ciuitatis in cœlum.

INquirendus heîc venit Morbus Philiſtæis in pœnam datus. Accidit his cum Arca, quòd puero illi Spartano, cui Vulpes ab eo enutrita viſcera eroſit. Morbo, quo Asdoditæ & Ekronitæ fuere afflicti, nomen eſt עֲפֹלִים *apholim*, qui & occurrit in catalogo eorum Morborum, quos interminatus erat DEUS populo rebelli Deut. XXVIII. 27. Sed difficile erit, determinare præciſè Morbum, cujus deſcriptio in circumſtantiis, ſcitu neceſſariis, deficit. Videamus, quid lucis affundant Interpretes. Maſorethæ hunc Morbum appellant טְחוֹרִים *techorim*, qua voce utuntur quoque Chaldæi & Syri, cum tantilla mutatione. Habent LXX. ἕδρας, *ſedes*, *nates*; *Hieronymus anos*, *ſecretiorem partem natium*, *partem corporis*, *per quam ſtercora egeruntur*. Sic equidem per *ſedem* indicatur Morbi ſedes, ſed non Morbus ipſe. *Joſepho* placet τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος, *Symmacho* nunc τὰ κρυπτὰ, nunc περίλυσις τῆς ἕδρας, reſolutio ſedis, item ἕδρα προπίπτουσα, ſedes procidua, *Alui prolapſus*. *Aquilæ* τὸ τῆς φαγεδαίνης ἕλκος, *ulcus phagedænicum*: Arabibus profluuium Ventris, item *mariſcæ*, *hæmorrhoides*. Subſcribunt Judæi & Chriſtiani plerique. *Bochartus Hieroz.* P. I. L. II. c. 36. diſtingui vult *techorim* ab *apholim*, denotari illo vocabulo Anum, hoc Morbum in Ano, & quidem Tumorem, à Radice עָפַל *aphal*, tumere, efferre ſe, in altum contendere, unde עֹפֶל *ophel* in ſacris denotet cliuum, collem. Sunt autem Mariſcæ ex Tumorum genere. *Juuenalis Sat.* 2.

Cæduntur tumidæ, Medico ridente, mariſcæ.

*Martialis* L. I. *Epigr.* 66.

Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Et eſt ſanè Morbus hic ex moleſtis, uti & *Hæmorrhoides cœcæ*, præſertim internæ. Internos autem fuiſſe hos morbos, conjicere licet ex v. 9. ubi legitur וַיִּשָּׂתְרוּ לָהֶם עֲפֹלִים *& abſconditi erant eis loci alti*, quæ verba ſi de morbo intelligenda veniunt, denotant *Ficus*, *Mariſcas*, Tumores internos: ſed quoque poterant occupare externas Ani ſedes, ut occupant ſæpe in Lue Venerea, & notum, quanta adferant incommoda Furunculi in poſterioribus. Externos quoque fuiſſe, conſtat ex eo, quòd *Sacerdotes & diuini* Philiſtæis pro auertendo malo ſuaſerint, remittere Iſraelitis unà cum Arca *quinque podices aureos*, & *imagines anorum ſuorum*, I. Sam. VI. 4. 5. ubi expreſſa fit mentio *imaginum*, & v. 11. *imaginum colorum ſuorum*, vel potius *anorum ſuorum*, צַלְמֵי טְחֹרֵיהֶם. Sunt ex S. Scripturæ Interpretibus, qui volunt, Dauidem in hunc Morbum intendere digitum, Pſal. LXXVIII. 66. *Percuſſit hoſtes ſuos in podicem, ſempiterno opprobrio eos affecit*; ubi Chaldæus Paraphraſtes habet *mariſcas*, & ita quoque *Apollinaris*, *Auguſtinus*, *Arnobius*, *Theodoretus*, *Suidas*, *Abenezra*: quæ poſterior interpretatio tamen haud videtur neceſſaria, quia, qui in fuga ſunt, percuti poſſunt non ſolùm in podicibus, ſed in integro dorſo; & viri fortes ea inprimis vulnera gloriæ ducunt, quæ pugnando acceperunt ab ante: ita *Thraſybulus* de ſeptem vulneribus, inflictis ſibi ab Argiuis, de quo Epigramma in *Plutarchi Laconicis:*

Τὰν Πιτάναν Θρασύβουλος ἐπ' ἀσπίδος ἤλυθεν ἄπνους,
Ἑπτὰ πρὸς Ἀργείων τραύματα δεξάμενος,
Δεικνὺς ἀντία πάντα.

Thraſybulus in clypeo exanimis Pitanen venit,
Cum ab Argiuis ſeptem accepiſſet vulnera,
Ea oſtendens aduerſa omnia.

Ἐξήγησιν hanc claudat obſeruatio de Ficubus ſeu Mariſcis. De his notum, per annos circumferri poſſe absque vitæ diſcrimine: Legimus autem v. 9. 11. occubuiſſe hoc morbo ex Philiſtæis plures. Anſam conjectandi miniſtrat circumſtantia hæc, aſſociaſſe ſe Mariſcis alium morbum grauiorem, eumque Peſtilentialem, vel, intelligendos eſſe per apholim ipſos *Bubones*. Et de his conſtat, eſſe Tumores criticos, quibus qui carent Peſte affecti, vel eos habent paruos, & ut plurimùm Morti in prædam cedunt, vitam è contra & ſanitatem reportantibus iis, qui magnis iisque dolorificis valde decumbunt Bubonibus. Illuſtrat hæc Obſeruatio, nî fallor, v. 12. *Qui non moriebantur, multati ſunt in podicibus.* Stragem proin illam nomino peſtem. Conf. *Wegner de Rattis* p. 38.

TAB.

RPJCB



I. SAM. Cap. VI. v. 4. 5.
Philistæorum expiatorium.

I. Buch Sam. Cap. VI. v. 4. 5.
Schuld = Opfer der Philiſter.

*I. A. Fridrich sculp.*

# TAB. CCCXC.

## 1. Sam. Cap. VI. verſ. 4. 5.

4. Et dixerunt: Quod verò ſacrificium illud expiatorium erit, quod illi reddemus? Reſponderunt: Juxta numerum ſatraparum Palæſtinorum quinque podices aureos, & quinque mures aureos: eadem plaga eſt omnibus & Principibus veſtris.
5. Facietis igitur imagines anorum veſtrorum & imagines murium veſtrorum, qui vaſtant Terram, & dabitis gloriam DEO Iſraelis, ſi fortè remittat manus ejus à vobis, à Diis veſtris, & à Terra veſtra.

4. Qui dixerunt: Quid eſt, quod pro delicto reddere debeamus ei? Reſponderuntque illi: Juxta numerum prouinciarum Philiſthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, & Satrapis veſtris.
5. Facietisque ſimilitudines anorum, & ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt Terram, & dabitis DEO Iſrael gloriam: ſi forte releuet manum ſuam à vobis, & à Diis veſtris, & à terra veſtra.

Conſtat ex his Locis, immiſſam fuiſſe Philiſtæis non ſolum plagam *Ficuum*, Mariſcarum, vel ſi mauis, Bubonum aut Carbunculorum, ſed & *Murium*, qui deuaſtarunt agros: Licet horum neque in Textu Hebraico, neque Verſionibus ulla fiat mentio. In LXX. virali legas V. 6. Καὶ μέσον τῆς χώρας αὐτῶν ἀνεφύησαν μύες, καὶ ἐγένετο σύγχησις θανάτȣ μεγάλη ἐν τῇ πόλει, & VI. 1. ἐξέζεσεν ἡ γῆ αὐτῶν μύας. In Codicibus nempe Alexandrino & Vaticano, nîl verò horum in Complutenſi. Ut omninò conjectare liceat, fuiſſe verba citata Gloſſarum loco Textui addita, id quod LXX. haud infrequens. *Joſephus* equidem illis conſentit, Hiſtoricus celebris quidem, ſed non Canonicus, qui paſſim in fauorem ſuæ Nationis aliqua adjecit, vel etiam ſubſtituit, ut heic ad euitandos Gentilium ſarcasmos loco quinque podicum, & quinque Murium poſuit πέντε ἀνδριάντας, *quinque ſtatuas*. Et videtur Sacerdotibus ipſis Philiſtæis malitioſa fuiſſe conſilii ratio: dum enim donaria aurea appoſuère Arcæ, cogitare poterant facilè, fore donaria hæc vel plagis remedio, conſiliariis proin honori, vel ſacrificia hæc ridicula riſui toti Nationi, ſiquidem non ceſſauerint Plagæ. Neque ullibi legitur, aſſeruata fuiſſe ſimulacra hæc in Arca, vel juxta eam, ſed quidem, manſiſſe in Bethſemes.

*Mures* quod attinet, fuerunt eæ quidem Inſtrumentum prorſus extraordinarium, quo Philiſtæi à DEO debebant puniri, certum eſt tamen, aliquando ab hoc Animantium genere integras tantùm non deuaſtari Regiones, præprimis in Oriente; Teſtem habemus *Ariſtotelem Hiſt.* L. VI. c. 37. & *Plinius* L. VIII. c. 29. murium plagam inter exitii documenta ex contemnendis Animalibus numerat, exemplo *Gyari Cycladum Inſulæ*, cujus *incolæ à Muribus* fuerint *fugati*. Idem de incolis *Troadis* L. X. c. 65. de *Abderitis Juſtinus*. L. XV. c. 2. De Exercitu *Sannacheribi* ab agreſtibus muribus in fugam acto *Herodotus* L. II. *Joſephus Ant.* L. X. c. 1. De *Italiæ* quibusdam populis *Ælianus* L. XII. c. 41. *Diod. Sicul. ant. Rom.* L. III. Quin & Ægyptii apud *Horum* L. I. c. 47. deſolationem repræſentabant imagine muris, ἀφανισμὸν δηλȣ̃ντες, μῦν ζωγραφȣ̃σιν, ἐπειδὴ πάντα ἐσθίων μαίνει καὶ ἀχρηςοῖ. Qui plura volet, legat, præter *Bochartum*, *Gothofredi Wegneri Tractatum curioſum de Rattis, damnoſo truculentoque inter mures populo, quo Neoſtadium Eberswaldenſe in Meſomarchia Brandenburgica oppidum initio hujus ſeculi mirabili ratione liberatum eſt.* Gedani. 1699. 4.

# TAB. CCCXCI.

## 1. Sam. Cap. XII. verſ. 17. 18.

Annon hodie Meſſis triticea? Clamabo ad DOMINUM, & edet Tonitrua & Pluuiam, ut cognoſcatis & videatis, quod malitia veſtra magna ſit, quam feciſtis in oculis DOMINI, poſtulando vobis Regem.

Et clamauit Samuel ad DOMINUM, & edidit DOMINUS Tonitrua & Pluuiam in die illa, uniuerſusque Populus vehementer timuit DOMINUM & Samuelem.

Nunquid non meſſis tritici eſt hodie? inuocabo DOMINUM, & dabit voces, & pluuias: & ſcietis, & videbitis, quam grande malum feceritis vobis in conſpectu DOMINI, petentes ſuper vos Regem.

Et clamauit Samuel ad DOMINUM, & dedit DOMINUS voces, & pluuias in illa die, & timuit omnis populus nimis DOMINUM & SAMUELEM.

IN noſtris Europæis Regionibus, & tota Zona Septentrionali temperata nec inter mira, nec rara, refertur Tonitru ac Pluuia tempore Meſſis, imò vero per totum Anni decurſum non ſunt frequentiores Tempeſtates Tonitrubus, Fulminibus, Grandine & Imbribus ſociatæ, quam Æſtate. Quid ſentiendum igitur de alloquio Samuelis ad Populum? *Annon hodie meſſis triticea? clamabo ad DOMINUM, & edet Tonitrua & Pluuiam*, conferendo cum v. 16. *Nunc conſiſtite & ſpectate rem iſtam grandem, quam DOMINUS facit coram oculis veſtris.* Heic ſciendum, in Zona Torrida, & adjacentibus ei Regionibus, uti ipſa Palæſtina, menſibus hybernis non labi, ut apud nos, Niuem, ſed largos & continuos fere Imbres, æſtiuis è contra menſibus ſereno conſtanter gaudentibus cœlo, ut rari quid ſit, Julio menſe, quo ſata colligunt, videre Pluuiam; nemo proin Iſraelitarum, qui præſentes fuere, præſtolari potuiſſet Pluuiæ lapſum. Meretur huc apponi, quod ſcribit *Hieronymus ad Amos* IV. *Prohibui à vobis imbrem, cum adhuc ſupereſſent tres menſes*, (ita DEUS ad populum Amos IV. 7.) *quæ appellatur Pluuia ſerotina, & agris Palæſtinæ, aruisque ſitientibus vel maximè neceſſaria eſt: ne quando herba turgeret in meſſem, & Triticum parturiret, nimia ſiccitate areſceret. Significat autem vernum tempus extremi menſis Aprilis, à quo usque ad meſſem Frumenti tres menſes ſuperſunt, Majus, Junius, Julius — Quod ſi recipimus, omnino juxta Orientis omnes Regiones & inſolitum, & impoſſibile eſt. Nunquam enim in fine menſis Junii, ſiue in menſe Julio, in his Prouinciis, maximeque in Judæa, Pluuias vidimus. Denique in Regum Libris* (heic nempe) *pro ſigno magno atque portento diebus Æſtatis & Meſſis orante Samuele Pluuiæ concitatæ ſunt. Et ſuperfluum erat nunc comminari menſis Julii ſiccitatem, in quo nunquam pluuias dederat.* Menſibus nempe hybernis & vernis humectari debet, & veluti fimo ſaturari Terra, præteritis menſibus exucca prorſus reddita & indurata, eò usque quidem, ut Ferro non cedat in Capite Bonæ ſpei: ita fit, prouidente Creatore, ut Aqua pluuia infra ſupremum Terræ Corticem deſidens ibi ſubſiſtat, inſeruitura in nutrimentum Plantis per menſium ſiccorum decurſum. Admiramini heic & adorate mecum optimam ſummi DEI Prouidentiam. In Regionibus hujusmodi calidioribus Pluuia per vices, uti in Temperatis, cadens exitio foret Vegetabilibus, utpote quorum ſtructura ab Aqua humectata & veluti emollita æſtum Solis perpendicularis, vel quaſi, ſufferre non poſſet, uti & nos quandoque obſeruamus, aduri Vites, ſi Pluuiam inſequatur Aeris ſerena Sole æſtuante facies.



I. SAM. Cap. XII. v. 17. 18.
Effuſis gravis decidit imber aquis.

I. B. Sam. Cap. XII. v. 17. 18.
Doñer und Regen.

*I. G. Pintz sculp.*

RPJCB

RPJCB




I. SAM. Cap. XIV. v. 14.
Strages in jugeri dimidio.

I. Buch Sam. Cap. XIV. v. 14
Schlacht auf der halben Jauchart.

G. D. Heüman sculps.




I. SAM. Cap. XVI. v. 16 - 23.
David Citharoedus.

I. Buch Sam. Cap. XVI. v. 16. 23.
David ein Harffen = Schläger.

G.D. Heüman sculp.

# TAB. CCCXCII.

## 1. Sam. Cap. XIV. verſ. 14.

Fuit hæc prima ſtrages, in qua Jonathan unà cum Armigero ſuo percuſſit circiter viginti viros, idque ferme dimidio ſulco jugeri in agro.

Et facta eſt plaga prima, qua percuſſit Jonathas & armiger ejus, quaſi viginti virorum in media parte jugeri, quam par boum in die arare conſueuit.

Q*Uaſi in medio ſulci jugeri agri*, כְּבַחֲצִי מַעֲנָה צֶמֶד שָׂדֶה ſpatium eſt, quod in Cubitis pedibusue quadratis exprimi poſſet & deberet, ſiquidem nota foret Jugeri Hebraici magnitudo. *Clericus* per מַעֲנָה *maanah* intelligit Agri ſpatium à pari Boum arabile per diei decurſum; notum namque, ſulcum unum trahi poſt alterum, & ipſa vox צֶמֶד *tſemed jugum* denotat, unde *jugerum*, & Germanorum *juchart*. Hinc *Hieronymus* verba Textus noſtri reddit ita, *in media parte jugeri, quam par boum arare conſueuit*, & *Chaldæus*, *circiter ſpatium dimidiæ itionis agri Taurorum in agro.* LXX. ἐν βόλισι καὶ ἐν πετροβόλοις καὶ ἐν κόχλαξι τοῦ πεδίου verba ſunt prorſus δυσνόητα. Ipſi Romani, ut *Jugerum* deriuarunt à *Jugo*, menſuram quoque ſpatii deſumſere à Boum binorum jugo junctorum labore. *Plin.* L. XVIII. c. 3. *Actus, in quo Boues agerentur cum aratro impetu juſto. Hic erat 120. pedum, duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat.* Sed erat apud Romanos *Actus* vel *ſimplex*, vel *quadratus*. Ille juxta *Varronem* habebat 4. pedes in latitudine, 120. in longitudine, proin 480. pedes quadratos. *Columella* L. V. c. 1. *Actus quadratus undique finitur pedibus 120. & hoc duplicatum facit Jugerum, & ab eo, quod erat junctum, Jugeri nomen accepit.* Sequitur inde, Jugerum fuiſſe longum 240. latum 120. pedes, aream 28800. pedum quadratorum, ſcilicet Romanorum, quorum unus æqualis eſt $\frac{1324}{1440}$. Pariſini. Quodſi Jugerum Hebraicum æquale fuerit Romano, contigit Philiſtæorum 20. à Jonathane & ejus Armigero occiſorum clades intra ſpatium 14400. pedum Romanorum. Verùm enim verò non eſt præciſa Jugeri hujus dimenſio tanti, quanti quidem menſuræ aliæ aridorum & fluidorum, momenti.

In Figura adjecta notat a e f d Actum ſimplicem Romanorum.

a g h d. Actum quadratum.

a b c d. Jugerum.

# TAB. CCCXCIII.

## 1. Sam. Cap. XVI. verſ. 23.

Factum ergo eſt, quoties Spiritus DEI erat ſuper Saulem, Dauid acceptâ citharâ pulſauit manu ſua, & tum refrigerium fiebat Sauli, meliusque habuit, receſſitque ab eo Spiritus malus.

Igitur quandocunque Spiritus DOMINI malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat; recedebat enim ab eo Spiritus malus.

RArum habemus in *Saule* ægrum, rarum in *Dauide* Medicum, rarum in *Muſica* remedium. Rara ſubiit Saul fata; nunc *agitauit* eum *Spiritus DOMINI*, nunc *recedente eo turbauit eum ſpiritus malus à DOMINO.* v. 14. *(Spiritus autem DOMINI receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à DOMINO.)* Subjectum ille fuit, in quo dimicabant continuò boni malique Affectus: hodie zelo correptus pro bona cauſa, oeſtro Prophetiæ percitus vaticinabatur inter Prophetarum filios,

imo ex DOMINI mandato pugnabat ſtrenuus contra Philiſtæos & Ammonitas: ſuperbus ac humilis, niſi Saulina humilitas ſit hypocriſis potius, vel animi abjecti & dejecti indicium: infra omnes dignitates, & ſupra omnes: hilaris, iracundus, triſtis, tandemque deſperatus. Mei nec fori eſt, nec inſtituti, primi hujus ſed infortunati Regis condere biographiam. Medicus Medica tractans conſidero eum ut ægrum, eumque per interualla varium.

Haud videntur Judæi priſcis illis & Saulis temporibus curaſſe Spirituum morbos, quod hodie facimus, Helleboro, Venæſectione, Remediis hujusmodi aliis, quæ in officinis chymicis & Pharmaceuticis ſunt obuia, ſed Muſica, & varia ſonorum modulatione, uti & Platonici veteres ſonos accenſuere Spirituum remediis. v. 15. 16. *dixerunt ſerui Saulis* (forſan Archiatri Regii) *ad eum: En Spiritus DEI malus turbat te, dicat quæſo DOMINUS noſter ſeruis tuis, qui coram te ſunt, ut quærant aliquem, qui norit cithara canere, ut quum fuerit ſuper te Spiritus DEI malus, ille ludat manu ſua, & benè ſit tibi. (Dixeruntque ſerui Saul ad eum: Ecce Spiritus DEI malus exagitat te. Jubeat DOMINUS noſter, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara: ut quando arripuerit te Spiritus DOMINI malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.)* Colligo inde, expreſſiſſe Judæos loquendi his formulis Morbos Spirituum illos, quibus Mens afficitur. Conſtat id ipſum ex *Joſepho Ant.* L. VI. c. 9. ubi ita de ipſo hoc Saulis Morbo. Σαῦλον δὲ περιήρχετο πάθη δεινὰ καὶ δαιμόνια, πνιγμοὺς αὐτῷ καὶ στραγγάλας ἐπιφέροντα, ὡς τοὺς ἰατροὺς ἄλλην μὲν αὐτῷ θεραπείαν μὴ ἐπινοεῖν, εἰ δέ τις ἐξᾴδειν δυνάμενος, καὶ ψάλλειν ἐπὶ κιννύρᾳ, τοῦτον ἐκέλευσαν ζητήσαντες, ὁπόταν αὐτῷ προσίῃ τὰ δαιμόνια καὶ ταράττοι ποιεῖν ὑπὲρ κεφαλῆς ἑστάντα ψάλλειν καὶ τοὺς ὕμνους ἐπιλέγειν. Mentio heic fit παθῶν δαιμονίων, & notatu inprimis digna eſt vox ἐξᾴδω, quæ in *Plutarchi ſymp.* idem ſignificat, quod *percanto*, *excanto*, cantando finio, oppoſitè ad ἐπᾴδω, accino: ſed apud Scriptores alios *excanto*, id eſt, incantatione libero, cantibus δαιμόνιον ejicio ſiue expello. De cura ipſa *Joſephus* ita: ποιήσας ὁπλοφόρον διὰ πάσης εἶχε τιμῆς, ἐξῄδετο δὲ ὑπ' αὐτοῦ καὶ πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν δαιμόνων ταραχὴν ὁπότε αὐτῷ ταῦτα προσέλθοι, μόνος ἰατρὸς ἦν λέγων τε τοὺς ὕμνους, καὶ ψάλλων ἐν τῇ κιννύρᾳ, καὶ ποιῶν ἑαυτοῦ γίνεσθαι τὸν Σαῦλον.

Mei inſtituti non eſt, ventilare, quam noui delicatam ſatis Quæſtionem, an Saul, irruente paroxyſmo, reuerà fuerit ἐνεργούμενος, à Diabolo obſeſſus, vel furioſis potius aut Melancholicis accenſendus? ſed quidem, inquirere in vires, quas exerit Muſica in corpus hominis, mentemue. Nota, quæ Veteres ſeu tradunt, ſeu fabulantur, de *Orpheo* & *Amphione*, quorum præcellens Muſica in ſtuporem traxerit ſaxa, Arbores, atque domarit feros Leones atque Tigrides, id quod *Horatius de Arte Poet.* metaphorico ſenſu mitificationi efferorum hominum adplicat.

Syluestres homines ſacer interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ab hoc lenire Tigres, rapidosque Leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa mouere ſono Teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet.

Ceſſit & ipſe Cerberus triceps Orphei Lyræ. Audi iterum canentem *Horatium.*

Tu potes Tigreis comitesque ſyluas
Ducere, & riuos celeres morari,
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ.
Cerberus quamuis furiales centum
Muniat angues caput ejus, atque
Spiritus teter ſanieque
Ore trilingui.

Illuſtrandis his Textibus inſeruiunt Fig. A. maximi moduli Numiſma ex *Cimeliarchio Ludouici* XIV. Galliarum Regis Tab. 10. & Fig. B. Orpheus Cerberum Muſicâ domans in veteri Cameo apud *Leonardum Agoſtini Gemme Antiche* P. II. Tab. 8. Ex *Æliani variis* L. XIV. c. 23. & Athenæo L. XIV. c. 5. conſtat, *Spartanos* obſeſſos hoſtes ſuos ſuperâſſe Muſicâ *Terpandri*, quem vocauerint Lesbo, *Cliniam* item Pythagoræum toties ceciniſſe Lyrâ, quoties Ira, furor ille breuis, eum tentârit, & quærentibus, cur id faceret, reſpondiſſe, πραΰνομαι. Mitis quoque redditus *Achilles* Citharâ, τῇ κιθάρᾳ κατεπραΰνετο, teſte *Homero.* *In Apollonii mirabilibus* c. 48. legitur ex *Theophraſto de Enthuſiasmis*, in multis corporis Animique morbis prodeſſe Muſicam, Lipothymiis, Terrore, Deliriis, Iſchiadico malo, Epilepſia. Τὴν μουσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γιγνωμένων παθῶν ἰατρεύειν, καθάπερ λειποθυμίαν, φόβους καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῆς διανοίας ἐκστάσεις. ἰᾶται γὰρ φησὶν ἡ καταύλησις ἰσχιάδα καὶ ἐπιληψίαν. Ita & *Gellius* L. IV. c. 3. *Creditum hoc à plerisque eſt, & memoriæ mandatum, iſchiaci cum maximè doleant, tum ſi modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores —— Ego nuperrimè in Libro Theophraſti ſcriptum inueni, viperarum morſibus tibicinem ſcitè modulateque adhibitum mederi.* Audite Muſicam de ſe ipſa loquentem apud *Martianum Capellam* L. IX. *Perturbationibus animorum, corporeisque morbis, medicabile crebrius carmen inſonui. Nam phreneticos ſymphonia reſanaui. Quod Aſclepiades quoque Medicus imitatus, cum conſulentibus urbium patribus plebis inconditæ vulgus infremeret, ſeditiones accenſas crebrior cantus inhibuit. Ebrios juuenes, perindeque improbius petulantes Damon, unus*

*unus è ſectatoribus meis, modulorum grauitate perdomuit. Quippe tibicinem ſpondæum canere jubens temulentæ perturbationis dementiam infregit. Quid afflictationibus corporis nonne aſſidua meditatione ſuccurri? Febrem curabant, vulneraque Veteres cantione. Aſclepiades item Tubâ ſurdiſſimis medebatur. Ad affectiones animi Tibias Theophraſtus adhibebat. Iſchiadas quis neſcit expelli aulicâ ſuauitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletem Cretenſem Citharæ ſuauitate compertum eſt morbos ac Peſtilentiam fugauiſſe. Hieronymus ægrorum venas rhythmorum collocatione penſabat.* Certum hoc eſt, Veteres Muſicam calluiſſe applicatiue ad domandos Affectus. Tale quid legitur de *Cano* Tibicine apud *Philoſtratum* L. V. c. 7. De Muſico quodam in Aula Daniæ Regis apud *Alb. Crantz. Dan.* L. V. *Primùm graui ſono mœrorem quendam audientibus ingerebat, inde ſuccinendo, plauſibilius in lætitiam vertit, ut paulum abeſſet, quò minus jocabundi diſſultarent. Tum, modis acrioribus intentatis, indignationem quandam concitabat, quæ ubi inualuit, furere Regem, aſtanteſque cernere erat.* Neque deſunt Exempla in Hiſtoria moderna. De Muſicæ effectibus in curanda Febri legatur *Hiſt. de l'Acad. Roy.* 1707. p. 7. de Artis ſaltatoriæ Magiſtro à Febri acuta & Delirio liberato ead. A. 1708. p. 22. Inprimis verò huc quadrant, quæ de *Tarantatis*, à *Tarantula* morſis, legimus integris Libris. Hi quippe in Deliria, & motus varios inconditos abrepti ſolâ curantur Muſicâ; ut ibi Muſici ſint Medici.

Et eſt hæc per Muſicam Medendi Methodus conformis Philoſophiæ ac Medicinæ modernæ Mechanicæ. Qui conſiderat, quod nemini dubium eſt, eſſe ſonum tremulum Aeris motum ſolidiſſimis quibuſuis corporibus communicatiuum, is concipiet facile, modulaminibus Muſicis fibras omnes corporis humani in tremores agi proportionatos: tantò quidem magis, quòd id non ſit niſi chordarum concauarum tenſarum artificioſiſſima compages. Sanitas moderata tenſio, qua Fluida omnia ritè circulare, & Spiritus in omnia membra influere queant: Morbi tenſiones vel relaxatæ nimiùm, vel exaltatæ: Muſicâ variante fibrarum tonum nunc tendi plus, nunc minus: arctam adeò eſſe inter corpus mentemque unionem, ut morbi mentis plerumque originem ſuam arceſſant à corpore, hujusue διαθέσει. Eſt materiæ hujus campus adeò amplus, ut omnem comprehendat Medicinam, non tam arctis commentarii, quàm latis Libri integri limitibus circumſcriptus. Sufficiat nobis, noſſe, & certò, modulamine dulci, fabricæ Saulis corrupti corruptæ proportionato potuiſſe fibras tenſas nimiùm relaxari. Quodſi ſupponamus inſuper, Satanam Affectibus noſtris uti tanquam medio, & veluti ſcalâ ad impugnandam expugnandamue Rationis Arcem, haud difficile erit concipere, quod & quomodo canente Dauide *Spiritus malus receſſerit à Saule.* Notum aliàs, Dæmones impuros non fugari εἰ μὴ ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ. Matth. XVII. 21. Sed inde non ſequitur, quod prætendunt nonnulli, liberatum fuiſſe Saulem non tam Muſicâ, quam Pſalmis. Non pugnant ſubordinata, Pharmaca ſpiritualia & corporea. Ex Hiſtoriæ circumſtantiis clarum ſatis, accerſitum fuiſſe à Saulis ſeruis vel Archiatris Dauidem non ſub ſacerdotis, ſed citharœdi titulo. Pone, Muſicæ nullas eſſe in Satanam vires ſiue actionem immediatam, non negabis tamen mediatam & occaſionalem, diſpulſo vehementi Affectu fugari Dæmona. Clarum id ex Eph. IV. 26. 27. ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν, μήτε δίδοτε τόπον τῷ Διαβόλῳ. Ita allicitur & bonus Spiritus Muſicâ, quoties Animus tranquillo exultat gaudio in DEO. Fuit Muſica Eliſæo Inſpirationis medium. Ita ipſe 2. Reg. III. 15. *Pſalten mihi adhibete: Quumque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus* DOMINI. Neque adeò contemnenda eſt eorum ſententia, qui Saulem conſiderant ut melancholico-maniacum potius quàm ἐνεργέμενον: ut ſanè extra controuerſiam eſt, & inprimis in confeſſo apud Medicos, energumenos, ſi non omnes, pleroſque ſaltem, quos quidem hodie habemus, ad Melancholicorum claſſem eſſe redigendos.

Multiplicantur ſæpe Entia, quæ inter
eſt Diabolus, absque neceſſitate.

# TAB. CCCXCIV.

## 1. Sam. Cap. XVII. verſ. 4 - 7.

4. Egreſſus autem eſt vir inter duas acies ex caſtris Palæſtinorum, Goliath erat nomen ejus, de Gath, altitudo ejus erat ſex cubitorum & palmi.
5. Galea chalybea erat in capite ejus, & Lorica ſquamata induebatur: pondus autem Loricæ habuit quinque millia Siclorum chalybis.
6. Ocreas chalybeas habuit in pedibus ſuis, clypeus chalybeus erat inter ſcapulas ejus.
7. Contus Lanceæ ejus ut jugum texentium, lamina verò Lanceæ ejus habuit ſexcentos Siclos Ferri, præcedebatque ante eum ferens haſtam.

4. Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi.
5. Et caſſis ærea ſuper caput ejus: & lorica hamata induebatur: porro pondus loricæ ejus, quinque millia ſiclorum æris erat.
6. Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros ejus.
7. Haſtile autem haſtæ ejus erat quaſi liciatorium texentium: ipſum autem ferrum haſtæ ejus, ſexcentos ſiclos habebat ferri: & armiger ejus antecedebat eum.

GOliathi Gigantis altitudo fuit *ſex cubitorum & Palmi*, reducta ad 10. Pedes Pariſinos, 2. poll. $6\frac{1}{10}$. lin. ſuppoſito Cubitum Hebraicum eſſe 1, 944. ped. זֶרֶת Palmum $\frac{1}{6}$. cubiti, 397. part. Ped. Pariſin. LXX. quatuor duntaxat habent Cubitos, τεσσάρων πήχεων, & ita *Joſephus*. Reſponderent hi 6. ped. Pariſin. 7. poll. $5\frac{3}{5}$. lin. In menſuris Tigurinis altitudo $6\frac{1}{6}$. cubitorum reſpondet 10. ped. 9. digg. $7\frac{2}{3}$. lineis circiter. Sumit *Eiſenſchmid. Pond.* p. 19. זֶרֶת pro *Spithama* ſiue *Dodrante*, ſemiulna. Ex qua Hypotheſi ſurgeret Goliathi altitudo ad 10. ped. 9. dig. $1\frac{3}{5}$. lin. Pariſ. Habet *Matthæus Hoſtus Hiſt. Monomach. Dauidis & Goliathi* c. 4. pedes nouem cum dodrante, forſan Francofordienſes ad Oderam.

Sequitur *Lorica ſquamata*, quæ ex ferreis lamellis veluti ſquamis erat formata, hujus pondus fuit 5000. Siclorum, quod, ſi benè computaui, aſcendit ad Libras Medicinales 198. uncias, 8. drachmas, 3. gr. 3, 14. poſitis nempe pro Siclo 3. drachmis, 2. ſcrupulis, 8. 90. granis. Quod ſi Siclum aſſumas pro ſemuncia, obtinebis $139\frac{2}{3}$. Libras communes 36. lothonum ſiue ſemunciarum.

*Lanceæ* porrò *lamina* habuit 600. Siclos. Dant hi in pondere Medico 23. Libras 10. uncias, 2. ſcrupulos, 17, 97. gr. in pondere communi $16\frac{2}{3}$. Libras.

Crucem interpretibus figit v. 6. כִּידוֹן *cidon*, quæ vox occurrit quoque Joſ. VIII. 18. Job. XXXIX. 23. Jer. VI. 23. I. 42. In tres nempe partes abeunt ſententiarum diuortia. 1. Sunt qui ἀσπίδα, *clypeum*, aut θυρεὸν, *Scutum* reddunt: ita & nos, *clypeus chalybeus erat inter ſcapulas ejus, ein ehrener Schild zwiſchen ſeinen Schulteren.* Ita *Hieronymus*, & paſſim Interpretes alii. 2. Chidon aliis eſt ἐπωμὶς, *Humerale*, aut ferreum ἐπιτραχήλιον, quo vel Humeri, vel collum ab ictibus defenduntur. Ita Rabbini, *Kimchius*, *Selomo*, *Leui*, *Eſaias*, Chaldæus & Arabes. 3. γαῖσον, *gæſum*, *haſtile*, *lancea*, aut ſimile Teli genus, ut proin fuerit ὅπλον ἀμυντήριον, non σκεπαστήριον, ad arma pertinens offenſiua, non defenſiua, quod à tergo rejicere poterat inter humeros, ut eo uteretur poſt confectum Haſtæ certamen. Hanc ſententiam pluribus roborat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 8. qui videatur.

TAB.



I. SAM. Cap. XVII. v. 4-7.
Goliath Gigas.

I. Buch Sam. Cap. XVII. v. 4-7.
Der Rieſe Goliath.

*Catharina Sperlingin sculps.*

RPJCB

RPJCB



I. SAM. Cap. XVII. v. 34. 35. 36.
David Λεοντομαχος.

I. Buch Sam. Cap. XVII. v. 34. 35. 36.
Davids Löwen = Bezwingung.

*I. G. Pintz sculps.*

# TAB. CCCXCV.

## 1. Sam. Cap. XVII. verſ. 34. 35. 36.

34. Reſpondet Dauid ipſi Sauli: Seruus tuus paſcebat oues patris ſui, irruit autem Leo & Urſus, abripuitque pecudem de grege.
35. Egreſſus ego poſt illum trucidaui eum, eripuique ex ore ejus: quumque inſurgeret aduerſum me, apprehendi eum fortiter barba cum mandibula, percuſſi eum, & interfeci eum.
36. Non Leonem ergo duntaxat, ſed & Urſum interfecit ſeruus tuus —

34. Dixitque Dauid ad Saul: Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis.
35. Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.
36. Nam & Leonem & Urſum interfeci ego ſeruus tuus —

Docimaſtica en Fortitudinis prima, patrata in prima juuenta, quæ puer Dauid Sauli narrat ingenuè, ouium paſtor Regi ſuo. Sed non eodem modo narrationem hanc intelligunt omnes. Sunt ex Interpretibus, qui Dauidem uno eodemque tempore λεοντομάχον fuiſſe exiſtimant & ἀρκτομάχον. Ita *Caſtellio: Cum Patris mei pecus paſcerem*, Leo *unà cum Urſo gregem adortus ouem ſuſtulit. At ego hunc perſecutus occidi, eique de faucibus prædam extorſi. Tum illum in me inſurgentem roſtro prehenſum afflixi & necaui.* Idem fere conjectare quis poſſet ex noſtris Verſionibus, quæ habent, *Leo & Urſus, ein Löw und ein Bär*: ſed eſt hæc Locutio talis, quæ non minus diuerſo atque eidem tempori applicari poteſt. Interim Rationi magis eſt conſonum, non eodem tempore contigiſſe hanc Leonis Urſique inuaſionem, propter Rationes ſequentes. 1. Leonis non eſt, ubi prædatum it, in conſortium adſciſcere Urſum: imo ne quidem Leænam ſuam admittit expeditionis ſociam. *Ælianus* L. IV. c. 3. Λύκω συννόμω καὶ ἵππω, λέοντι γε μὴν ἐκ ἐςίν. Λέαινα γὰρ καὶ λέων ἔτε τὴν αὐτὴν ἴασιν, ἔτ' ἐπὶ θήρας, ἔτε πιόμενοι. *Lupi duo & Equi duo ſimul paſcuntur, Leones duo non item: Leæna enim & Leo neque ad venationem, neque ad potum eandem viam inſiſtunt.* Hinc paſſim Leo apud Poetas cluet μενολέων. 2. verba illa v. 35. *egreſſus poſt illum trucidaui eum*, intelligi non poſſunt de una duntaxat fera, ſeu Leo fuerit, ſeu Urſus, quia v. 36. legitur, Dauidem *interfeciſſe Leonem & Urſum*; plus enim foret in concluſione, quàm in præmiſſis: ſed nec de duabus, quæ ſimul adortæ fuerint ouem: nam v. 35. legi deberet, *egreſſus poſt illos trucidaui eos.* Neque concipi facile poteſt, quomodo Leo Urſusque ſocii auferre ſimul queant ouem, & Heros puer uno eodemque tempore utroque fieri ſuperior; niſi fuiſſet τρίχειρ, ut una manu potuerit arripere Leonem, Urſum altera, tertia eripere Ouem. Ne Hercules quidem contra duos. Sed neque refugium, quod ſine neceſſitate fit, ad miracula admittunt Interpretes. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 4. & poſt eum *Clericus Comm.* commutant particulam copulatiuam וְאֶת־ *veeth*, &, in disjunctiuam, *aut. Veniebat Leo aut Urſus*: ut ſenſus ſit, ſiue irruperit Leo ſiue Urſus, aggreſſus ſum eos, & trucidaui. Frequens ſatis eſt in Sacris copulæ disjunctiuæ ET ſenſus: & habet ipſa Complutenſis ἤ, ὅταν ἤρχετο λέων ἢ ἄρκτος.

Attentionem meretur modus, isque duplex, quo Dauid feris illis, formidandis aliàs, factus fuit ſuperior: priorem exprimunt hæc verba, *trucidaui eum*, Leonem ſeu Urſum, *eripuique* ouem *ex ore ejus*, id eſt, ſi fortè fera ouem morſu prehendens diſceſſerit à grege, præda ſeſe ſatiatura, inſecutus illam occidi vel clauâ vel haſtâ, & Ouem ex faucibus Leonis mortiſue eripui: alterum ſiſtunt, quæ proximè ſequuntur: *quumque inſurgeret aduerſum me, adprehendi eum fortiter barba cum mandibula, percuſſi eum, & interfeci eum.* (*& illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam interficiebamque eos.*) En igitur in Duello inſurgentem Leonem contra Dauidem, ut eum diſcerperet, Urſum, ut amplectendo Paſtorem comprimeret! ſed & Dauidem, qui una manu Labia & mandibulam, præſertim inferiorem, feræ prehendit, altera eam confodit, ſeu gladio, ſeu haſtâ. Heroicæ virtutis ſunt hæc domeſtica, quibus in tenera

 ætate,

ætate, & veluti in palæſtra, exerceri debebat Dauid, ut maturè DEI auxilium & implorare aſſueſceret & experiri, & pro futuro vitam ſuam & fata firmiſſimo huic fundamento ſuperextruere. Herois fortis & magnanimi eſt

Eſurienti Leoni ex ore exculpere prædam.

Sed nec id ſilentio eſt prætereundum, de quo fortè dubitari nequit, potuiſſe Dauidem in officio ſui paſtoratus quotidie Lacertorum vires probare in dies, & probando augere: docet namque nos & Ratio & Experientia, augeri vires incredibilem fere in modum poſſe Exercitio. Exempla dant Gymnaſia veterum, & Palæſtræ hodiernorum Gladiatorum, imo Simſonum modernorum, quos inter memorari meretur Sereniſſimus Poloniæ Rex AUGUSTUS. Erat Dauid fortis non animo duntaxat, ſed & corpore, *inſtructus à DEO manibus ad pugnam, ut arcum chalybeum brachiis ſuis confringeret.* Pſalm. XVIII. 35.

Explicatur Hebræa vox זָקָן *zakan* v. 35. communiter per *barbam*, *apprehendi eum fortiter barba*, & conuenit ex æquo Leoni & Urſo. Apud *Homerum* occurrit paſſim

Λῖς ἠΰγένειος

Leo benè barbatus.

*Martialis* L. X. *Epigr.* 9.

Barbam vellere mortuo Leoni.

Sed notat & hæc ipſa vox *mentum, mandibulam*: Hinc Chaldæus heic habet *maxillam*, *Hieronymus mentum*, Latina noſtra *barbam cum mandibula*, LXX. φάρυγγα. Quæ vox ſi in ſenſu communi accipienda, compreſſit Heros noſter feras jugulo, vel manu in fauces adacta ſuffocauit. Sed nec id omittendum, quod Itineratores referunt, *Theuenot* inter alios *Continuation de ſon voyage* L. I. c. 13. Arabibus non adeò formidabiles eſſe Leones, quin fugari facile, imo capi & trucidari queant.

# TAB. CCCXCVI.

## 1. Sam. Cap. XVIII. verſ. 9.

Saul ergò malignè intuebatur Dauidem, ex hoc die & deinceps.

Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps.

EST quidem *Cor imperveſtigabile* quid Prov. XXV. 4. ut ſolus DEUS clueat *cordium* ſcrutator paſſim in Sacris; non tamen Abyſſus hæc adeò eſt profunda, non Affectus adeò latentes, quin per tranſennam veluti aliquid ſe prodat. Deſint, pone, Feneſtræ cordi, ſpeculum tamen eſt in Facie, quod intueri licet, & in quo Paſſionum characteres, ſyllabas, voces legere datur: & ſunt in ſpecie oculi arguti, immites, liuentes, loquaces, maligni, melliti, minaces, modeſti, obliqui, peruerſi, ſuperbi, torui, truces, amantes, limi; verbo, Tabula, in qua pictos videas Animi tantum non omnes Affectus, imo legas, Iram, Amorem, Inuidiam, Triſtitiam, Gaudium. Qui Ætiologiam inſtituere deſiderat, ei inſpicienda ſunt interanea Cerebri, adeunda Animæ ſedes. Eſt quippe Cerebrum proprie ita dictum cogitationum officina & Motuum voluntariorum, ut Cerebellum inuoluntariarum Actionum. Sed eſt intima & reciproca communicatio Cerebrum inter & Cerebellum. Si quid per Senſuum externorum Organa defertur ad Cerebrum, & præſidem ibi Animam, tranſit id protinus per Spiritus curſores, viamque Natium, Teſtium, atque Proceſſuum ad Cerebellum, & hinc ad Cor, & viciſſim ex Cerebello ad Cerebrum. Sed ſunt in media via nerui, pathetici dicti, qui in tranſitu tacti & veluti moniti impreſſiones in Animo factas deferunt ad oculos, hosque pro variantibus Paſſionibus diuerſimodè mouent. Audi *Williſium Anat. Cerebri* c. 21. *Proprium horum* (Neruorum Patheticorum) *munus eſt, juxta Paſſionum impetus, ac Naturæ inſtinctus, à Cerebro in Cerebellum, & vice verſa ab hoc in illud, per Nates & Teſtes, eorumque Proceſſus medullares traditos, remandatosque oculos patheticè mouere — Neceſſe eſt, hos Neruos in media via radicatos, ab omni Spirituum ultrò citroque tendentium* ῥοπῇ *percelli, proindeque oculorum motus iſtarum partium affectionibus obſequi.*

Sunt Animi Paſſiones tantò violentæ magis, imo vel æſtimandæ magis, vel formidandæ, quia non terminantur in ideis, ſed corporis membris vel utuntur ad bonas, vel abutuntur ad malas actiones, ſiue in actus erumpunt. Ita heic Saulis erga Dauidem concepta indignatio huic tantùm non fatalis v. 11. *Tollens Saul lanceam cogitauit: Trajecto Dauide, infigam lanceam parieti.*

TAB.



I. SAM. Cap. XVIII. v. 9-11.
Saul furioſus.

I. Buch Sam. Cap. XVIII. v. 9-11.
Der wütende Saul.

*I. G. Thelot sculp*

RPJCB

RPJCB



I. SAM. Cap. XXIV. v. 3.
Iaal, Ibex, Rupicapra.

I. Buch Sam. Cap. XXIV. v. 3.
Iaal, Steinbock, Gemſe.

*D. Scheüchzer sculp.*

# TAB. CCCXCVII.

## 1. Sam. Cap. XXIV. verſ. 3.

— Saul abiit, ut inueſtigaret Dauidem & viros ejus in ſummitatibus rupium, quas conſcendunt Rupicapræ.

— Saul perrexit ad inueſtigandum Dauid & viros ejus, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt.

OCcurrit heic יַעַל *jaal*, plur. יְעֵלִים *jeelim*, Fœm. יַעֲלָה *jaalah*, uti & Pſ. CIV. 18. Job. XXXIX. 3. Prov. V. 19. Animal, quod alii *Ceruum*, alii *Hinnulum*, alii *Damam*, alii *Capream* aut *Capreolum*, alii *Ibicem*, alii *Rupicapram*, alii *Tragelaphum*, *Hircum ſylueſtrem* alii interpretantur. Tigurini nos in Latina habemus *Rupicapram*, in Vernacula *Ibicem*, *Steinbock*. Pro *Ibice* pugnat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 23. ſequentibus, quæ in ſynopſin contraham, argumentis. 1. ſunt יְעֵלִים rupicolæ, *confugium* his *celſi montes*. Pſal. CIV. 18. *ſummitates rupium*, in Textu noſtro. *Paſcua in montibus*, Job. XXXIX. 3. Quod idem de *aloruia* teſtantur Scriptores Arabes. Hinc יַעַל à עָלָה *alah*, *ſcandendo*. Iſidor. *Ibices quaſi auices, eò quod inſtar Auium ardua & excelſa teneant, & in ſublimibus habitent, ita ut de ſublimitate vix humanis obtutibus pateant.* Quæ quidem ſcandendi ſummas rupes prærogatiua etiam in Rupicapras quadrat. 2. Arabes tribuunt יַעַל noſtro vaſtitatem cornuum, cornua à capite usque ad nates extenſa; quâ notâ à Rupicapris manifeſtè diſcrepat. 3. Ezech. XXVII. 15. Cornua τῶν יְעֵלִים computantur inter pretioſas merces. Apud *Ælianum* L. XIV. c. 16. ingentium poculorum, ἁδρῶν κυλίκων, præſtant vicem. Arcus ex iis in Creta fieri teſtatur *Bellonius*. 4. De præcipiti Ibicum in cornua ſaltu aut lapſu multa habent Scriptores. *In hæc ſe librant, ut tormento aliquo rotati in petras potiſſimum è monte aliquo in alium tranſilire quærentes, atque recuſſis pernicius quò libuerit exultant. Plin.* 5. De *aloruia* ſcribunt Arabes, occœcari facile, & apud *Scaligerum*, Ibicem propterea habitare loca frigida. 6. De *aloruia Damir*, eſſe in cornubus duo foramina, per quæ reſpirat, quibus obturatis pereat illicò. Quod de Aegagro etiam *Oppianus* L. II.

Ἐι δέ τις αἰγάγρε κηρὸν κέρασιν περιχέυοι,
Ζωῆς ἐξέκλεισεν ὁδὲς, πνοῆς τε διαύλε.

Quod ſi quis Ægagri cornibus ceram circumfuderit,
Is vitæ vias intercluſerit, reſpirationisque meatus.

Ubi αἴγαγρος ſiue ἄγαςρος idem videtur cum Ibice. 7. De *Aloruia Damir*, & de αἰγάγρῳ *Oppianus*, eam eſſe ςοργὴν erga Catulos, ut ſi quem capiant horum Venatores, illum ſequatur, & lactet. 8. De eodem Animali uterque Scriptorum citatorum, eam eſſe pietatem erga parentes, ut præmanſo cibo eos alant.

# TAB. CCCXCVIII.

## 1. Sam. Cap. XXIV. verſ. 15.

Poſt quem egreſſus eſt Rex Iſraelis? aut quem demum perſequitur? (nimirum) mortuum canem, & pulicem aliquem (a)?

(a) Pulicem unum. Ebr.

Quem perſequeris Rex Iſrael? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem unum.

CAne nil fere vilius, contemptibilius nihil. Hinc per ἐξουθενισμόν, humilitatem & ſui ipſius contemptum canem ſe vocat *Dauid* in noſtro Textu. *Mephiboſeth* 2. Sam. IX. 8. qui ita ad Dauidem. *Quis eſt ſeruus tuus? quod reſpicis ad canem mortuum, qualis ego ſum. (Quis ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?) Haſaël* ad Eliſeum 2. Reg. VIII. 13. *Quidnam? caniſne eſt ſeruus tuus, ut deſignet verbum iſtud tam grande? (Quid enim ſum ſeruus tuus canis, ut faciam rem iſtam magnam?) Helena* Hectori *Homer. Iliad.* ζ. v. 356.

Δάερ, ἐπέι σε μάλιϛα πόνος Φρένας ἀμφιβέβηκεν
Ἕινεκ' ἐμεῖο κηνός.

O leuir, quoniam animum tuum labor maxime inuaſit
Propter me, quæ ſum canis.

Eſt hæc ſeipſum cum cane conferendi ratio obſoleta hodie, ſed quidem vel per Prouerbium modus, per contemptum & veluti alto ſupercilio cani comparandi alios. Ita Abiſai de maledico illo Semei 2. Sam. XVI. 9. *Cur maledicit canis iſte mortuus Domino meo Regi? Ulyſſes* ad procos *Homer. Odyſſ.* χ'. Ὦ κύνες, ô *canes!* Ipſa tandem Scriptura *canum* nomine deſignat infideles Matth. XV. 26. profanos verbi Diuini contemptores. Matth. VII. 6. piorum quoſuis hoſtes. Pſ. XXII. 17. ſceleribus variis pollutos Apoc. XXII. 15. Paſtores mercenarios. Jeſ. LVI. 10. conf. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 56.

Animalculum ex viliſſimis, quod tributi loco Præfectis dare ſolebant olim Peruani, teſte *de la Vega Comm. Royal.* p. 524. eſt פַּרְעוֹשׁ *Paroſch, Pulex*, cui affine eſt Arabicum *borguths, bürghus. Meninzk. Lex.* 5936. item Arabum, Turcarum, & Perſarum *ebbar, ebar, abar, püre, pire, büre.* Id. p. 10. 799. 917. 4049. 4119. Syrorum item *purthaana* פּוּרְטַעֲנָא. Cum hoc Inſecto abjectiſſimo ſeſe comparat Dauid in Textu, & XXVI. 20. *Egreſſus eſt Rex Iſraelis, ut pulicem unum quærat*, ut nempe *humilitatis exſuperantia præfractum Regis cor emolliret*, ὅπως τῇ ταπεινώτητος ὑπερβολῇ τὴν ἀτεράμονα καταμαλάζῃ καρδίαν, ut ait *Theodoretus*. Et perbellè. Pulex ſi quæratur, vix inuenitur, & inuentus vix capitur, captus leuis venatori eſt præda. Paſſim apud Authores profanos pulicem annumeratum videas rebus nihili, & tenuioris ſortis hominibus conferri. Apud *Tzetzem Hiſt. Chil.* 9. *Hiſt.* 272. Xerxis imbelles copiæ per contemptum vocantur ψύλλων νέφος, *pulicum nubes*. *Ariſtophanes* in *Nebulis* deriſurus *Socratem* de rebus nihili philoſophantem, fingit illum pulicis ſaltum dimetiri, noſſe pulicum veſtigia, τὰ ψύλλων ἴχνη, *Act.* I. *Scen.* 2. & *Act.* III. *Scen.* I. Plura vide in *Boch. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 19. ut nos Germani de homine, qui Criſtas modicæ ſuæ vel ſcientiæ vel prudentiæ erigit, audire tuſſientium pulicum voces, *er höre die Flöhe huſten.*

Utut abjectiſſimum eſt Animalculum Pulex, admirandum tamen eſt in ſua metamorphoſi & generatione paucis cognita, & primùm, quantum ſcio, detecta à Præclariſſimo *Vallisnerio Eſperienze ed Oſſervazioni* p. 84. En miram geneſin in compendio! & Iconibus in margine depictis! Deponunt Matres Fig. I. & oua Fig. II. fœcundata nempe à Mare: Ex ouis naſcitur vermis Fig. III. lactei imo perlacei coloris, qui duarum ſeptimanarum ſpatio juſtam acquirit & magnitudinem & ætatem, viuaciſſimi motus. Hic Erucarum aliarum ad inſtar ex tenuiſſimis filis format ſacculum, ut in eo ſe recondat, & in ipſo hoc ſacculo Fig. IV. ſeſe ſpatio duarum hebdomadarum transformat in pulicem Fig. I. Qui diſtinctam magis Pulicis Anatomen microſcopicam deſiderat, adeat *Leeuwenhoekii Experim. & contemplat.* p. 353. ex quo Fig. V. exhibet pupulam, in qua cornua & pedes futuri pulicis cernere licet. Fig. VI. cornua capitis articulata, & Thecam cum aculeis in ea reconditis, vel extra eam exertis. Fig. VII. poſteriorem Pulicis pedem cum Tendine abrupto. Fig. VIII. coitum maris & fœminæ.

TAB.




I. SAM. Cap. XXIV. v. 15.
David pulex.

I. Buch Sam. Cap. XXIV. v. 15.
David ein Floh.

G.D. Heuman sculp.

RPJCB

RPJCB



I. SAM. Cap. XXV. v. 18.
Abigail Davidi ſupplex.

I. Büch Sam. Cap. XXV. v. 18.
Die Füß-fällige Abigail.

I. G. Pintz sculp.

# TAB. CCCXCIX.

## 1. Sam. Cap. XXV. verſ. 18.

Feſtinans ergo Abigail accepit ducentos panes, duos utres vini, quinque oues paratas, & quinque ſata toſti Farris, centum denique ligaturas uuarum paſſarum, & ducentas maſſas Ficuum, & impoſuit (illa) Aſinis.

Feſtinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas uuæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, & poſuit ſuper Aſinos.

ASinos ferendis oneribus, iisque grauibus eſſe deſtinatos vel in vulgus, & per Prouerbia notum. Heic onerat integram veluti Aſinorum carawanam Abigail donariis, Dauidis contra Nabalem conceptam iram moderatura: iis namque imponit *ducentos panes, duos utres vini, quinque oues paratas, quinque ſata toſti Farris, centum ligaturas uuarum paſſarum & ducentas maſſas Ficuum.* Ita miſerat Iſai Sauli חֲמוֹר לֶחֶם *chamor lechem, aſinum panem*, vel *aſinum panis*. 1. Sam. XVI. 20. Habent & LXX. γόμορ ἄρτων, mutantes *Aſinum* in *chomer*, aridorum menſuram. Sed jungit *Kimchius*, quæ nos disjungimus, Aſinum Pani. Eſt hæc Phraſis in *Soſibio* Poëta obuia.

> Ἔσθει μὲν ἄρτων τρεῖς ὄνους κανθηλίους
> Τρὶς τῆς βραχείας ἡμέρας.

> Comedit panum tres Aſinos prægrandes
> Ter in breui die:

Id èſt, τριῶν ὄνων φορτίον, trium Aſinorum pondus, annotante *Caſaubono* in *Lectionibus Theocriti* c. 12.

סְאִים קָלִי *ſeim kali* reddimus nos *ſata toſti Farris, Scheffel gedörret Korn. Bochartus Hieroz.* P. II. L. I. c. 7. ſumit heic קָלִי *kali* pro *fricto cicere*, quod hodieque Arabes *kali* vocari ſcribit, & memoret quoque *Plautus* in *Bacchidibus Act.* IV. *Scen.* 5.

> Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum eſt cicer.

*Horatius* in *Arte.*

> Nec, ſi quid fricti ciceris probat, aut nucis emptor.

*Caſſianus collat.* 8. c. 1. *Superintulit caniſtrum habens cicer frictum, quod ibi* trogalia *vocant.* τρωγάλια, i. e. *bellaria.* Ita apud *Ariſtophanem* in *Pace* ruſticus occurrit.

> Ἀνθρακίζων τ' ἐρεβίνθους.

> Cicer ſuper Carbones torrens.

Sanè *Kali Cicer* eſſe, vel Ciceris ſpeciem, abundè probat *Bochartus* tum ex Judæorum, tum ex Arabum ſcriptis. *Hordeum toſtum* vult *Hiller. Hierophyt.* P. II. p. 172. & locis citatis, & Ruth II. 14. Græci Interpretes habent ἄλφιτον. Quæ vox forſan conciliationi dat locum. Sunt ἄλφιτα apud Hippocratem Hordei toſti ſeu fricti farina, & Lib. II. περὶ διαίτης, κρίθη πεφρυγμένη Veteri Critico. Torretur farina & ex Leguminibus, & Frumentis: ſic paramus nos ex farina auenacea & triticea toſta juſcula, nobis *Habermiiſer*; Turcæ & Arabes ex Fabis Caffé potum hujus nominis, cui nonnulli ſubſtituunt potum ex Farina Hordei toſta. Poterimus ita pro Kali ſumere in genere Farinam toſtam: cujus fuere ſata quinque, quæ in menſuras noſtras Tigurinas redacta dant 1. quartale $14\frac{11}{25}$. modiolos, aſſumto nempe סְאָה ſato, quod fuit $\frac{1}{3}$. Epha, pro 674. pollicibus cubicis Pariſinis, qui æquales ſunt $6\frac{22}{250}$. modiolis noſtratibus. *Ed. Bernardus* uni ſato æquiparat 21. Libras Romanas, quarum ſingulæ in pondere Pariſienſi dant uncias 10. drachmas 6. grana 48. ut proin 5. ſata dent 105. Libras Romanas: Cæterùm per מֵאָה צִמֻּקִים & מָאתַיִם דְּבֵלִים *centum botros* & *ducentas carycas* intelligi debent, ut nos Tigurini exprimimus, *centum ligaturæ* ſiue faſciculi *Uuarum paſſarum*, & *ducentæ maſſæ Ficuum.* Quæ omnia ſufficere debebant 400. viris militibus executoribus à Dauide miſſis.

# TAB. CCCC.

## 1. Sam. Cap. XXV. verſ. 37. 38.

Factum eſt igitur mane, quum Nabal vinum concoxiſſet, retulit ei uxor ejus negotium illud, emortuumque eſt cor ejus in ipſo, ut fieret tanquam lapis.

Poſt decem deinde dies percuſſit DOMINUS ipſum Nabal, ut moreretur.

Diluculo autem cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei uxor ſua verba hæc: Et emortuum eſt cor ejus intrinſecus, & factus eſt, quaſi lapis.

Cumque pertranſiſſent decem dies, percuſſit DOMINUS Nabal, & mortuus eſt.

NOtum, Homini ferociores hoſtes non eſſe, quàm Voluptates & Animi Paſſiones. Nabalem en! triſte utrarumque ſacrificium, breui enectum. Heri *habebat is conuiuium in domo ſua veluti conuiuium regium, & cor ipſius erat hilare in ipſo, eratque ſatis ebrius.* v. 36. Primos igitur inſultus faciebat vinum, quo ſolo ſæpe obdormit οἰνόφιλος, ut non euigilet amplius. Qua ratione id contingat, expoſui alibi. *Manè* verò, *quum Nabal vinum concoxiſſet*, ita nempe, ut corpore debilitato Mens redierit ad ſe, noua facta fuit & fortior oppugnatio, imò expugnatio. Narrabat auaro prudentiſſima conjunx, quæ contigerint heri, juraſſe Heroem Dauidem per Deum ſuum, qui aduentarit cum quadringentis viris, *ſi ad matutinam usque mingentem ad parietem reliquum fecerit ex omnibus, quæ habet.* v. 22. Perceperat, nec absque dolore, qualenam factum fuerit Dauidi donarium, animo obuerſabatur extremi periculi, cui expoſitus fuerat cum omni ſua domo, idea, periculi, à quo nec dum ſit liber: ſtant comæ, & quò ſe vertat, præ angore & metu neſcit: rapiuntur inordinatis motibus Spiritus, præpeditur horum influxus in viſcera nobiliora, cor imprimis, *emortuumque eſt cor ejus in ipſo, ut fieret tanquam lapis.* Heic nemo ſibi finxerit, opinor, fuiſſe reuera petrificatum Nabalis cor: aliud nihil vult Orientalis hæc loquendi formula, quàm ejusmodi cordis à ſanguineo latice oppletionem, qua primaria hæc Automati rota non quidem ſubitò fuerit & ſimul ac ſemel oppreſſa, ſed ita labefactata, ut reſiſtentiis ſuperandis diu par non fuerit, non enim ſubitanea ſuffocatum legimus morte: *poſt decem dies percuſſit eum DOMINUS, ut moreretur.* Fuiſſet petrificatio Miraculum ſed majus adhuc vita decem dierum poſt petrificationem. Id equidem negare non auſim, à collecto per ſubitaneum terrorem ſanguine circa præcordia coiuiſſe partes ſanguinis pituitoſas, glutinoſas, formaſſe in Thalamis cordis Polypos, vel ita condenſatum fluidum vitale, ut cordi languido non ſuffecerint vires expellendo Sanguini eum in modum, quem poſcit ſanitatis ſtatus. Æquipollens eſt Phraſis, quæ extat in *Apuleji Metam.* L. VI. p. 179. ubi de Pſyche. *Impoſſibilitate ipſa mutata in lapidem, quamuis præſente corpore, ſenſibus tamen aberat, & inextricabilis periculi mole prorſus obruta, lacrymarum etiam extremo ſolatio carebat.* *Joſepho* fuit Nabalis hic Morbus Apoplexia, & inſecuta corporis necroſis; παρεθῆναι, καὶ πᾶν ἐν αὐτῷ νεκρωθῆναι τὸ σῶμα.

TAB.



I. SAM. Cap. XXV. v. 37 - 38.
Nabal Λιτοκάρδιος.

I. B. Sam. Cap. XXV. v. 37. 38.
Nabals ſteinern Hertze.

*B. S. Sedlezky sculps.*

RPJCB

RPJCB




I. SAM. Cap. XXVI. v. 20.
Kore, Gallinago, Perdix, Cuculus.

I. Buch Sam. Cap. XXVI. v. 20.
Schnepfe, Rebhün, Guckuk.

*G. D. Heüman sculps.*

# TAB. CCCCI.

## 1. Sam. Cap. XXVI. verſ. 20.

— Egreſſus eſt Rex Iſraelis, ut pulicem unum quærat, perinde ac ſi quis Perdicem in montibus perſequatur.

— Egreſſus eſt Rex Iſrael, ut quærat pulicem unum, ſicut perſequitur perdix in montibus.

PUlicem ſupra vidimus comparatum Dauidi, fugitiuum Animalculum fugitiuo Heroi. Nunc in Scenam prodit קוֹרֵא *Kore*, Auis, memorata quoque Jer. XVII. 11. *Perdix* (Kore) *incubat, ſed non parit (oua, ſic) qui opes parat, ſed præter æquum & juſtum. In medio dierum ſuorum derelinquit eas, & tandem in extremo ſuo ſtultus & inops eſt conſilii. (Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.)* Chaldæis hæc Auis dicitur קוֹרָאָה *Koraah*, קוֹרֵיָה *Korejah*. Arabes & *Turcæ* non unam Auem, ſaltem prænomine, *Kar* inſigniunt. *Kara göz*, *Kara Kus* eſt *Aquila*. *Kara ſin-ek*, *Muſca*, *Apis*. *Kara tawyk*, *Merula*. *Kar Kuſi Lagopus*, *Fringilla*. *Kerraje* nomen Auis maris collum torquentis. *Meninzk. Lex.* 3903. *Karjiet*, *Karrjiet*, Pl. *Kawari* Auis breuibus prædita pedibus, longo roſtro, viridi dorſo, Arabibus amata, quod boni augurii eſſe creditur, & digna, cui aſſimiletur homo liberalis. Id. 3581.

Ex binis locis ſupra citatis id colligere licet, eſſe *Kore* Auem montanam, nullius pretii, & ex iis, quæ aliarum ouis incubant. De ea lepida extat fabula in *Bereſchith Rabba ſect.* 64. *Leo deuorauerat prædam, & in gutture ejus os hæſerat, & dixit: Quisquis veniens illud educet, dabo ei præmium. Tum venit Kore Ægyptius longo roſtro, quo in guttur ejus indito illud os inde eduxit, & dixit: Da mihi præmium meum. Sed reſpondit Leo, Ito, & jactato, te in os Leonis cum pace eſſe ingreſſum, & cum pace eſſe egreſſum.* Conſimilem Fabulam habet *Phædrus* L. I. *Fab.* 8. Leoni ſubſtituens Lupum, Kore Gruem. Inde non quidem judicare licet, eſſe Kore Gruem, ſed id ſaltem, quod unanimes atteſtantur Judæi, eſſe Kore Auem longiroſtram, quod prædicatum ei quoque dant, ut ſupra vidimus, Arabes, addentes inſuper colorem viridem, & breues pedes. Quodſi inſiſtamus huic deſcriptioni, quærenda erit hæc Auis non in Europa, ſed exteris Regionibus. Roſtrum ſi intueamur, accedit ei *Ariſtotelis* σκολόπαξ, ἀσκολόπαξ, *Gazæ Gallinago*, *Plinii* & *Martialis Ruſticola*, *ruſtica perdix*, Germanorum *Schnepf*. Radix Hebræa קוֹרָה *Kora* notat *Trabem*, *Tignum*, Græca σκόλοψ, *palum*, quibuscum Ruſticolæ Auis Roſtrum commodè comparatur. Sunt & huic Aui pedes breues, locus Montes. Eſt & σκολόπαξ, quod de Kore prædicant quoque Arabes, Columbâ minor. *Nemeſianus*:

—— præda eſt facilis, & amœna ſcolopax:
Corpore non Paphiis auibus majore videbis.

Sunt autem *Paphiæ Aues Columbæ*. Sed non eſt Ruſticolæ color viridis, verum ex rubro, nigro, griſeo mixtus; obſtat & pretium Aui Dauidicæ nullum, quum è contra Ruſticola numeretur inter dapes delicatas, & quondam ipſi Perdici fuerit prælata. Audi *Martialem* L. XIII. *Epigr.* 76.

Ruſtica ſim, an Perdix, quid refert, ſi ſapor idem eſt?
Carior eſt Perdix, ſic ſapit illa magis.

Jungi poteſt Anglorum elogium:

If the Partridge hath the Woodcocks thigh,
If would be the beſt Bird, that è re did flie.

Tandem nullibi de ruſticola legimus, alienis incubare ouis. Sanè ſi Kore eſt ex Ruſticolis, erit ſpecies quædam Orientalis nobis incognita hactenus. Neque mirum, in diuerſas abiiſſe opiniones Interpretes.

Græcis placet in noſtro Textu νυκτικόραξ, *Waldrab*, in Jeremia πέρδιξ, *Perdix*, *Rebhun*, quam ſeligunt *Hieronymus*, Syri, Arabes, Tigurinæ, & aliæ Verſiones. Non eundem tamen dant omnes ſenſum verbis, συνήγαγεν, ἃ οὐκ ἔτεκεν. Sunt qui volunt, ſuffurari Perdicem aliarum Auium oua, incubare iis, & pro ſuis agnoſcere. Ita *Epiphanius in Phyſiologo c.* 9. *Euſtath. in Hexaemeron p.* 29. *Ambroſ. in Hexaemer. L. VI. c.* 3. *& Epiſt. ad Sabinum. Philaſtrius de Hæreſib. in Præfat. Caſſiodor. Varior.* L. II. *Ep.* 14. *Iſidor. Origin.* L. XII. c. 7. Sed capi ne-



quit,

quit, quomodo poſſit Perdix furtum hoc effectui dare ſeu roſtro, ſeu pedibus. Rationi congruit magis recutitorum Doctorum ſententia, incubare Perdicem ouis in aliarum Auium nidis. Ita R. *Selomo in 1. Sam.* XXVI. *Porta Cœli* f. 29. d. *Kimchius in Jer.* Sed deeſt nobis Zoologorum ſuffragium, vel teſtimonium. Mirum magis, quod ſcribunt *Euſtathius*, *Ambroſius*, *Philaſtrius*, *Caſſiodorus*, *Iſidorus*, *Damir*, alienas has à Perdice fotas aues, ſi adultiores fiant, relictâ nouercâ veram ſequi matrem. Hæc ſi ita ſe habeant, major his auibus adſcribi debet ſapientia, quàm *Telemacho* illi, qui rotundè faſſus, neſcire ſe, an Ulyſſis ſit filius, quod credere utique debeat in Matris fidem. *Homer. Odyſſ.* ά. v. 216.

Μήτηρ μὲν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
'Ουκ οἶδ'. οὐ γὰρ πώτις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἂν ἔγνω.

Mater quidem me ejus eſſe aſſerit: at ego
Neſcio: Neque enim ullus ſuum genitorem ipſe cognouit.

In quem Locum *Menander* apud *Euſtathium.*

Αὐτὸν γὰρ οὐδεὶς οἶδε, τοῦ πότ' ἐγένετο.
'Αλλ' ὑπονοοῦμεν πάντες, ἢ πιςεύομεν.

Seipſum nemo nouit, à quo ſit editus,
Sed ſuſpicamur omnes, aut credimus.

Eſt hæc communis omnium hominum confeſſio. Et pone, pullos auium ex certo quodam nobisque ignoto inſtinctu cognoſcere vel ſubodorari matres ſuas; quî quæſo conſtabit nobis Naturæ ſcrutatoribus, fuiſſe hanc, quam pulli ſequuntur, Matrem, & non aliam? Hujusmodi nîl habent Veteres Naturæ Ruſpatores, *Ariſtoteles*, *Theophraſtus*, *Plinius*, quorum equidem authoritate nititur *Hieronymus*. Obſeruamus id haud rarò in Veterum Patrum ſcriptis, quòd hujusmodi Traditionibus in rerum Natura minùs fundatis inædificare ſoleant myſticas ſuas vel applicationes, vel explicationes. Quæ rara & mira ex Cathedris projecta auidis excipere ſolet vulgus adhuc dum auribus, absque δοκιμασίᾳ, juxta illud *Syneſii in Caluitii encomio*: τὸ δὲ ῥᾷςον καταγελάσεται ὁ δῆμος. δεῖται γὰρ τερατείας. *Quod facile eſt, ridet plebs, eget enim narratione prodigioſa.* Volebant Græci Patres, *Chryſoſtomus*, *Olympiodorus*, *Hippolytus*, conſcendere Perdicem matrem alienos nidos, & pullis ita imponere voce ſua, ut hi illam pro vera matre agnoſcentes eam ſequantur. Ita facilis aperiretur ad Ethicam quandam Zoologicam porta, facile erigeretur Theatrum virtutum atque vitiorum, Doli, Fraudis, Inuidiæ, Amoris, Odii. Sunt nonnulli ex Judæorum Doctoribus apud *Kimchium* in ea ſententia, verba Jeremiæ, *incubat, ſed non parit oua*, intelligenda eſſe de Perdice mare, qui etiam aliquando incubet ouis, teſtibus *Ariſtotele Hiſt.* L. VI. c. 8. *Plutarcho Lib. Ultra Anim. Phile* c. 11. Verùm non eſt id Perdici proprium, ſed aliis quoque Auibus commune, ut non Mater ſola incubet, ſed & pater. Juxta hanc autem ἐξήγησιν excideret Propheta ſcopo, qui Perdicem comparat cum auaro, alienis inhiante bonis. Idem quippe jus competit mari in pullos, quod matri. Et propriis ſi incubat ouis, non incubat alienis. Sed quoque negat *Aldrov. ornithol.* L. XIII. c. 17. Perdicem marem incubare ouis, ut ea excludat. Dixeris potius, fouere, vel præſeruare Perdicem oua, majori, quàm aliæ Aues ſolent, cura. Notum, non nidificare Perdices in rupibus, vel Arboribus, ſed in ipſa Terra, variis proin periculis exponi oua & pullos: illa ſi fortè à Rore vel Pluuia madeſcant, incubatu nouo & ſiccari debent & calore foueri. Tutiſſimum tandem omnium eſt, ſi inhærendo Sacri Codicis literis dicamus, excubare Kore Auem aliarum Auium oua: Quapropter R. *Selomo*, qui in mediis floruit Seculis, intellexit *Cuculum*, de quo communis fert opinio, incubare aliarum Auium ouis. De quo quidem nîl Naturæ ſcrutatores, qui id tradunt ſaltem, deponere hanc Auem oua ſua in aliarum Auium nidis, eaque excubanda his linquere. Unde Latinis Cuculus non tam Hanreum notat quàm Adulterum, qui alium conſcendit thorum. Ita *Artemona* apud *Plautum* in *Aſinaria* ad *Demænetum* conjugem ſuum in Adulterio correptum:

At etiam cubat cuculus — —
Cano capite te cuculum uxor ex luſtris domum rapit.

Ipſe Cl. *Bochartus* in tanta opinionum diuerſitate ſuffragium dat *Gallinaginis* ſiue *Ruſticolæ* cuidam exoticæ ſpeciei, *quæ incubat, ſed non parit oua.*

A. Gallinago ſiue Ruſticola.
B. Perdix.
C. Cuculus.

TAB.

RPJCB



I. SAM. Cap. XXVIII. v. 7.
Pythoniſsa Endorea.

I. Buch Sam. Cap. XXVIII. v. 7.
Die Wahrſagerin zu Endor.

G. D. Heüman sculps.

# TAB. CCCCII.

## 1. Sam. Cap. XXVIII. verſ. 7.

Dixit ergo Saul ad ſeruos ſuos: Quærite mihi mulierem, quæ habeat Pythonem, ut vadam ad eum, ſciſciterque ex ea; Et dixerunt ſervi ejus ad eum: Ecce eſt mulier in Endor, quæ Spiritum habet Pythonis.

Dixitque Saul ſeruis ſuis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eum, & ſciſcitabor per illam. Et dixerunt ſerui ejus ad eum: Eſt mulier Pythonem habens, in Endor.

Eſt hæc, quam tractandam ſuſcipimus, Hiſtoria una ex ſingularibus, pertinens ad Philoſophiam Spirituum ſublimiorem, in qua, veluti Terra Auſtrali incognita, plurima, imo pleraque nos latent. Hiſtoria, ex qua id ſaltem, veluti præliminare, prolucet, crediditſſe Judæos Dogma de Animæ Immortalitate, ſiue Animæ ſtatum viuum poſt Mortem. Prolucet, inquam, id ex Quæſtione Endoreæ ad Saulem: *Quem euocabo tibi?* & Regis ipſius Reſponſo: *Evoca mibi Samuelem.* v. 11. Crediderint ſanè oportet & Saul & Saga, ſuperſtitem adhuc eſſe Samuelem poſt obitum.

Ars ſiue Scientia ex prohibitis, quam Incantatrix hæc profeſſa eſt, eſt νεκυομάντεια, qua mortui reuocari, interrogari, & de futuro rerum ſtatu diuinari poterant. Erat illa בַּעֲלַת אוֹב *baalath Ob*, *Domina Obi*, Genii alicujus, quo internuntio euocabantur & interrogabantur Mortuorum Animæ, quæ Ars expreſſis verbis in Abominationum paganarum Regiſtro ponitur Deut. XVIII. 10. 11. *Joſepho Ant. Jud.* L. VI. c. 15. mulier hæc vocatur ἐγγαστρίμυθος, καὶ τὰς τῶν τεθνηκότων ψυχὰς ἐκκαλούμενος: i. e. Ventriloqua, ex vocabuli ſenſu radicali. τὸ ἐγγαστριμύθων γένος, pergit idem, ἀνάγον τῶν νεκρῶν ψυχὰς προλέγει τοῖς δεομένοις τὰ ἀποβησόμενα. De Arte hac ἐγγαστρίμυθο-νεκρομαντεία plura huc afferri poſſent ex Antiquitatibus tum Sacris, tum profanis, quæ & Hiſtoricis diſcutienda linquo & Pneumaticæ Philoſophiæ cultoribus. Et ſuperſedeo tantò lubentius hac digreſſione, quia ex filo præſentis Hiſtoriæ luculenter patet, fuiſſe Artes illas vanas geſticulationes, mera ludibria & fraudes.

Conſtabit id luculenter ſatis ex ſynoptica Scenæ, quam cum Saule & Samuele luſit Endorea, repræſentatione. Non ſtatim hæc aperit Theatrum, nec antè, quàm de vita ſua reddita fuerit ſecura. *En tu*, infit illa ad curioſulum, *noſti quid fecerit Saul, quomodo exciderit è Terra Pythones & diuinos, cur ergo tu laqueum tendis vitæ meæ, ut me mortis periculo exponas?* v. 9. *(Ecce tu noſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos & ariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, ut occidar?)* Conjectare facile poterat ex præcipiti & inexpectato Hominis aduentu, ex vultu terroris ſimulacro, ex Quæſtione ipſa, quæ prodierat è tremulis labiis, ex aliis forſan circumſtantiis, verſari inquirentem in anguſtiis, pronum ad Deſperationem. Mutabat quidem Saul veſtes, ut adeſſet incognitò, ſed mutare non poterat ſtaturam omnibus Iſraelitis ſuperiorem, ex qua cognoſci poterat haud difficulter. Erat ſtatio Saulis haud procul ab Endor, caſtra in Gilboa, unde una nocte ire poterat & redire Imperator. Accedit, familiares illo tempore fuiſſe Reges cum ſuis ſubditis, & tantùm non omnibus cognitos, & de ipſo Saule ex Hiſtoria Sacra conſtat, frequentiſſimas eum inſtituiſſe hac illac excurſiones. Et ex ipſo petito Samuelis euocatorio, ſi vel diuinatrix non fuiſſet, conjectare poterat facile, eſſe hunc ipſum Saulem, quocum habuerit tot Samuel negotia. Hæc omnia quidem celat aſtuta, eò quidem usque, dum Prophetam ſe vidiſſe prætendit: tunc demum illa ad hoſpitem, *cur fefelliſti me? tu enim es Saul.* v. 12. *(Quare impoſuiſti mihi? tu enim es Saul,)* acſi Samuel ipſe reuelarit hocce Myſterium. Hujusmodi namque laqueis irretiri ſolent incauti ab Impoſtoribus, ut hodienum ab οὐρομάντεσι, qui ex Urinæ conſpectu talia longâ ſæpe ſerie enarrant, quæ aliunde ſciunt. Tranſeo ridicula Talmudiſtarum ſomnia, quibus Hiſtoriam hanc inferciunt. Ad Quæſtionem Saulis, quid vidiſti? reſpondet Endorea, *Deos vidi aſcendentes de Terra.* v. 13. titulo אֱלֹהִים intelligens, ut Gloſſa noſtra habet, *Deos, Angelos, judices*, Judicum, qualis Samuel fuit, genios, vel Judicis authoritate grauis genium; unam enim intellexiſſe perſonam Saulem, non plures, conſtat ex ejus noua Quæſtione, *quæ eſt forma ejus?* & Endoreæ reſponſo: *vir ſenex aſcendit, isque amictus eſt pallio.*

v. 14. Et conſtat ex hoc ipſo colloquio, non viſum fuiſſe Samuelem ab ipſo Saule. Haud ignorare poterat illa ſtaturam & habitum Samuelis, haud proin difficile erat fœminæ diuinatrici præſentare Regi terroris & anxietatum pleno ideam Prophetæ, qui per tot annorum decurſum habenas Iſraeliticæ Reipublicæ rexerat: haud quoque difficile, voce rauca & ſibilanti, qualis engaſtrimythorum fuit, vel per alium, qui perſonam Samuelis agere debebat, vaticinari Sauli mox futura. Dictabat quaſi ipſe Rex quæſtione ſua reſponſum. *Dixit autem Samuel ad Saulem: Cur inquietum me reddidiſti, ut me reduceres? Et dixit Saul: Valde ſum anxius, nam Paleſtini pugnant contra me, & DEUS receſſit à me, nec ultra reſpondet mihi, neque per manus Prophetarum, neque per ſomnia, & euocaui te, ut oſtendas mihi, quid ſim facturus.* v. 15. *(Dixit autem Samuel ad Saul: Quare inquietaſti me, ut ſuſcitarer? & ait Saul: Coarctor nimis: ſiquidem Philiſthiim pugnant aduerſum me, & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit, neque in manu Prophetarum, neque per ſomnia: vocaui ergo te, ut oſtenderes mihi quid faciam.)* Ubi Saul ſeſe nudum exponit impoſturæ ſagæ, ingenuâ nempe hac ſua & relatione, & confeſſione, *pugnant contra me, DEUS receſſit à me, nec ultra reſpondet mihi. Mihi,* Regi. Laruâ depoſitâ haud longè peti poterat reſponſum, & nullo pene artificio opus fuit, præcipitem dare Regem, & deſperatum magis reddere. Latet in ipſa Quæſtione Reſponſum. *Ait Samuel: Et quare me interrogas, quum DOMINUS à te receſſerit, factusque ſit hoſtis tuus?* v. 16. *(Ait Samuel: Quid interrogas me, cum DOMINUS receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum?) Et DOMINUS quidem fecit, quemadmodum loquutus eſt in manu mea, & ſcidit DOMINUS Regnum de manu tua, deditque illud proximo tuo Dauidi. Quandoquidem enim non obediuiſti voci DOMINI, nec perfeciſti iram furoris ejus in Amalek, idcirco fecit tibi DOMINUS hodie rem iſtam.* v. 17. 18. *(Faciet enim tibi DOMINUS, ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid? Quia non obediſti voci DOMINI, neque feciſti iram furoris ejus in Amalec: idcirco quod pateris, fecit tibi DOMINUS hodie.)* Hæc omnia non norat ſolus, qui in hanc ſcenam trahi ſolet, Diabolus, ſed omnis populus Iſraeliticus. Neminem quippe latere poterat, quæ acta fuere Samuelem inter, Saulem & Agagum. I. Sam. XV. utpote acta in conſpectu totius populi. Neque ignota fuit interminatio à Samuele facta. v. 28. *Scidit DOMINUS hodie Regnum Iſraelis à te, & dedit illud proximo tuo, qui te melior eſt.* Et cognitus erat hic ipſe proximus, Dauid, toti Iſraeli. In teſtem prouoco Saulis ipſius alloquium ad Dauidem. I. Sam. XXIV. 21. *Scio equidem, quod certiſſime regnaturus ſis, quodque firmum futurum ſit Regnum Iſraelis in manu tua. (Et nunc quia ſcio, quod certiſſime regnaturus ſis & habiturus in manu tua regnum Iſrael.)* Imo verò erant totius Iſraelis oculi intenti in Dauidem, ejusque reuocationem à Rege Achis, in ſpem melioris Regiminis. Et fatetur ipſe Saul, non ultra reſpondere ſibi DEUM, neque per manus Prophetarum, neque per ſomnia, neque per Urim & Thummim, ex quo diuino ſilentio conjicere poterat facile diuinatrix conſilium DEI ad Saulis deperditionem, & forte ipſa hæc Oraculi diuini ceſſatio in Terrorem conjecerat integrum Exercitum, unde rumor ex caſtris Gilboenſibus penetrare poterat facile in vicina quæuis loca, qualis fuit & Endor.

Non tamen adeò præciſè ſcopum feriit Endorea Diuinatrix, quæ ita v. 19. *Tradet DOMINUS Iſraelem tecum in manum Paleſtinorum, & cras tu & filii tui mecum erunt: ſed & caſtra Iſraelitica tradet DOMINUS in manum Paleſtinorum.* Niſi locum dederis æquivocationi, quæ hujusmodi fraudulentis diuinationibus ſolet eſſe familiaris. Falſum, *tradidiſſe* DOMINUM totum *Iſraelem in manum Paleſtinorum.* Legimus namque XXXI. 7. *Videntes Iſraelitæ, qui erant circa Vallem, quique erant citra Jordanem, quod fugiſſent Iſraelitæ, quodque mortui eſſent Saul & filii ejus, relictis urbibus fugerunt. Venientes igitur Paleſtini inhabitarunt eas.* Æquivocum porrò & falſum, quod vaticinata eſt ſaga de filiis Saulis; ſi vaticinium nullam pati debet exceptionem. Nam equidem periere in conflictu *Jonathan, Abinadab* & *Melchiſua*, relicti autem fuere, *Mephiboſeth* Saulis ex Jonathane Nepos & quinque Riſpæ filii, *Armoni* & *Isboſeth*, qui ab Abnero collocatus in ſolio Regio imperabat Iſraeli, Dauide interim Rege ſolius Tribus Juda reſidente Hebrone. Errauit tandem in Samuelem transfigurata Prophetiſſa ratione temporis, *cras*, inquiebat, מָחָר *tu & filii tui mecum eritis*, quod & LXX. dant ἄυριον, quod falſum. Paraphraſin Hiſtoriæ hujus tantò ampliorem dare volui, quia communiter allegari ſolet in teſtimonium authenticum præſtigiarum Diabolicarum, quum tamen ex hactenus dictis conſtare autumem, meram fuiſſe impoſturam.

De hac materia legantur

*Joh. Heinr. Heidegger Diſs. de Pſeudo-Samuele à Pythoniſſa in Endor excantato.*

*Mich. Rothardi Samuel rediuiuus.* In Tract. Biblicor. ſiue Criticorum Sacrorum T. VI. p. 310. Edit. Francof. *Leonis Allatii de Engaſtrimytho Syntagma* Ibid. p. 331. *Euſtathii Archiep. Antiocheni de Engaſtrimytho Diſſert. aduerſus Origenem, & Origenis de eadem Engaſtrimytho, an videlicet Anima ipſa Samuelis verè fuerit euocata incantationibus Pythoniſſæ?* Ibid. p. 406.

*Benedictus Hahn de Spectro Endoreo.* Præſ. Jo. Erneſto Gerhardo. Jen. 1722.

RPJCB



II. SAM. Cap. II. v. 23.
Aſahelis Vulnus lethale.

II. Büch Sam. Cap. II. v. 23.
Der tödtlich-verwündete Aſahel.

*I. A. Fridrich sculps.*

# LIBER POSTERIOR SAMUELIS.

## TAB. CCCCIII.

### 2. Sam. Cap. II. verſ. 23.

Quum vero nollet abire, feriit eum Abner poſteriore parte lanceæ ad viſcera vitalia, ut exiret lancea à tergo ejus. Cecidit ergo ibidem, locoque ſuo mortuus eſt.

Qui audire contempſit & noluit declinare: percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt in eodem loco.

ANatome Corporis Humani quia baſin conſtituit Medicinæ, Medicæ conſiderationis erit explicatio Vulneris, quod *Aſahel* recepit אֶל הַחֹמֶשׁ *el hachomeſch, ad quintam ſcil. coſtam:* ita vernacula noſtra, *unter das fünfte Ripp*, ſed Latina, *ad viſcera vitalia.* Quæ locutio tantò majori attentione eſt digna; quia in hoc II. Samuelis Libro occurrit quater, nempe heic in morte Aſahelis. III. 27. in Hiſtoria Vulnerati à Joabo *Abneri.* IV. 6. *Isboſethi* à Rechabo & Baanah. XX. 10. *Amaſæ* à Joabo. Notandum heic, Homini duodecim eſſe *coſtas*, quas diſtinguunt Anatomici in *veras* & *ſpurias:* illæ, ſunt ſeptem ſuperiores, immediatè Sterno affixæ: hæ quinque inferiores. Redit proin huc quæſtio, an numerandi initium fieri debeat à ſuprema, verarum prima, vel ab octaua, ſpuriarum prima. Si prius, transfodiet Lancea pectus, ferietque vitæ ſedem, Cor, & pulmones. Si hoc, tranſibit Inſtrumentum vulnerans in hypochondriis, ad viſcera vitalia Abdominis. Sunt autem utraque Vulnera lethalia, quia partes ad vitam abſolutè neceſſarias lædunt, & omnibus remediis aditum præcludunt. Priori ſententiæ ſubſcribit *Wedelius Exercit. de vulnere* אֶל הַחֹמֶשׁ *ſeu in quinta coſta*, oſtenditque ex *Fernelio* L. I. *de part. corp. hum.* c. 8. & *Piccolhomini prælect. Anat.* p. 210. cordi ſedem eſſe ad quintam coſtam: non tamen rejiciens eorum opinionem, qui per Synecdochen generis intelligunt vulnera lethalia quævis, ad interiora penetrantia. Starem ego potius, ſalua aliorum opinione, pro poſteriori, qui Lanceæ tranſitum, eumque facilem dant ſub Coſtis & Diaphragmate in Abdomen. R. *Abarbanel Comm.* ad h. l. intelligit etiam per חֹמֶשׁ coſtam ultimam ad hepar. Subſcribit & *Fuller Miſc. Sacr.* L. V. c. 1. Speciale argumentum exhibet Amaſæ vulnus 2. Sam. XX. 10. ubi dicitur: *Joab gladio eum feriiſſe in vitalia viſcera, & effudiſſe viſcera ejus in Terram*, quæ loquendi ratio in Thoracis Vulnera prorſus non quadrat. Sed grauiter errant, qui cum Vulgata vulnus collocant in *Inguina*, vel cum LXX. in ψόαν, *Lumbos*, niſi forte per ψόαν intelligere quis velit totam Abdominis cauitatem, per cujus intimam longitudinem aſcendunt Muſculi Pſoas dicti. Apud *Virgilium Æneid.* XII. 506. deſcriptio extat vulneris ei, de quo nunc, conſimilis

—— Haud multa moratus
Excipit in latus, &, qua fata celerrima, crudum
Transadigit coſtas & crates pectoris enſem.

# TAB. CCCCIV.

## 2. Sam. Cap. V. verſ. 23. 24.

Et quum Dauid conſuluiſſet DOMINUM, reſpondit: non aſcendes, ſed circumeas poſt eos, veniesque ad eos è regione Mororum. (a)

(a) Alii legunt, Pyrorum.

Conſuluit autem Dauid DOMINUM: Si aſcendam contra Philiſthæos, & tradas eos in manus meas? qui reſpondit: Non aſcendas contra eos, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum.

Quumque audieris ſonitum inceſſus in apicibus Mororum, tum gnauiter rem geras. —

Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: —

EST *Morus*, ſi בְּכָא *bacha Morus* eſt, ex ea Arborum claſſe, quæ Florem habet amentaceum in eadem Arbore ſeparatum à fructu molli, uti ex characteribus ad marginem appictis videre eſt. *Sapientiſſima* hæc *Arborum*, ut *Plinio* cluet L. XVI. c. 25. & XVIII. c. 27. quia *nouiſſima urbanarum germinat, nec niſi exacto frigore*, ſignum dat Dauidi, tempusque indicat præciſum, quo claſſicum canere, & cum Philiſthæis congredi poſſit, ſed ſignum ſupranaturale prorſus, quod Philoſophicæ contemplationis noſtræ horizontem tranſcendit, ſignum ex parte DEI, Exercitus Iſraelitici ſupremi Ducis, merè arbitrarium. Quam heic depingi curo, eſt *Morus nigra* I. B. *Morus fructu nigro*. C. B. Arbor caudice ſatis craſſo, contorto ac nodoſo, ramis patulis, cortice rugoſo, craſſo, lento, materie robuſta, medullitus flaua, foliis ex rotunditate acuminatis, per ambitum ſerratis, tactu nonnihil aſperis, hirſutis, julis florum loco virentibus, lanuginoſis, fructu breuiſſimo, pediculo hærente, glomerato, per maturitatem nigro, ſanguineo dulci ſucco madido.

# TAB. CCCCV.

## 2. Sam. Cap. VI. verſ. 5.

Dauid verò & uniuerſa Domus Iſraelitica ludebant coram DOMINO variis (Inſtrumentis) (a) ligneis abiegnis, citharis, nablis, tympanis, ſiſtris, & cymbalis.

(a) Alii, cedrinis, alii, ex Buxo.

Dauid autem & omnis Iſrael ludebant coram DOMINO in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.

IN vertenda voce בְּרוֹשׁ *berosch* variant Interpretes. Sunt qui *Buxum* volunt, alii *Fraxinum*, *Larium* alii. Et à ſe ipſis, ut ſæpe, ita heic diſſentiunt LXX. qui κυπάρισσον reddunt, Jeſ. XXXVII. 24. LV. 13. LX. 13. Πίτυν. Ezech. XXXI. 8. Zach. XI. 2. Πεύκην. 1. Reg. V. 8. 10. IX. 11. VI. 15. Ελάτην, *Abietem*, Jeſ. XLI. 19. ibidemque *Myrtum*. Ἄρκευθον, *Juniperum*, Hoſ. XII. 9. 2. Chron. II. 18. Ita quoque Vulgata, quæ quatuordecim locis reddit *Abietem*, in noſtro Textu, *fabrefacta*, 2. Chron. II. 8. *arcenthina*. Nah. II. 4. *agitatores*. Chaldæus ubique ſibi conſtans *Abietem*, & poſt eum plerique Interpretes. Eſt hæc Arbor ex coniferis ſimul ac reſiniferis, ſpeciatim, quam nunc ſeligimus, & ſiſtimus, *Abies fœmina*, ſiue ἐλάτη θήλεια. I. B. *Abies mas conis ſurſum ſpectantibus*. C. B. proceritatis eximiæ, caudice recto, inferius enodi, *Sapinus* dicto, ſuperiore nodoſa, quæ *Fuſterna* audit *Plinio* L. XVI. c. 33. *Vitruuio*



II. SAM. Cap. V. v. 23. 24.
Mori claſsicum canentes.

II. Büch Sam. Cap. V. v. 23. 24.
Schlacht Signal der Maülbeer = Baümen.

G. D. Heüman sculps.

RPJCB



II. SAM. Cap. VI. v. 5.
Abies Muſicis grata.

II. Buch Sam. Cap. VI. v. 5.
Muſic: Inſtrumenta von Tañen=Holtz.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB

PJC



II. SAM. Cap. XII. v. 30.
Coronatio Davidis.

II. Buch Sam. Cap. XII. v. 30.
Davids Crönung.

*Catharina Sperlingen sculps.*

*trunio* L. II. c. 21. Cortice albicante & fragili: Ramis circa Truncum creſcentibus quatuor ad ſex, vel plures, ſenſim minoribus, foliis circumcirca ramulos ferè ſaturæ viriditatis supernè, candicantibus in auerſâ, conis ſquamoſis, ſub quibus latent ſemina ſubalba, ſuperius alata, plena acri & pingui humore; Ligno leui, tremoribus ſuſcipiendis apto, apto proin ad conficienda varii generis Inſtrumenta Muſica, ut heic.

# TAB. CCCCVI.

## 2. Sam. Cap. XII. verſ. 30.

Et tulit coronam Regis eorum de capite ejus, cujus pondus erat Talentum Auri, erantque in ea Lapides pretioſi, impoſitaque fuit capiti Dauidis; quin & prædam valde ingentem è ciuitate aſportauit.

Et tulit diadema Regis eorum de capite ejus (pondo auri talentum, habens gemmas precioſiſſimas) & impoſitum eſt ſuper caput Dauid. Sed & prædam ciuitatis aſportauit multam valde.

Oſtendi ſupra ad Exod. XXXVIII. Talentum Siclis conſtare 3000. reſpondere proin in

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | Pondere Pariſino | | | |
| Libr. | unc. | drachm. | | gran. |
| 87. | 3. | 6. | | 48,00. |
| | Pondere Argentoratenſi | | | |
| 90. | 9½. | 3. | | 46,03. |
| | Pondere Colonienſi. | | | |
| Marc. | Loth. | drachm. | | gran. |
| 182. | 10. | 1. | | 17,64. |
| | Pondere Medicinali. | | | |
| Libr. | unc. | drachm. | ſcrup. | gran. |
| 119. | 2. | 4. | 2. | 9,89. |

Onus Regni graue nimis, quàm ut hoc Imperii Inſigne in Rabbath Ammonitarum, ſiue Philadelphia, capite ſuo quis portauerit, ut ſolent hodie, qui coronantur, Reges. Ut proin conjectare liceat, ſuſpenſam potius fuiſſe ex Machina, & demiſſam in Caput Regis; vel cum *Clerico*, vocem מִשְׁקָלָה *miſchkalah* intelligendam non tam pro pondere, ſed potius pro pretio coronæ, quale eſt in Auro 12220. Ducatorum. *Joſephus Hiſt.* L. VII. c. 7. habet ςέφανον ἕλκοντα χρυσȣ̃ τάλαντον, *pendentem aureum Talentum.*

Gemmis ſiue Lapidibus pretioſis ornatam hanc Coronam Textus indicat, ut ſolent eſſe modernorum Regum Coronæ. Sed nec numerus exprimitur Gemmarum, neque qualitas, nec valor. Sunt ex Interpretibus, qui per Numeri enallagen אֶבֶן יְקָרָה *eben jekarah* explicant per Gemmas multas. Sed *Joſepho* placet ſolus *Sardonyx*. Undenam hoc illi conſtiterit, haud conſtat. Rimatur id *Bochart. Hieroz.* P. II. L. V. c. 7. ex Judæorum ſcriptis, qui fortè in Textu pro מַלְכָּם *malcam*, *regis eorum*, legerint מִלְכֹּם *milcom*, *Molochi.* Inuenit autem, *Sardonychem* in Oriente nuncupatum fuiſſe *moloch*, *molochas. Epiphan. cap. de Sardio.* ἔςι δὲ καὶ ἄλλος Σαρδόνυξ, ὃς καλεῖται Μολοχὰς. Apud *Kimchium* legas de hoc Lapide aliam Fabulam, fuiſſe *Magnetem*, ejusque pretium Talentum, qui Lapis continuò traxerit, imo in libero Aëre ſuſpenſam tenuerit Coronam. Simile quid legas in *Sanhedrin* cap. 11. de vitulo Jeroboami, ſuſpenſum fuiſſe à Magnete, & cœlum inter ac Terram libratum. Et de *Dinocrate* Architecto celebri Alexandrino, fornice magnetico texiſſe Arſinoes Templum, ut hujus ſtatua in libero ſuſpenſa videretur Aere. Quam Fabellam diu credidere Mahometani de Pſeudoprophetæ Sarcophago.

# TAB. CCCCVII.

## 2. Sam. Cap. XIII. verſ. 29.

— Surgentes itaque omnes filii Regis, inſcenderunt quisque mulum ſuum, & fugerunt.

— Surgentesque omnes filii Regis aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt.

MUlus, ex Aſino & Equa natus, non *Naturæ opus, ſed humanæ machinationis audaciæque, adulterinum quoddam inuentum & furtum*, μὴ φύσεως ποίημα, ἀλλὰ ἐπινοίας ἀνθρωπίνης, καὶ τόλμης, μοιχίδιον ἐπιτέχνημα τοῦτο καὶ κλέμμα, definiente ita *Democrito* apud *Ælian.* L. XII. c. 16. פֶּרֶד *pered* Hebræis, Græcis ἡμίονος, οὐρῆα. In uſu fuit hoc Animalium genus inprimis circa Dauidis & Salomonis tempora, quod conſtat ex 1. Reg. I. 33. X. 25. 2. Sam. XVIII. 9. 1. Paral. XII. 40. 2. Paral. IX. 24. & præſenti Textu; ex quo conſtat, mulis vectos fuiſſe Regis filios, ut nunc inſident Equis. Et præter hos Mulos, qui inſeruiebant Equitationi, fuere alii ἀχθοφόροι, *Sagiarii* 1. Paral. XII. 40. alii ζευγῖται, *Curules*, de quibus alibi. *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 19.

# TAB. CCCCVIII.

## 2. Sam. Cap. XIV. verſ. 26.

Quum tonderet caput ſuum (quod fiebat ſingulis annis ad finem anni, quod ſcilicet tonderet, eo quod capillitium grauaret ipſum) quum (inquam) tonderet (comam) pendebat capillitium capitis ſui ducentis Siclis pondere Regio.

Et quando tondebat capillum (ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries) ponderabat capillos capitis ſui ducentis Siclis, pondere publico.

ESt hic, quem tractamus, Locus, unus ex Sacri Codicis difficilioribus. Aſcendit, juxta Sicli computum noſtrum Abſolonis annua tonſura ad uncias 95. ſiue Lothones 190. & 3. drachmas: Pondus ſanè ingens, ad quod maximi etiam moduli Capillitia artificialia haud aſſurgunt. Videamus interim, quo modo ſeſe ex obuiis difficultatibus extricare ſoleant Interpretes.

In confeſſo id eſt apud omnes, מִקֵּץ יָמִים לְיָמִים *mikkets jamim lajamim*, *à fine dierum in dies*, denotare Anni totius decurſum, rectè proin verti, *ſingulis annis ad finem anni*, *zu Ende eines jeden Jahrs*, vel, ut Vulgata habet, *ſemel in anno.* Omni nos ſcrupulo liberarent LXX. ſi horum Verſio agnoſcatur pro juſta, ἀπ' ἀρχῆς ἡμερῶν εἰς ἡμέρας ὡς ἂν ἐκείρετο. & Complutenſis ἀπὸ τέλους. Ita namque intelligi poſſet tonſura omnis per totum vitæ Abſolonis curriculum. Auget rei difficultatem *Joſephus* tonſuræ 8. dierum adſcribens Siclos 200. τοσοῦτο μέντοιγε ἦν τὸ βάθος τῆς κόμης αὐτῷ ὡς μόλις αὐτὸν ἡμέραις ἀποκείρων ὀκτὼ σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίους. Videtur is namque, adnotante Clerico, pro εἰς ἡμέρας ὡς ἂν ἐκείρετο, legiſſe, εἰς ἡμέρας ὀκτὼ ἐκείρετο. Multiplicat ſanè *Joſephi* Commentarius ſcrupulum quinquageſies & bis. Vult *Bochartus Epiſt. de Abſalomis cæſarie*, verba מִקֵּץ יָמִים לְיָמִים verti debere, *quod ſubinde fiebat.* Sed conſtat ex aliorum Locorum parallelismo, denotare Phraſin hanc Anni decurſum. Exod. XIII. 10. *Cuſtodies hunc ritum ſtato tempore, idque jugiter.* ubi Gloſſæ, Ebr. *à diebus in dies, id eſt, quotannis, ut quidam volunt.* Jud. XI. 40. *Facta eſt conſuetudo in Iſraele, ut annua vice* (Ebr. de diebus in diem) *venirent filiæ Iſrael, ut diſſererent cum filia Jephte Gileaditæ, quatuor ſcilicet diebus in anno. (Exinde mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt. Ut poſt anni circu-*



II. SAM. Cap. XIII. v. 29.
Filii Regis mulis fugientes.

II. Buch Sam. Cap. XIII. v. 29.
Davids flüchtige Printzen.

*I. A. Fridrich sculps.*

PJCB



II. SAM. Cap. XIV. v. 26.
Abſalom καλλίθριξ.

II. Buch Sam. Cap. XIV. v. 26.
Abſaloms ſchöne Haare.

I. G. Thelot sculps.

RPJCB

*circulum conueniant in unum filiæ Iſrael, & plangant filiam Jephthe Galaaditæ, diebus quatuor.)* Auxilium pro ſua ſententia, quæ cæſariem denſam & longam poſt aliquot demum annorum decurſum tonſam vult, quærit *Bochartus* in loco 2. Sam. XVIII. 9. ubi *caput* Abſalonis *retentum* dicitur *ſub Quercu magna, ut penderet*, nempe de cæſarie ſua, *inter cœlum & inter terram.* Sed præualet ſemper annua periodus, & argumentum dat ipſa eorum conſuetudo, qui denſâ ſunt Cæſarie, his enim naſcuntur incommoda, niſi quotannis tondeantur. Maxima difficultas reſidet in ſiclis 200. Certos quippe nos reddunt, qui capillamenta arte fabricant, raró ſuperare omnem fœminæ cæſariem uncias 30. ſiue 60. Lothones. Heic autem intelligi debent duntaxat comæ Abſalonis reſectæ, nempe ſuperfluæ. Conſtat quippe ex tota Abſalonis Hiſtoria, ſpeciatim ex ultimis ejus fatis, longam ei ſemper fuiſſe cæſariem, ut nunquam ad cutim usque reſecuerit capillos: & vel poſita hac ad radices usque capillorum reſectione, vix poſſibile videtur, creuiſſe quotannis cæſariem ad pondus usque in Textu expreſſum. Ad *Bochartum* redeo, qui omne pondus, cujus heic mentio fit, adſcendere vult ad 4. Libras Romanas, & duas uncias, ſiue ad uncias 50. Et diſcrimen is porrò facit inter Siclum Sacrum & communem, huicque duntaxat dat $\frac{1}{4}$. unciæ, concludens tandem ita ex his incertis præſuppoſitis: *Hoc tanquam certiſſimum ſtatuo, cæſariem denſam & prolixam minimùm ſemilibram pendere ſolere: adeoque in Abſalonis cæſarie nihil animaduerſione dignum occurriſſet, ſi pondus hoc non exceſſit. Ut igitur aliquid notatu dignum, & Hiſtoriæ conſignandum, & mirabile quidpiam habeatur, ſtatuatur 1. Cæſaries duplo denſior, quàm quæuis vulgaris, denſa licet, commune denſiorum pondus excedet ſemilibrâ, atque ex ea prima Hypotheſi Libram integram pendebit. 2. ſtatuamus, prolixis quibusuis capillis duplo prolixiorem fuiſſe. Ex hac Hypotheſi prolixos quosuis capillos ſemilibræ pondere ſuperabit, ac proinde duabus fere Libris æquipollebit.* Ut autem inſignis hic Vir ſententiæ ſuæ majus addat pondus, congerit ex erudita Antiquitate varia de variis prolixam denſamque Cæſariem plantandi artificiis, de augmento ponderis capillorum procurato per unguenta, de conſperſione capillorum per ramenta Auri. Imo tandem ultimum refugium quærit in correctione ipſius Textus originalis. *Quamuis*, inquit, *quæcunque hactenus hanc in rem allata minus vera eſſent, meminiſſe oportet eos, qui nollent Scripturæ auctoritatem minuere, in Scriptis quibuslibet nihil eſſe facilius numerorum deprauatione, quia ſæpe plenè non ſcribuntur, ſed numeralibus literis aut ſiphris notantur.* De quo conqueſtus quoque eſt *Budæus de Aſſe* L. II. p. 49. 51. & L. III. p. 67. quamuis haud duxerit neceſſe, ad ultimum hoc Aſylum confugere. Sunt Eruditi alii, qui refugium quærunt in Babylonicis Siclis, præſertim quia in Textu mentio fit *ponderis Regii*, prætenduntque hi, Authorem ſecundi hujus Libri Samuelis ſcripſiſſe ſub finem captiuitatis Babylonicæ, ſub Perſarum Rege. Fuerunt autem *Babylonici Sicli* tertia duntaxat pars Hebraici, quod ex *Xenophonte*, *Heſychio*, *Polluce*, *Photio* demonſtrat *Ed. Bernardus de Menſ. & Pond. antiq.* L. II. c. 26. Cujusmodi Sicli mentionem fieri volunt Nehem. X. 32. *Conſtitueremus ſuper nos præcepta, ut imponeretur nobis ſingulis annis tertia pars Sicli pro miniſterio domus DEI noſtri. (Et ſtatuemus ſuper nos præcepta, ut demus tertiam partem ſicli per annum ad opus domus DEI noſtri.)* Hac ratione reducerentur Sicli 200. ad 66⅔. ſiue uncias 31. ſcrupulos 19. ſiue Lothones 63. drachmas 2. ſcrupulum 1. Quæ reductio tandem alleuiaret difficultates, utut nec ſuis careat reductum & minutum hoc pondus, ſi quidem coma intelligi debet reſecta, & non cæſaries integra: docet quippe nos Experientia, capillos quotannis non creſcere ultra 4. pollices. Tot inter difficultatum tricas ſuffragia ſua dat *Clericus*, mutatione facta in Textu, prouocans ad parallelismum Locorum Esdr. II. & Nehem. VII. Omnium tandem facillima videtur ſolutio, ſi verbum שֶׁקֶל *ſchakal* ſumamus non duntaxat pro *pondere*, ſed quoque pro *pretio*, ut duplici hoc ſignificatu gaudet Latina vox *pendo*, & certum eſt, non numeratos fuiſſe ſemper ſiclos, ſed ad lancem penſos. Hunc ſi admittamus ſignificatum, manere poſſet Latina noſtra verſio, & ſuo quoque ſenſu Vernacula, *ſein Haupt-Haar woge zwey hundert Sickel*, idem enim erat, ſiue quis penderet 200. Siclos, ſiue numeraret, ſenſus autem foret, æſtimatam fuiſſe Cæſariem hanc 200. Siclis. Ut hodie pendi ſolent & pro certo pretio vendi capilli; & capillamenta. Palam eſt ex præcedentibus, extolli pulchritudinem Abſalomi, cujus quoque partem conſtituunt capilli. Horum autem pulchritudo non tam æſtimari ſolet & menſurari ex pondere, ſed ex colore potius & longitudine. Quodſi, *Joſepho* teſte, regnante Salomone Aulici gloriam quæſiuere in Cæſarie prolixa, & auri ramentis conſperſa, ut hodie quærunt in capillamentis artefactis prælongis, & puluere odorato ex Amylo conſperſis, & fortè Abſoloni cæſaries fuit vel alba colore, vel flaueſcens, ut Natura dederit ei, quod alii procurabant arte, fieri facile poterat, ut ejus capilli tonſi venditi fuerint 200. Siclis. Hæc conjectura ſi locum quendam vel meretur, vel inuenit, relegandum foret capillamentorum artificialium inuentum ad Dauidis vel Salomonis tempora. Et certè, ſi capillamenta arte quoque fiebant illo tempore, honori ſibi duxerunt haud dubiè ſummo Aulæ Miniſtri utriusque ſexus, Regii principis capillos ornare capita ſua. Liberat ſaltem hæc Ponderis in pretium conuerſio maximis difficultatibus, quæ Syſtema ordinarium premunt: oneri cer-

tè, non ornamento, fuiſſet Abſolonea 4. vel 5. Librarum, ſi talis fuiſſet, quod credi vix poteſt, cæſaries. v. *Mem. de Trevoux* A. 1704. p. 135.

# TAB. CCCCIX.

## 2. Sam. Cap. XVII. verſ. 8.

Addiditque Huſai: Tu noſti, quod pater tuus, militeſque ejus viri ſunt ſtrenui & fortes, adhæc amaro animo, ac urſus in campo (catulis ſuis) orbatus —

Et rurſum intulit Chuſai: Tu noſti, patrem tuum & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos & amaro animo, veluti ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat. —

Qui ad Animantia Bruta, horumque actiones & motus attendit, Theatrum videt variarum Paſſionum, Amorem, Gaudium, Iram, Vindictam, ſed quæ ab Affectibus Hominum multùm differunt, ſimiles licet hiſce quoad apparentiam, ut ſunt, vel videntur, ſimiles quoque ſenſus. Sunt illæ, verbo, irrationales, hæ rationales. Illæ automaticæ, Torrenti ſimiles, qui aggere perrupto obuia inundat: hæ Rationi junctæ, jungendæ ſaltem, & ab ea dirigendæ, quamuis, eheu! brutalitatis plus ſecum ferant, quàm Rationis. Brutis ſunt Paſſiones datæ à Creatore in conſeruationis medium. Conſidera φιλοςοεγίαν Matrum erga pullos, vel catulos, Iram atque vindictam erga perſecutores. Exemplum heic obuium *Urſi*, vel *Urſæ* potius (quam habent LXX. Vulgata, Verſiones aliæ) *catulis ſuis orbatæ*. Ita quoque Prov. XVII. 12. *Satius eſt virum occurrere urſæ orbæ, quàm ſtulto in ſtultitia ſua. (Expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.)* Hoſ. XIII. 8. *Occurram eis ut Urſus orbatus, & lacerabo pertinax cor eorum. (Occurram eis quaſi urſa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum.)* Conſimilia legas de *Tigride* apud *Senecam* in *Medea*.

Ut Tigris orba gnatis  
Curſu furente luſtrat  
Gangeticum nemus &c.

*Kimchium* ſi audiamus *in Hoſ.* Cauſas habet Urſa in Natura fundatas majoris & feruentioris contra perſecutores vindictæ, quia catulos ſuos ex informi maſſa carnea ſenſim figurat. Quæ Veterum communis opinio nunc quidem inter exoletas reponitur Veritates. En igitur Urſam ita ſemetipſa ratiocinantem! Magno labore & multoties circumlambendo catulos meos efformo, ergo ardentiori amore eos habeo cur proſequar, majori feruore cur defendam. Sed eſt hæc φιλοςοεγία matribus omnis Brutis communis; de Urſa autem id in ſpecie notandum, fortem eſſe & ſæuam valde beſtiam. Teſtibus *Ariſtotele Hiſt.* L. IX. c. 1. & *Plinio* L. XI. c. 49. ſunt Urſæ & Pantheræ fœminæ maribus longè fortiores. *Plutarcho* ἡ δὲ ἄρκτος ἀγριώτατον καὶ σκυθρωπότατον θηρίον. Sic & *Philoſtrato Apollonii* L. II. c. 7. Sæuiſſimæ autem ſunt tunc cumprimis, ſi catulos alant. Χαλεπαὶ δὲ καὶ αἱ θήλειαι, ἄρκτος ἀπὸ τῶν σκύμνων. Unde apud *Ouidium Metam.* L. XIII. c. 8.

Fœta truculentior Urſa.

Ex quibus omnibus nunc quidem conſtat, fundatam omnino eſſe, qua uſus eſt, Huſai Analogiam Dauidis cum Urſa catulis ſuis orbata.

TAB.



II. SAM. Cap. XVII. v. 8.
Ursa catulis orbata.

II. Buch Sam. Cap. XVII. v. 8.
Eine beraubte Bärin.

G. D. Heüman sculps.

JCB

RPJCB




II. SAM. Cap. XVII. v. 10.
David et Socii θυμολεοντες.

II. Buch Sam. Cap. XVII. v. 10.
David mit Löwen = müthigen Helden.

G. D. Heüman sculps.

JCB

TAB. CCCCXI



II. SAM. Cap. XVIII. v. 28. 29.
Davidis donaria ab Ammon et Galaad.

II. Büch Sam. Cap. XVIII. v. 28. 29.
David von Ammon und Gilead beſchencket.

*I. G. Pintz sculps.*

# TAB. CCCCX.

## 2. Sam. Cap. XVII. verſ. 10.

Hinc fiet, ut & hi, qui fortes alioqui ſunt, & qui pectora habent Leonina, molleſcant ac liquefiant; nam hoc Iſraelitis omnibus exploratiſſimum eſt, Patrem tuum virum eſſe fortem, militesque ejus viros bellicoſos.

Et fortiſſimus quisque, cujus cor eſt quaſi leonis, pauore ſoluetur; ſcit enim omnis populus Iſrael, fortem eſſe patrem tuum, & robuſtos omnes, qui cum eo ſunt.

Duplex eſt Animoſitas, vel triplex 1. merè materialis, mechanica, Brutis quoque competens, quæ aliud nihil eſt quàm robur ingens à valido Sanguinis, fluidique neruei motu dependens, ejusque in objecta obuia effectus. Hoc ſenſu fortes quoque ſunt Maniaci. 2. rationalis, in Cerebro, Menteque reſidens, in Cor influa. Hoc ſenſu fortis & animoſus dicendus Dauid, omnisque fidelis DEO confiſus. 3. irrationalis, Deſperationis ſoboles. In hunc cenſum veniunt Ahitophel & Judas ἀπαγχόμενοι. Primi generis eſt fortitudo Leonis, ſecundi Dauidis & ſociorum Militum. Et tamen utramque jungit non ſolus Huſai, ſed quoque vulgatum Prouerbium. Ita erant *Gaditæ* illi, *ſegregati ad Dauidem in præſidio Deſerti, Heroes fortes, & viri militares bello apti, inſtructi lancea & conto, quorum facies Leonum facies referebant. (Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi tenentes clypeum & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis.)* 1. Paral. XII. 8. Apud *Homerum* occurſant ſibi *Hector* & *Ajax*

Λείουσιν ἐοικότες ὠμοφάγοισιν.

Leonibus crudiuoris ſimiles.

Et *Hercules* ipſe *Lycophroni* cluet τριέσπερος λέων, *Leo trinoctius.* Alias hujus generis loquendi formulas lubens prætereo.

Nemini non conſtat Herculi Leonis fuiſſe inſigne, à Leone Nemæo interempto. Leonini quoque animi & roboris fuit, cujus Numisma exhibemus ex *Begeri Theſ. Reg. Brand.* Vol. III. p. 6. *Bitucus, Bitouius*, Eutropio & Floro *Bituitus*, aliis Βιτέβιος, *Vituitus* Auernorum Rex, qui circa A. V. C. 630. vixit.

# TAB. CCCCXI.

## 2. Sam. Cap. XVII. verſ. 28. 29.

Lectos, pelues, vaſa fictilia, Triticum & Ordeum, Farinam & Spicas toſtas, Fabas, Lentem atque Far toſtum.
Mel, Butyrum, Oues & caſeos vaccinos. —

Stratoria & tapetia, & vaſa fictilia, frumentum & hordeum, & farinam & polentam, & fabam & lentem & frixum cicer.
Et mel & butyrum, oues & pingues vitulos: —

Afferunt in fuga fluctuanti Dauidi Galaaditæ & Ammonitæ ſuppellectilem variam, *Lectos*, quibus corpus tegere poſſet, *pelues*, *vaſa fictilia*, quibus cibos coquere, & pro menſa uti, ſed &, ne quid pro victu deſit, alimenta ipſa, חִטִּים *Chittim*, *Triticum*, quo nomine veniebat olim generaliter omne Frumentum, ex ſpicis *tritum*, ac trituratione repurgatum. שְׂעֹרִים *Seorim, Hordeum*, cui voci שְׂעֹרָה *ſeorab* originem dedit hirſuties, nam שָׂעִיר *Sair*, piloſum, hirſutum, & שָׂעַר *ſaar*, horrere ſignificat.

ficat. Et affinia ſunt huic Hebrææ voci vocabula Arabum, quibus Hordeum denotant *Xabaer* apud *Serapionem*, *Sair*, *Xair* apud *Haly Abbatem*, *Shair* apud *Auicennam*, *Hababer*, *Saraban*, *Scahair*, *Scehair*, *Xahar*, *Xaahar*, *Xahair* apud alios. Sequitur קֶמַח *Kemach*, *farina*, fortè ἄλφιτον, quæ Hordei eſt toſti ſeu frixi; ſi hæc non ſit קָלִי *Kali*; Vel קֶמַח farina pura, קָלִי frumenta toſta, ut torrere ſolemus hodie fructus Caffé, & ipſum his ſubſtituere Hordeum. Probabilitatem auget, quòd hæc vox קָלִי in eodem verſiculo repetatur bis, unde priori loco reddimus per *Spicas toſtas*, *Sengel-Korn*, poſteriori per *Far toſtum*, *gedörret Korn*. Haud ſanè eſt dubium, quin duûm generum frumenta toſta debeant intelligi. Sed de hac voce קָלִי plura ad 1. Sam. XXV. 18. Pergimus ad Legumina. פּוֹל *Pol* vel *Phol* eſt *Faba*, Arab. *Phoulon*. Hinc fortè Germanorum *Bon* facili Literæ l. in n. & p. in b. mutatione. Seligimus autem & ſiſtimus *Fabam* C. B. *Cyamon leguminoſam* I. B. quæ radice eſt partim recta, partim ſerpente, ſtrumoſa & fibroſa, & caules habet quadratos, duobus cubitis altiores; folia aduerſa, cæſia, ex oblongo rotunda, ad unam coſtam adnexa: Flores papilionaceos: ſemen in ſiliquis magnis, craſſis, carnoſis, hirſutis, ſurrectis oblongum, latum, planum compreſſum, coloris albi, vel rubentis. Quas eſſentiales Fabæ partes videre licet ad marginem. Fructus hi ut hilo notati ſunt nigro, ita & olim fuere atro carbone, ut in vitæ regulam abierit Pythagoricum illud ἀπὸ κυάμων ἀπέχεσθαι, propter cruditates, flatulentias, & vim Veneris incentiuam: niſi metaphorico ſenſu κυάμους accipere velis pro ipſo Veneris proluuio, vel Reipublicæ muneribus. Sed ſiniſtram famam Fabis abſtergit *Rajus Hiſt. Plant.* p. 909. De *Lentibus* עֲדָשִׁים *adaſchim* egimus ad Gen. XXV. 29. Ferculorum ruſticorum agmen claudunt poſt *Mel, Butyrum & Oues* שְׁפוֹת בָּקָר *ſchephoth bakar*, *Caſei vaccini*, *Kühe-Käſe*, pro quo Græci σαφὼθ βοῶν, propriè *Bouis coagulationes*, fortè à שָׁפָה, quod inter alia *colare*, *percolare*, ſignificat. Caſeus enim non coagulatur, niſi percolato Lacte, vel ejus ſero. *Tibullus* L. II. Eleg. 3. de fiſcella, in qua fit caſeus:

> Tunc fiſcella leui detexta eſt vimine Junci,
> Raraque per nexus eſt via facta ſero.

Arborem Bon, Coaua ſiue *den Coffée-Baum* vid. in Tab. CCCCXIV.

# TAB. CCCCXII.

## 2. Sam. Cap. XX. verſ. 15.

Venientes igitur obſederunt eum in Abel Beth Maacha, & affuderunt aggerem ad urbem: Omnis autem Populus, qui cum Joab erant, volebant vaſtare & dejicere Murum.

Venerunt itaque, & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus ciuitatem, & obſeſſa eſt urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur deſtruere muros.

TEmpora mutari, & nos, Arteſque noſtras & ſcientias cum illis, oſtendit *Architectura militaris*, eaque tum *defenſiua*, tum *offenſiua*. Utraque inde à Pyrii pulueris inuentione tota fere mutata ab illa. Munimento olim erant Teſtudines; dejiciebantur muri, & Portæ aperiebantur Arietibus: euibratæ ſagittæ, projecti ingentibus Machinis Lapides. Nunc peraguntur omnia Tormentis atque Sclopetis; erant olim adductus, qui nunc foſſarum ad inſtar ſunt excauati, eleuati ſupra Terram, ut Architecturam offenſiuam prorſus videamus inuerſam. Exemplo poterit eſſe obſidio *Abel Bethmaacha*, quam *Urbem* cinxerat Joab *aggere*, חֵיל, quam vocem melius exprimit *agger*, *Wall*, quàm *Clerici munitio*. De hoc autem Aggere diſtincta formari debet idea. Accumulabatur Terra, quæ altior fiebat & altior, ſed & urbi obſeſſæ propior, deuolutâ verſus eam Terrâ: ita tandem eleuati aggeres ad eandem cum muris ipſis altitudinem, imò muris ipſis adducti. Quemadmodum verò obſeſſi non inſiſtebant muris nudi, & undique expoſiti, ſed in murorum ambitu ſuas habebant inciſuras ſiue crenas, quas videre licet paſſim in antiquis Urbibus & Caſtellis, ita quoque Aggreſſoribus dictabat Ratio in Aggeribus ſummis erigere Loricas, eaſque, ut ita loquar, mobiles, unaſue aliis altiores, urbique propiores. Fuit hæc bellandi ratio nota quoque & uſitata Romanis. Exemplo eſt obſidio *Auarici* apud *Cæſarem Comm. Bell. Gall.* L. VII. c. 24. *Diebus XXV. aggerem latum pedes CCCXXX. altum*



II. SAM. Cap. XX. v. 15.
Abel Beth Maacha obſeſsa.

II. Buch Sam. Cap. XX. v. 15.
Abel Beth Maacha belagert.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB

RPJCB




II. SAM. Cap. XXII. v. 8 - 16.
Tempeſtas fulminea.

II. Buch Sam. Cap. XXII. v. 8 -16.
Straal und Doner = Wetter.

*M. Tyroff sculp.*

*altum pedes LXXX. extruxerunt. Cum is murum hoſtium pene contingeret.* Et hodie locum obtinere poteſt hæc obſidendi ratio, præprimis in ſolo paludoſo. Specimen ſiſtit obſeſſum à Potentiſſimo Ruſſorum Imperatore Petro A. 1695. Fortalitium limitaneum *Azoph*, quod ut ad deditionem urgeret expertiſſimus Czaarici Exercitus ſupremus Dux *Gordon* Natione Scotus paſſim altos congeri juſſit aggeres, ex quibus non ſolùm facilis fuit in Opera Fortalitii interiora proſpectus, ſed facilis feriendi obſeſſos occaſio: admouebantur hi aggeres, continuata Terræ deuolutione, vallis Fortalitii eò usque ſpatio 14. dierum, ut diſtantia non major fuerit quàm dimidii ſclopeti jactus, & altitudo muros ipſos urbis ſuperarit, tandemque continuato Tormentorum Igne locus obſeſſus fuerit ad deditionem coactus. vid. *Perry Staat von Moſcau.* p. 232.

## 2. Sam. Cap. XXI. verſ. 16.

Et Jisbi in Noab, qui natus fuit ex Rephaim, (pondus Lanceæ ejus habebat trecentos Siclos chalybis) ipſeque nouo gladio accinctus erat, is dixerat, ſe occiſurum Dauidem.

Deficiente autem Dauid, Jesbi-benob, qui fuit de genere Arapha (cujus ferrum haſtæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat enſe nouo) niſus eſt percutere Dauid.

HAbet Originalis Textus שְׁלֹשׁ מֵאוֹת מִשְׁקַל *trecentorum ponderis*, ſcilicet *Siclorum*, uti & poſt LXX. habet Latina noſtra: illa τριακοσίων σίκλων. Obſcurior vernacula noſtra *drey hundert Gewicht Ertz.* Faciunt autem hi 300. Sicli uncias 143. cum drachma dimidia: ſiue 7. Libras communes, Librâ computata 36. Lothonibus, & Lothones 34. cum drachma dimidia.

# TAB. CCCCXIII.

## 2. Sam. Cap. XXII. verſ. 8 - 16.

8. Commouebatur & contremiſcebat terra, fundamenta Cœlorum fremebant, & conquaſſabantur, quoniam ipſe iraſcebatur.
9. Aſcendebat fumus è naribus ipſius, & vorans ignis ex ore ejus, ita, ut de eo carbones incenderentur.
10. Flectebat cœlos, ac deſcendebat, ſub pedibus ejus caligo.
11. Vehebatur ſuper Cherub, & volabat, ferrique videbatur alis pernicibus.
12. Circumquaque juxta ſe tenebras poſuerat inſtar tabernaculorum, aquas atras, & denſiſſimas nubes.
13. De fulgore, qui coram eo erat, Prunæ ardentes incendebantur.
14. Tonabat Cœlis DOMINUS, Altiſſimusque edebat vocem ſuam.

8. Commota eſt & contremuit terra, fundamenta montium concuſſa ſunt & conquaſſata, quoniam iratus eſt eis.
9. Aſcendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus vorauit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.
10. Et inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus ejus.
11. Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: & lapſus eſt ſuper pennas venti.
12. Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum: cribrans aquas de nubibus cœlorum.
13. Præ fulgore in conſpectu ejus ſuccenſi ſunt carbones ignis.
14. Tonabit de cœlo DOMINUS, & excelſus dabit vocem ſuam.

15. Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgur mittebat, & conſternatos reddidit eos.

16. Tum apparebant profundiſſima aquarum receptacula, retegebantur orbis fundamenta ab increpatione DOMINI, à reſpiratione flatus naſi ſui.

15. Miſit ſagittas, & diſſipauit eos fulgur, & conſumpſit eos.

16. Et apparuerunt effuſiones maris, & reuelata ſunt fundamenta orbis ab increpatione DOMINI, ab inſpiratione ſpiritus furoris ejus.

DEcantauit Dauid Canticum hoc Majeſtatis Diuinæ encomiaſticum *eo tempore, quo eripuerat eum DOMINUS è manu omnium hoſtium ejus, & è manu Saulis*, v. 1. verbis conceptum metaphoricis, imo in ſubſtrata de Meteoris materia meteoricis, quæ non ſemper explicari poſſunt ad literam. V. 8. inſinuat Pſaltes, commouiſſe DEUM cœlum & terram, id quod de hominibus dicimus, ſi quidem ad certum quendam finem omnes mouent virium ſuarum lacertos, nec quidquam omittunt earum rerum, quæ ad conſequendum finem conducere poſſint, ſed, ubi de DEO ſermo eſt, intelligendum eſt θεοπρεπῶς, modo Majeſtati ſuæ infinitæ adæquato. Voluntati Diuinæ ſufficit unicus nutus ut ad creandum, ita ad deſtruendum Mundum. Haud opus heic erat, ut propter Dauidem Terra tota quanta contremiſceret, vel integrum Cœlorum Syſtema cardinibus ſuis moueretur. מוֹסְדוֹת הַשָּׁמַיִם *moſedoth haſchamajim, fundamenta cœlorum*, non ſunt heic baſis quæpiam immenſæ vel denſitatis vel ſoliditatis, cui compages Mundi ſit inædificata: neque etiam Orbes illi cryſtallini, quibus infixa ſydera tum fixa tum erratica voluêre veteres. Modernorum Linguâ intelligendum potius fluidiſſimum reciprocè grauitans cœlum, & inde pendens corporum omnium, maximorum, medioxumorum, minimorum Æquilibrium; contemperatio exquiſitiſſima virium centripetarum ac centrifugarum, juxta Leges Diuinæ Matheſeos facta. Hæ ſunt *Columnæ cœli*. Job. XXVI. 11. Quod ſi ex altiſſimis Cœlis deſcendamus in hunc Terræ noſtræ globulum, erunt rurſus fundamenta cœlorum preſſio undique æqualis & fortis Aeris atque Ætheris verſus Terræ Centrum. Pſ. XVIII. 8. ubi idem cum præſenti extat Triumphale Canticum, *fundamenta montium* (non cœlorum) leguntur *concuſſa & conquaſſata*, quæ verba ad literam explicari poſſunt de Terræ motu.

Protinus è Vultu DOMINI conterrita Tellus
Intremuit, monteſque, cauâ compage ſolutâ,
Nutarunt, penituſque imis fremuere cauernis.

Canente *Buchanano*.

v. 9. Poetica extat irati DEI repræſentatio, quæ certè ad literam explicari nequit; deſumpta aut à nubibus tempeſtuoſis, quæ denſi ad inſtar fumi collectæ mox in Fulgura, Tonitrua & Fulmina erumpunt urentia: vel ab Æde fulmine accenſa, quæ primò fumum emittit denſum, mox flammis correpta collabitur in cineres: vel ab Animantibus calore æſtuantibus, & vapores copioſos exhalantibus, tandemque horrendos edentibus clamores. Ita deſcribunt Poetæ Boues Colchidis ſylueſtres. *Apollon. Argon.* L. III. 1287.

- - οἱ δ᾽ ἔκποθεν ἀφράςοιο
Κευθμῶνος χθονίȣ, ἵνα τε σφίσιν ἔσκε βόαυλα
Καρτερὰ, λιγνυόεντι πέριξ εἰλυμένα καπνῷ
Ἄμφω ὁμȣ̃ προγένοντο πυρὸς σέλας ἀμπνείοντες.

- - - - Illi verò ex horrenda
Latebra Terræ, ubi erant iis Bouilia
Magna, fuliginoſo circumſepta fumo,
Ambo ſimul prodierunt ignis ſplendorem efflantes.

Comparans dehinc Pulmones eorum cum follibus, quibus ignem ſufflant fabri.

Ὣς ἄρα τώγε θοὴν φλόγα φυσιόωντε
Ἐκ ςομάτων ὁμάδȣν, τὸν δ᾽ ἀμφί τε δήϊον αἶθος
Βάλλεν ἅτε ςεροπή.

Sic profectò illi rapidam flammam exſpirantes
Ex ore reſonabant, illum autem (Jaſonem) ſæuus ardor
Circumdedit tanquam fulgur.

Concinit *Ouidius Metam.* VII. 107. & *Martialis Epigr.* L. VII. 64.

- - rabido nec perditus ore
Fumantem naſum viui tentaueris Urſi.

Sunt Fauces & Os Brutis, quod caminus ædibus: exhalant ſanguinis æſtuantis halitus fumi ad inſtar denſi. Fumus igitur quia index eſt vel Sanguinis æſtuoſi, vel ignis erupturi prodromus, ita, ſenſus eſt Prophetæ, Iræ Diuinæ prognoſtica ſunt grauia Judicia, Tonitrua ipſa & Fulmina, quæ ejaculatur ſupremus DOMINUS

MINUS in ſuos & Eccleſiæ hoſtes. Preſſius id legas v. 14. 15.

Speciem præbet *Cœlum*, non Planeticum, neque Fixarum, ſed Aeris Terram cingentis, Fornicis depreſſi, ſiue Conoidis Parabolici. Obſeruamus quippe, lineas viſuales diſtantiæ horizontales omnium eſſe longiſſimas, hinc autem minores fieri ſenſim aſcendendo, ut verticalis omnium ſit minima. Incurrit Phænomenon hocce quotidie in oculos noſtros, cœlo ſeu ſereno ſeu turbido, attamen ſunt ex terricolis pauci, qui ad magnificum huncce Fornicem attendunt, pauci, qui analyſeos fundamenta norunt, quia Optices ignari. Notandum heic, pro conceptu juſto formando, cyaneum illum, quem conſpicimus, colorem non eſſe cœli ſtellaris, ſed aerei, ſiue atmoſphæræ: altitudinem hujusdem circumcirca terram eſſe, quoad apparentiam ſaltim, æqualem, & vel hinc ſtatim ſequi, fore perpendicularem omnium aliarum minimam, quæ quidem extendi poſſunt per Horizontem. Eſt ſanè in Fig. I. A B. minor quàm A C. A C. minor quàm A D. & ita porrò. Sunt hæ Lineæ omnes A B. A C. A D. A E. A F. A G. Hypothenuſæ, accreſcentes ſemper pro ratione Baſium A H. A I. A K. A L. A M. Qui Trigonometriæ fundamenta guſtauit, eum latere nequit, extendi viſum in Horizonte aperto ad milliaria 41. formari proin poſſe Triangulum rectilineum Fig. II. cujus latus A B. Terræ ſemidiameter 860. Milliarium, A C. à centro Terræ ad extremum Aerem milliare altum 861. B C. Tangens Terræ à puncto, cui inſiſto, ad finem Horizontis mei protenſa. Hæc altitudo Aeris D C. ſi ſtatuatur 2. milliarium, prodibit horizontalis B C. 58. milliar. ſi illa 3. hæc erit 72. ſi prior 4. erit hæc 83. & ita porrò. v. Cl. *Funcc. de colorib. cœli.* p. 33. Clarum exinde, DEUM omni tempore, etiam ſereniſſimo cœlo, *flectere* ſiue deprimere *cœlum*, & magnifici ad inſtar Fornicis nobis ſiſtere. Quodſi verò deſcendant magis Nubes verſus Terram, nobisque fiant propiores, id quod contingit inſtante graui Tempeſtate, quando *ſub pedibus ejus caligo*, tunc euidentior adhuc Dauidici dicti veritas, *flectere cœlum ac deſcendere*, v. 10. collectis nempe undique vaporibus, & amplitudinem Horizontis intra anguſtiores limites coarctantibus.

Adſpirantibus, quod plerunque fit, *Ventis* Nubes cogentibus, *vehitur DOMINUS ſuper Cherub, & volat, ferrique videtur alis pernicibus*, v. 11. *Buchanan.*

Ille vehens curru volucri, cui flammeus ales
Lora tenens leuibus ventorum adremigat alis
Se circum furuo nebularum inuoluit amictu.

Siſtit nempe μετεωρίζων noſter Pſaltes DEUM, ac ſi inſidens nubibus, Ventorum vehiculo promoueretur in curru Triumphali, ductoribus Angelis. Pſ. XVIII. 11. *Vehebatur ſuper Cherub, ac volabat, latus ſuper alas venti.*

Concipiuntur vapores aquei tanquam ſubtiles expanſæ veſiculæ ſeu bullulæ, natantes in libero Aere, per quorum interſtitia ſi transmittantur Radii, ſereneſcit cœlum: hæ bullulæ ſi cogantur à Ventis, aliisue cauſis condenſentur, *circumquaque juxta ſe tenebras ponit DEUS inſtar Tabernaculorum, aquas atras, & denſiſſimas Nubes.* v. 12. vel Pſal. XVIII. 12. *Circunquaque juxta ſe tenebras ponit latibulo ſuo inſtar Tabernaculorum, Aquas atratas, denſiſſimas nubes. (Et poſuit Tenebras latibulum ſuum, in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebroſa aqua in nubibus aeris.)* Qua cum Dauidica Aeris tempeſtuoſi deſcriptione conferri poteſt *Ouidiana* illa *Met.* L. III. 299.

Æthera conſcendit, nutuque ſequentia traxit
Nubila, queis Nimbos immiſtaque fulgura ventis
Addidit, & Tonitrus, & ineuitabile fulmen.

v. 13. *De fulgore, qui coram eo erat, prunæ ardentes incendebantur.* Clarius Pſaltes XVIII. 13. *De fulgore, qui coram erat, Nubes ejus pertranſierunt, Grando & carbones igniti.* Clarum, deſcribi meteoricis phraſibus grauiſſimam Tempeſtatem Grandine & Fulminibus ſtipatam, quâ non ſolum guttæ aqueæ in deſcenſu à rigido Borea correptæ mutantur in Glaciem, ſed & plurimi halitus ſulphurei atque nitroſi fermentando exæſtuant, & in celerrimos motus rapti coguntur in *Fulmina*, qui igniti glomeres *prunæ* cluent *ardentes*, ſiue *carbones igniti.* Audi μεταθέτην *Buchananum.*

Acribus ex oculis libratæ ſpicula flammæ
Diſcutiunt triſtes claro fulgore tenebras.
Inde ruit crepitans lapidoſæ grandinis imber,
Diſcurſantque vagæ ſinuoſa volumina flammæ.

v. 14. *Tonabat Cœlis DOMINUS, Altiſſimusque edebat vocem ſuam.* Notum nobis omnibus expertis, durante Tempeſtate, & ante eam, murmurare Tonitrua. Pſal. XVIII. 14. *Tonabat è Cœlis DOMINUS, & Altiſſimus edebat vocem ſuam, Grandinem atque Carbones ignitos.* Quod nos Naturæ ſcrutatores exprimimus per tremulum, fortis vibrationis, Aeris motum, & vulgus vocat *Tonitrua*, id Sacer Codex nuncupat *vocem DOMINI*, & Pſalmo quidem XXIX. ſepties iterato. Et ex citatis modò locis conſtat, Epitheto hocce inſigniri non duntaxat Tonitru, ſed & Fulmina, inprimis verò grauem illum, qui aures perſtringit, crepitum. *Vox DOMINI confringit Cedros.* v. 5. Eſt equidem ſonus omnis vox DOMINI, ſed præprimis

 fulmi-

fulmineus hic, omnium, qui in his Terris audiuntur, grauiſſimus atque fortiſſimus. Junge, quem grandinea ſaxa mutua inter delapſum colliſione edunt, fragorem.

Sed ipſa *Fulmina* ſub ſpecialiori porrò Idea ſiſtuntur cum ſuis effectibus v. 15. *Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgur mittebat, & conſternatos reddidit eos.* παραλλήλως Pſaltes XVIII. 15. *Sagittas ejaculabatur, disjiciebatque eos, fulgura multa, quibus conſternatos eos reddidit. (Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.)* Exprimuntur ibi ſagittæ fulmineæ per חִצִּים *Chitſim*, heic per חִצָּיו *Chitſau*. Haud infrequentes ſunt conſimiles locutiones apud profanos Scriptores, præprimis Orientales. *Herodot.* L. IV. c. 19. de Fulmine, quod *Scylæ*, Scythici Regis, feriit Palatium: ἐς ταύτην ὁ ΘΕΟΣ ἐνέσκηψε βέλος, καὶ ἡ μὲν κατεκάη πᾶσα. *In hoc euibrauit DEUS ſagittam, quâ concremata ſunt omnia. Heſiodo Theog.* v. 708. audiunt Tonitrua, Fulgura & Fulmina, Κῆλα Διὸς μεγάλοιο. *Ouid. Met.* L. I. 239.

> Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.

L. III. 305.

> Eſt aliud leuius fulmen, cui dextra Cyclopum
> Sæuitiæ flammæque minus, minus addidit iræ;
> Tela ſecunda vocant ſuperi.

Clarum ex hactenus dictis, metaphoricam planè eſſe, ſimulque meteoricam, Dauidis, qua totam quampiam grauem Tempeſtatem cum ſuis annexis ſiſtit, deſcriptionem, minus proin firmo ſtare talo eos, qui ex noſtro Textu *Fulminares* ita dictos *Lapides* probare ſatagunt. Iis viuimus temporibus, & felicibus ſatis, quibus Traditiones Igni exponuntur docimaſtico, neque ante pro veritatibus agnoſcuntur, quam fuerint libratæ ad trutinam. Ut, haud poſthabito, qui Antiquitati venerandæ debetur, reſpectu, haud ducamus Religioni rejicere, quæ per omnium Seculorum barbarorum decurſum pro Canonicis veritatibus fuere credita, ſiquidem & Rationi repugnent, & Experientiæ, & Docimaſiam non ſuſtineant. Id fati experiuntur Ceraunïæ, quas credidit tota Antiquitas, & adhuc credit vulgus. Imo vero ſunt ex Eruditis, qui in propriis ſuis Muſeis, vel Principum & Magnatum Cimeliarchiis, pro Fulminaribus Lapidibus venditant, quæ aliud nihil ſunt, quàm vel cuneiformes Silices, vel Cryſtalli, Pyritæ, Belemnitæ, Echini Diluuiani. Indicaſſe hunc errorem ſufficiat pro nunc. Silentio præteriri non debet, quod Dauid commemorat de Fulmine & Fulgure (בְּרָקִים *berakim* heic propriè *fulgura* notat, ſed &, *Clerico* ita reddente, *Fulmina*) *reddere conſternatos*, quem ſanè effectum exerunt etiam in conſummatæ impietatis hominibus. Et quis, ſodes, eſt, quem non vox DOMINI terreat? Atheum vidi, & in cute noui, qui tonante fulminea Tempeſtate miſellum corpus ſuum recondidit in dolii cauum. Habet Textus Originalis וַיָּהֹם *& contriuit eos; Clericus, conturbauit.* Pſ. XVIII. וַיְהֻמֵּם LXX. ἐξέστησεν αὐτοὺς, Vulgata, *conſumſit eos.*

v. 16. *Tum apparebant profundiſſima Aquarum receptacula, retegebantur Orbis fundamenta ab increpatione DOMINI, à reſpiratione flatus naſi ſui.* Pſ. XVIII. 16. - - - *ab increpatione tua, DOMINE, à reſpiratione flatus naſi tui. (Ab increpatione tua, DOMINE, ab inſpiratione Spiritus iræ tuæ.)* Non legitur quidpiam de Dauidis expeditionibus Claſſibusque naualibus, ſiue conflictibus in Mari cum hoſtibus habitis, ut proin Loca citata naturales exprimant effectus, quos Tempeſtates fulmineæ exerunt in Mari. Agitantur in ſpumas, easque phosphoreſcentes, & fluctus altivagos Aquæ à Turbinibus, ut naues ex montibus veluti deuolui videantur in valles, ad Maris abyſſos, id quod terrificum magis Nautis, ſi fulgura intermicantia *retegant profundiſſima Aquarum receptacula, & Orbis fundamenta. Virgil. Æn.* L. I. v. 110. ſq.

> Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
> Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.

Sunt *Aquarum profundiſſima receptacula orbisque fundamenta Heſiodo* γῆς ῥίζαι, *radices Terræ*, Tartaro ſuperextructæ, *Theog.* 727.

> - - - - - - αὐτὰρ ὕπερθεν
> Γῆς ῥίζαι πεφύκασι, καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης.

De *reſpiratione flatus naſi* ſcribit Pſaltes ἀνθρωποπαθῶς, quæ intelligenda ſunt θεοπρεπῶς. Et eſt loquendi modus deſumtus ab Hominibus Brutisque furoris æſtu veluti fumantibus, & Aerem per nares citò reciprocantibus.

> —— Ira cadat naſo rugoſaque ſanna.

*Perſ. Sat.* V. v. 91.

TAB.

RPJCB



II. SAM. Cap. XXIII. v. 4.
Bon arbor.

II. Buch Sam. Cap. XXIII. v. 4.
Coffe = Baum.

*I. G. Pintz sculps.*

RPJCB




II. SAM. Cap. XXIV. v. 9.
Davidica Populi numeratio.

II. Buch Sam. Cap. XXIV. v. 9.
David läſſt das Volck zehlen.

M. Tyroff sculps.

# TAB. CCCCXIV.

## 2. Sam. Cap. XXIII. verſ. 4.

Et ſicut Lux matutæ, quum Sol oritur, (a) matuta, inquam, quæ non habet nubes præ fulgore ſuo, propter pluuiam videlicet, quæ herbam è Terra (elicit.)

(a) Regnum meum ſeu domus mea eſt ut lux clariſſima, quæ ſubinde augeſcit, nec ullas habet tenebras.

Sicut lux auroræ oriente ſole, mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuiis germinat herba de terra.

DOcet nos Philoſophia Experimentalis moderna, fortiores eſſe Solis irradiatorias vires immediatè poſt Pluuiam lapſam. Tunc ſanè majores exerunt effectus Lentes Tſchirnhuſianæ, quàm cœlo calidiſſimo atque ſereniſſimo. Ratio Paradoxi hujus Phyſici eſt, quòd cœlo æſtuoſo ſereno Atmoſphæra repleta ſit varii generis halitibus atque vaporibus, qui actionem radiorum impediunt. Sed Aëre ab halitibus hiſce purgato Lux Terram irradians erit fortior. Lucem fœnerari poteſt hæc de Luce conſideratio grato *fulgori Solis matutini*, delapſis jam formâ Roris vaporibus aqueis: ſcilicet, *ſi matuta non habeat nubes*, alia quippe eſt ratio *Auroræ matutinæ*, ſiue Aeris plurimis halitibus impręgnati, vel Solis per Nubes ipſas radiantis. Ita, inſinuante Dauide in Cantico hocce Cygneo v. 3. *Dominator ſuper homines juſtus ſit, dominator (habeat) timorem DEI. (Dominator hominum, juſtus dominator in timore DEI.)* Liber ſit in adminiſtratione Juſtitiæ Judex ab omnibus præjudiciorum ac paſſionum nebulis, quæ mentem obfuſcant; ſit liberrimus nec impeditus Legum diuinarum humanarumque in omnes ſuas actiones & conſilia influxus: Ut *propter fulgorem & pluuiam herba è Terra* lætè procreſcit, ita ſit ille in officio ſuo ſedulus, actiuus, imperterritus.

In gratiam βοτανοφίλων, & Tabulæ præſentis ornamentum appingi heîc curo *Bon vel Ban Arborem* I. B. *Buna*, *Bunnu & Bunchos* Ejusd. quæ *Euonymo ſimilis Ægyptiaca fructu baccis Lauri ſimili.* C B. qualis Lipſiæ in Horto Apeliano feliciter ſuccreuit A. 1723. ex cujus fructibus non Turcæ ſoli ſed & Europæi parant frequentiſſimum potum *Coaua* ſeu *Coffée.* Appendicis loco inſeruire poteſt ad Tabulam CCCCXI.

# TAB. CCCCXV.

## 2. Sam. Cap. XXIV. verſ. 9.

Deditque Joab numerum & ſummam populi ipſi Regi. Fuit autem (ſumma) Iſraelis octingenta millia virorum fortium Bello aptorum: virorum autem Juda fuerunt quingenta millia virorum.

Dedit ergo Joab numerum deſcriptionis populi regi, & inuenta ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Juda, quingenta millia pugnatorum.

INueniet haud dubiè Philoſophus Mathematicus, materiam de proportione multiplicationis Hominum ſcrutaturus, documenta omnium certiſſima, ſimul & antiquiſſima in Codice Sacro, ubi & exquiſitiſſima extat Chronologia, & Genealogia accuratiſſima. Notum ex Exod. XII. 37. accreuiſſe annorum 215. ſpatio 70. perſonas, quæ cum Jacobo deſcenderant in Ægyptum, ad viros 600000. Anno poſt, & quod excurrit, erat virorum bello aptorum, qui ſuperiores erant 20. annis, numerus, Leuitis haud computatis

 603550.

603550. Spatio 39. vel 40. Annorum elapſo non reperti fuere tot, quot Ægypto fuere egreſſi, quia hi omnes in Deſerto ultima debuere ſubire fata, ut proin ætate maximi haud tranſcenderint 59. annos. Oſtenſum ſupra, nec una duntaxat occaſione, duplicari ordinariè Hominum numerum ſpatio 360. annorum. Ex hoc præſuppoſito 360. annis poſt primam numerationem elapſis viuere debebant Iſraelitæ 1200000. & ſpatio 472. vel 473. annorum, quot quidem Chronologi numerant ab Exodo usque ad Dauidicam hanc numerationem 1576666. Hunc prope numerum inuenimus eo, qui ſequitur, modo. In Textu noſtro ſummam aſportat Joabus ſupremus Belli Dux 800000. *virorum fortium bello aptorum.* Sed quoque legimus 1. Chron. XXVII. 1. fuiſſe 12. *Ordines*, ſingulos 24000. hominibus, qui milites Prætoriani *ingrediebantur & egrediebantur per ſingulos menſes in omnibus anni menſibus*, in uniuerſum proin fuere 288000. His adde 500000. ex Tribu Juda, qui memorantur in noſtro Textu, & pro Tribu Benjamin circiter 100000. Obtinebis ſummam omnium 1688000. pro qua à priori inuenimus 1576666. Pone, hosce viros bello aptos 1688000. conficere incirca $\frac{1}{5}$. Iſraelitarum omnium, Leuitis hactenus non computatis, poteris absque inſigni errore calculi numerum Iſraelitarum ponere 8440000, non computatis ſeruis, quorum haud dubiè fuit copia ingens pro more Populorum Orientalium.

Verùm enimuerò obſtaculo id eſt, quomodo Regio 60. circiter Milliaria ſiue horas longa, & 30. lata tantum potuerit capere vel nutrire Hominum numerum? Nodum ita ſecant, quibus αὐθεντία Sacri Codicis non valet pro Regula, multiplicandi artem adhibuiſſe Judæos, qui finitâ captiuitate Babylonica Scripturam Sacram exemplarunt (ſit venia verbo, mediis ſaltem ſeculis uſitato) ex pia fraude, vel vana laudis cupidine. Collimat huc *Sulp. Seuerus Hiſt. Sacr. L. I. Non dubito Librariorum potius negligentia* (addit Clericus, audaciâ) *præſertim tot jam Seculis intercedentibus veritatem fuiſſe corruptam, quàm ut Propheta errauerit.* Quod effugium periculo haud caret. Dixerim potius, Dauidis tempore Palæſtinam totam adeo abundaſſe urbibus, oppidis, vicis, pagis, ædibus ubique juxta Agros, Vineas, Oliueta, Pomaria ſitis, ut hodie redundant Prouinciæ Belgicæ, excultam ubique, utpote quæ à DEO ipſo Titulo inſignitur *Terræ bonæ & ſpatioſæ, Terræ fluentis lacte & melle*, Exod. III. 8.

Remouendus eſt porrò alius obex. 1. Paral. XXI. 5. eadem hæc noſtra Dauidica numeratio aliis exprimitur terminis. *Fuit (ſumma) omnium Iſraelitarum virorum bello aptorum 1100000. & de Juda 470000. virorum bello aptorum*, in uniuerſum proin 1570000. Quum è contra heic numeremus duntaxat 800000. & 500000. qui ſummam faciunt 1300000. Hæc Loca ἐναντιοφανέα ita conciliat *Bochart Hieroz.* P. I. L. II. c. 36. quod 1. Par. XXI. Legionarii, ſiue Prætorii duodecim ordinum milites ſupra memorati fuerint ſummæ totali incluſi, hîc ab eadem excluſi. Nam hi duodecies 24000. ſoli conficiunt 288000, ut proin deficiant duntaxat 12000. quò minus aſcendere liceat ad 1100000. Hunc autem defectum ſupplent aliqui officiariis 12000. *Clericum* ſi audias *Comm.* ad h. l. conſiſtit rei cardo & difficultas non tam in diuerſitate numerorum, quàm in exceſſiua horundem magnitudine, quam euehit ad 13000000. animas: nempe viros bello aptos 1600000. & ex hoc principio animas 8000000. quibus addit ſeruos 4000000. Tribus Leui & Benjamin 1000000. qui populus adeò numeroſus quomodo ſpatio Terræ Palæſtinâ haud majori enutriri potuerit, ipſe capere nequit, nec vult; tantò quidem minus, quia caruere commerciis, & ad Littora Maris habitauerint ex una parte Tyrii atque Sidonii, ex altera Philiſtæi, Iſraelitis haud rarò ſuperiores. Prolabitur tandem citatus modò Commentator in ea cogitata, de quibus ſupra, multiplicatos fuiſſe nimiùm numeros Copiſtarum ſeu negligentiâ ſeu propriæ laudis prurigine: ut quoque 1. Sam. XIII. 5. *pro triginta millibus curruum*, quos Palæſtini habuerint, ponit duntaxat 3000. quot & non plures habeant Syrorum & Arabum Codices. Quod effugium an vel quomodo conciliari queat cum Sacri Codicis αὐθεντίᾳ, examinent, imò nodum ſoluant alii.

Rec'd Apr. 28, 1886

JA731
S328p
v.2
2-SIZE